



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**


## **Cursus Theologiæ Polemicæ Universæ**

**Pichler, Vitus**

**Augustæ Vindelicorum, Anno MDCCXIII.**

Pars Prior.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39374**



## PARS PRIOR,

Complectens fundamenta & principia Generalia Theologiae Polemicæ.

### CONTROVERSIA FUNDAMENTALIS ET GENERALIS

#### I.

De existentia alicujus & unius Religionis veræ à Deo revelatæ.

*Proponitur Ratio doctrine & styli.*

**P**rimum omnium ex Polemicis Opusculis, quæ in lucem edidi, erat *Iter Polemicum*, ita indigitatum, quòd eundo per omnes hominum Sectas, vel nullam vel aliquam vel plures Religiones eolentium, videlicet Atheorum, Polytheorum, seu Gentilium Idololatrarum, Deistarum, Epicuræorum, Turcarum, Judæorum, Paganorum universum, Libertinorum, Indifferentistarum, Lutheranorum, Calvinistarum, Jansenistarum, & Hæreticorum universum (quas omnes & singulas ex principijs, solo Naturæ lumine notis, falsas esse demonstravi) ad unicam veram Religionem, quæ est Ecclesia Romano-Catholica, veritatis amantem tandem deducat. Nunc, quæ ibi disserui, hoc loco cæteris omnibus præmittenda censui, utpote fundamenta, quæ in subsequentijs

necessariò supponi debent tanquam extra omnem controversiam posita, exceptis iis, quæ de Hæreticis universum, ac de Lutheranis, Calvinistis, & Jansenistis in specie disputata sunt, siquidem contra hos agendi multiplex & serè continua in decursu se se offeret occasio, eò quòd eos debellare præcipuus præsentis laboris Scopus sit. Ad istylum quod attinet, quem in præfatio Itinere Polemico sublimiorem ac Oratorio magis vicinum adhibere volui, ratus, cum ratione ornatùs sui qualiscunque delicato sæculo moderno magis arisurum: sed deceptus contrarium experientiâ didici, eò quòd legentes sine intensa ingenij applicatione & fatigatione, quæ saltem minùs Doctis necessaria est in politiori dictione assequenda, in libris Polemicis veritatem quærant, non ornatum. Mutare igitur

TUM

tur nunc illum placet in Methodum Scholasticam, qua in reliquis omnibus usus sum, eò quòd ista sit accommodatior pluribus, facilior ad intelligendum, clarior ad docendum, efficacior ad convincendum, &c. quòd inde consequens & à me maximè intentum est, utilior omnibus. Adde, quòd res fidei, à quibus aeterna pender salus, ob præstantiam & necessitatem suam exigant planà & solidà methodo pertractari, ut faciliùs certiusque pernoscantur.

Ne autem mireris, Benevole Lector, quòd contra Atheos, Epicureos &c. præviè demonstrare aggrediar existentiam alicujus DEI, alicujus Religionis revelata à DEO, Immortalitatem animæ Rationalis &c. nõsse te velim, non paucos ex moderni temporis Pseudopoliticis Atheismum in animo fovère, vel Indifferentissimum &c. dicereque in corde suo: non est Deus: non est altera vita: nulla est Religio in Mundo. Vel: omnis Religio, quacunque sit, placet DEO &c. vel saltem de hujusmodi principijs addubitare. Hi mentem suam vel nunquam vel non perfectè exprimunt, præsertim calamo, ne, quales sunt, etiam alijs appareant sceleratissimi, & nil nisi carnem ac terrena sapientes. Frequentius aliquid produnt colloquò, jam inter notos apertè, jam inter ignotos obscure, discursus, ut aiunt, gratià, de rebus fidei gravissimis haud aliter ac de novellis aut negotijs politicis differentes; insuper tam ambigè, ut nescias, cujus sint toni, quid credant, quid negent, cum omnia negare cuperent. Hos profana Politicæ Epicureos Ministros & Nigræ Aule alumnos confutare

præviè necesse est, haud aliis tamen argumentis, quàm quæ ratio & lumen naturale omnibus inditum subministrat; siquidem Scripturam flocci habent, vel pro libitu tractant, Patres contemnunt vel rident ut simplices Monachos, Miracula explodunt &c. Quo pacto complanata sensim vià ad debellandos aratis nostræ Sectarios, videlicet Lutheranos præcipuè, tum & Calvinistas, aliosque ab avita fide Ecclesiæ Romano-Catholicæ apostatas accingemur. In hac igitur Controversia I. demonstrabimus 1. existentiam alicujus DEI. 2. unius DEI. 3. providi & justii DEI, qui præmia Bonis & supplicia Malis vel in hac vel in altera vita certè reddet; unde inferetur animæ rationalis immortalitas. 4. existentiam alicujus Religionis à DEO revelata. 5. unius tantum. 6. & quidem Christianæ. 7. proinde Judæorum. 8. & Turcarum sectas evidenter falsas esse. 9. ex Christianis autem non nisi unicam esse veram. Quibus fundamentis solidè firmatis proximum quidem & ordinatissimum esset mox inquirere, quam ex tot & tam diversis Religionibus, quæ Christianum sibi nomen adsciscunt, vera sit, ut sic rejectis *Judaismo & Paganismo* mox omnis quoque *Hæresis* reselleretur, ac proinde omne *Infidelitatis* genus. Quod fieret, si statim subjungeretur tractatus de *Ecclesiâ*. At verò, quoniam cum ijs dimicandum est, qui nil nisi Scripturam, seu scriptum DEI verbum, audiunt & obrudunt, nec alteri argumento vim infallibilem ad probanda fidei mysteria adstruunt, nisi ex SS.

Lir-

teris petito, auctoritate omni Traditionibus & Ecclesiæ penitus ademptâ: expedire, quin & necessarium esse iudicavi, prius tractare de *Scriptura*, ubi evidenter contra Adversarios ostendam, etiam ex Verbo Dei non scripto, sive Traditionibus, & Ecclesiæ definitæ auctoritate, æquè firma, ac ex Scripturis, argumenta peti posse, quin & debere, cum sine his nec de Scripturis nec de earum genuino sensu infal-

libiliter constare queat. Cudere in hoc tractatu prius arma oportet: quo labore simul Adversarij eripiemus sua: quo facto nec aggredi nos, nec se à nobis oppugnatos defendere haud satis valebunt amplius. Tum demum monstrabimus ipsis illam Ecclesiam, velut currim Davidicam, ex qua pendent mille clypei, & omnis armatura fortium contra omnes Veritatis Christiano-Catholicæ adversarios.

## ARTICULUS I.

Existit aliquis Deus.

*Contra Atheos.*

### SUMMARIUM.

- |   |  |
|---|--|
| 1. Deus sub triplici ratione consideratur, & existere demonstratur.               | 5. Secundo sub ratione supremi Re-<br>toris, & iusti Remuneratoris.  |
| 2. Primo sub ratione Entis improducti, & necessarii.                              | 6. Terrio sub ratione Entis summe<br>perfecti.   |
| 3. Etiam permissio aliquo in infinitum processu.                                  | 7. Nihil impedit, quod aliqui vel ne-<br>gent, vel ignorent Deum: aut<br>quod jubeamur credere existen-<br>tiam Dei. |
| 4. Nec obstante, quod argumentum ducatur à sensu Distributivis ad<br>Collectivum. |  |

1. **S**Ciendum, *DEI* nomine intelligi 1. Ens à se, improductum, necessarium in existendo, causam primam rerum omnium, & Conditorem totius Universi. 2. Supremum & æquissimum Mundi Rectorem, qui Bonos condignis præmijs afficit ut liberalis Remunerator, Malos verò meritis pœnis persequitur justus Vindex. 3. Ens infinite perfectionis, quo nihil majus nihil melius

excogitari potest. Hoc ens sub hac triplici ratione consideratum existere, cum Philosophis ex naturali lumine demonstrare aggredior, imprimis quidem sub ratione entis à se, improducti, necessarii, cause primæ &c. dein sub ratione æquissimi Gubernatoris, & Judicis, demum sub ratione entis perfectissimi. Quamquam enim nemo facile se Atheum profiteri audeat, postquam

quam tamen Machiavelli principia, qui DEI nomen ad terrendos tantum & in officio continendos homines excogitatum blasphemavit, placuere multis, ve reor sanè, ne pestilens Atheismi venenum etiam eorum animos infecerit, cupientes remotum, qui malefacta castiget, ut liberius in flagitia rucere possent. Contra hos

1. Dico 1. Existencia DEI tanquam entis Improducti, Necessarii &c. evidenter inferitur ex creaturis actu existentibus, ita ut à nullo sanè mentis negari possit. Probatur 1. adducendo sequens argumentum: evidens est ab experientia, dari ens productum: ergo & evidens est dari *ens improductum*: ens improductum est Deus: ergo evidenter datur Deus. Consequentia prima, quam solam negat Atheus, sic probatur: ens productum est evidenter productum ab alio priore se (nihil enim potest producere se ipsum, aliàs operari posset, antequam existeret, quod evidenter implicat) ergo est productum ab alio: atqui istud aliud non potest esse ens productum; quia semper redit quæstio, utrum sit productum ab alio, pariter productum, in infinitum: ergo debet deveniri ad ens improductum, vel admitti processum in infinitum in causis producentibus, qui est impossibilis, vel dici, quòd duo vel plura entia se mutuo produxerint causalitate mutua, quæ evidenter repugnat.

Prob. 2. adducendo aliud medium: evidens est dari ens contingens (hoc est, tale, de cuius essentia est *posse existere vel non existere*) ergo etiam evidens est dari *ens necessarium* in existendo,

R. P. Pichler Theol. Polemica.

quod est DEUS. Conf. Prob. si datur ens contingens, seu indifferens ad existendum vel non existendum, evidenter debet dari aliquod ens, quod istam indifferentiam tollat, & entia contingencia determinet ad existendum potius quam non existendum: atqui istud ens, quod debet tollere indifferentiam, evidenter non potest omne esse contingens: ergo evidenter debet dari aliquod ens non contingens, adeoque necessarium, si detur aliquod ens contingens. m. P. si omne ens tollens indifferentiam pariter esset contingens, fieri potuisset evidenter, ut aliquando nullum ens existeret: sed hoc est evidenter falsum; si enim aliquando nihil existisset, vel fieri potuisset, ut omnino nihil existeret; hoc ipso nihil amplius fuisset possibile & producibile; à quo enim produceretur aliquid, & determinaretur ad existendum, si omnino nihil existeret? ergo non omne ens, entia contingencia determinans ad existendum, potest esse contingens, sed aliquod evidenter debet esse necessarium.

Objicies 1. Utrumque argumentum supponit implicantiam processûs in infinitum: sed non est evidens, implicare processum in infinitum: ergo neutrum evidenter probat existentiam Dei. R. quamvis plerumq. optimo jure negent Min. & dicant, evidenter repugnare, infinitam retro seriem causarum jam existisse; nihilominus tamen gratis & causæ bonitate freti permittamus Atheo processum causarum & entium producentium ac productorum infinitum, sed talem tamen 1. in quo præ-

G

cin-

scindatur, utrum omnia entia, ab aeterno per infinitam seriem producta, sint producta ab alio producto vel improducto; & an sint causae adequatè & absolute sufficientes, vel tantum inadèquaturè & conditionatè sufficientes; si enim permetteretur Atheo, quod infinita series entium productorum sit producta ab alio producto, & causae in infinita serie existentes sint *adequatè & absolute* sufficientes, daretur ipsi, quod est in questione; quia de hoc quaritur, utrum omnia & singula entia producta sint producta ab alio pariter producto tanquam à causa adequatè & absolute sufficiente sine ente *improducto*. 2. talem processum, de cuius possibilitate certò non constet, sed dubitetur adhuc; ut adeò, si per argumentum aliquod evidens consecutivè iterum fortè destrui contingeret, qui ipsi tanquam incertus interea permissus est, processum in infinitum, sibi imputare debeat Atheus, quod structuram suam tam labili fundamento inædificavit. Hoc itaque processu gratias etiam permissio existentiam Dei adhuc demonstro, &

Sic argumentor: Tota collectio entium successivè productorum, etiam si fingatur infinita, est producta necessariò ab alio adequatè à se distincto (cùm evidenter nihil possit vel inadèquaturè se ipsum producere) ergo est producta ab ente improducto. Ant. admittere debet Atheus, nisi velit admittere, quòd aliquid se ipsum, vel duo se mutuo producere possint, quod utrumque ratio naturalis horret. Conseq. est clara; si enim omnia producta sint

producta ab alio adequatè ab entibus productis distincto, istud aliud evidenter nequit esse ens productum; alias daretur ens productum extra omnia producta, quod in terminis repugnat. Ant. ulterius confirmatur: tota collectio infinitorum entium & causarum productarum est sibi insufficientis ad absolute existendum; quia est constat ex meris entibus insufficientibus, quae nullam prorsus habent virtutem ex se, & absolutam, sicut existendi, ita & producendi aliud ens, sed tantum conditionatam, si ab alio adequatè à se distincto producantur, & aliquam activitatem accipiant: ergo evidenter requirit causam adequatè à se distinctam, à qua accipiat suum esse & virtutem operandi. Rem accipe in exemplo: finge infinitum numerum caecorum, quorum nullus habet oculum ad eliciendam visionem necessarium; vel infinitam copiam pauperum, quorum nullus vel obolum habet: tam parvum videbunt infiniti caeci simul sumpti, ac quilibet seorsum; & tam parum divites erunt omnes pauperes simul, quam singuli seorsum: ergo etiam infinita collectio, vel infinita successio entium productorum, de se absolute & adequatè insufficientium ad existendum & producendum, erit aequè insufficientis ad absolute existendum & producendum, quam singula seorsum; cùm insufficientia addita insufficientia non tollat insufficientiam, sicut caecitas addita caecitati non tollit caecitatem, & paupertas addita paupertati non tollit paupertatem, sed potius auget: ergo cùm singula existere vel existisse infinitas in-

subi-

sufficiencias ad existendum (nimirum infinita entia producta) necessario & evidenter admitti debet aliud ens, quod ex se sit sufficiens, & improductum, à quo illa suam existentiam & virtutem producendi accipiant. Audi aliud exemplum: sit catena longissima in aere suspensa, quam finge extensam sine fine, & habere infinitos annulos, quorum nullus potest pendere sine fulcro sustentante se propter gravitatem suam, qua tendant ad solum: hi annuli, etiamsi fingas infinitos, cadent deorsum, nisi ad aliquam deveniatur, qui cadere non possit, & simul sustineat reliquos omnes: cum igitur ad nullum ex tota collectione infinitorum annulorum deveniri possit, qui polleat hac virtute pendendi in aere sine alio sustentante se, cum omnes & singuli sint ejusdem naturæ; debet necessario deveniri ad aliam virtutem extra infinitos istos annulos inter se connexos, à qua sustineatur tota catena etiam infinite protensa. Sic pariter deveniri debet ad aliquam virtutem extra collectionem omnium productorum existentem, à qua suum esse, & illam, quam habent, operandi virtutem acceperunt. Verbo: ostendi non potest, neque capi, quomodo in meras insufficientias venerit sufficientia producendi, nisi deveniatur ad aliquod ens extra omnia entia producta existens, sibi & alijs sufficiens, quod est Deus.

4. Ob. 2. Hoc argumentum ducitur à sensu distributivo, ut loquuntur Scholæ, ad sensum collectivum: sed hujusmodi argumenta non sunt legitima: sic trique male inferitur: singuli homines  
R. P. Fichler Theol. Polemica.

habent tantum unum caput: ergo etiam tota collectio habet tantum unum caput: possum portare lapidem A. lapidem B. &c. ergo possum portare omnes simul & collectivè sumptos, sicut possum portare seorsum & distributivè acceptos: ergo allatum argumentum non est legitimum & efficax. *sz. transf.* M. D. m. non est legitimum formaliter, hoc est, non bene concludit in omni materia C. m. non est legitimum materialiter, seu in quibusdam certis materijs. N. m. & coal. Evidenter concludit legitime in allatis exemplis de cæcis & pauperibus; & rectè inferitur: singuli cæci non vident: singuli pauperes nihil habent: singuli famelicis indigent cibo: ergo etiam omnes simul sumpti. Quando igitur & in quibus materijs concludit legitime? *v. tunc,* quando prædicatum convenit partibus subjecti præscindendo, utrum dicatur de singulis seorsum vel omnibus simul sumptis, & non convenit singulis propter negationem aliarum partium: sic istud prædicatum *indigere cibo* (quia præscindit, utrum dicatur de famelicis singulis seorsum, vel de omnibus simul sumptis, nec convenit famelicis propter negationem aliorum famelicorum) non tollitur, etiamsi dicatur de pluribus, imò omnibus (etiam, si velis, infinitis) famelicis. Tale prædicatum quoque est esse productum ab alio, esse insufficientem ad existendum &c. abstrahit enim, sive dicatur de singulis, sive de omnibus, sive etiam de infinitis entibus productis & insufficientibus.

Dico 2. Existencia DEI etiam ut supra  
C. 2. prem.

premi Rectoris, Remuneratoris, & Vindicis evidenter demonstrabilis est. Probatum afferendo argumentum sequens: Hæc propositio, *nullus existit DEUS*, est evidenter falsa: ergo ejus contradictoria est evidenter vera, nimirum hæc, *aliquis existit DEUS*. A. P. illa propositio est evidenter falsa, ex qua sequuntur evidentes falsitates & absurda manifesta; cum juxta Dialecticæ Leges falsum non ex vero, sed ex falso sequatur: sed ex hac propositione, *nullus existit DEUS*, sequuntur evidentes falsitates, & manifesta absurda: ergo. Nisi enim hæc propositio esset falsa, sequeretur 1. actus Religionis, charitatis DEI, timoris DEI &c. esse stultos ac rationi repugnantes: contra odium DEI, blasphemias &c. esse actus honestos & rationi conformes. 2. nullum virtutis premium esse sperandum Bonis, nullum sceleris supplicium pertimescendum Malis; cum nemo esset, qui occulta scelera, aut virtutes heroicas, præsertim in agone exercitas, aut sciret, aut remunerari vel punire posset. 3. homines innumeros & sæpe omnes omnium ætatum & locorum, atque ex iis sapientissimos quosque ac integritate vitæ clarissimos, qui semper pro certissimo habuerunt omnes, existere Deum, fuisse deceptos in re gravissimi momenti, ac in fundamento omnis honestatis: contra pauculos quosdam sceleribus infames, & nulla sapientiæ laude claros (Atheos nempe) veritatem summam esse consecutos &c. Hæc autem & similes sequela sunt utique falsitates evidentes & absurda manifesta, recte rationi

quàm maximè contraria. Hoc argumentum vocatur *Morale*, non quòd moralem tantum certitudinem pariat de DEO, sed quòd ad formandos mores serviat.

Dico 3. Existentia DEI etiam ut entis summè & infinitè perfecti, quo melius excogitari nihil potest, demonstrabilis est. Probatum per hoc argumentum: evidens est, unum ens ex illis, quæ actu existunt, esse melius & perfectius altero: sic utique homo est melius quid brutò, plantà, lapide, aquâ &c. Ergo evidens est dari aliquod ens ex actu existentibus optimum: sed quod ex omnibus existentibus est optimum, evidenter etiam ex omnibus possibilibus est optimum: ergo evidenter datur actu ens omnium tam existentium quàm possibilium optimum, seu tale, quo majus & melius dari ac excogitari nequit, quod est DEUS Optimus Maximus. Subsumptum ostendo: quidquid est possibile, debet posse produci in virtute alicujus causæ actu existentis, ut nemo sanus negat: sed nulla virtus existens potest producere ens se ipsà melius & perfectius tanquam causa totalis, ut iterum est manifestum, & nemo prudentum negat, cum salutem in causa principali (consequenter in causa adæquata) requirant omnes ad minimum tantam perfectionem, quanta est effectus, cui dat existere: ergo aliquid actu existens debet esse virtus & causa totalis (in actu primo) omnium possibilium: atqui hæc virtus & causa est evidenter melior omni possibili & producibili; quia, quod est possibile, non autem existit, caret maxima



perfectione, scilicet existentia actuali, quam tamen habet res actu existens. Unde & consecrarium est, ens summè perfectum, nempe DEUM, si admittatur possibilis (quod ostendit hoc ratiocinium) necessariò existat actu; cum debeat habere actu omnem perfectionem possibilem.

Confirmatur considerando mundum & res actu existentes, præsertim solem, lunam, stellas, plantas, animalia etiam minima, præcipuè hominem, in quibus omnibus & singulis tam admirabilis reperitur structura, pulchritudo, symmetria, & ordo, ut oculis & omni ratione captum esse necesse sit, qui prudentissimum, & infinita perfectionis Architectum inde non deducat, & DEUM ex his, quæ facta sunt, non videat. Attendat Atheus & seipsum contempletur, nimirum admirabilem sui corporis organizationem, ejusque virtutem plasticam, ut vocant, potentiam videndi in oculis, & ipsam visionem, potentiam intelligendi in cerebro & ipsam intellectionem, prolocutionem sui conceptus &c. & admirans, non capiens se, fateri cogetur, se esse opus summè perfecti artificis.

Ob. 3. Multi ignorant, vel omnino negant DEUM: sed quod est evidens, ignorari nequit: ergo. 2. Juxta nos credi debet existentia DEI: sed quod evidenter scitur, non potest credi: ergo existentia DEI non est evidens; vel si evidens, credi nequit. 3. ad 1. Negando M: quod multi ignorant vel negant DEUM; siquidem Plutarchus rectè pronuntiavit, potius conspicendam esse urbem sine sole, quam sine DEO

& Religione. Et Cicero ait, nullam esse gentem tam immansuetam, quæ non, etiamsi ignoret, qualem DEUM habere deceat, tamen habendum sciat. Si aliqui sint, qui ignorant DEUM, inde fit, quia nunquam se seriò applicant ad hanc veritatem cognoscendam, sed sponte ac ex perversa voluntate quasi valvas obducunt, ne hanc lucem videant, & oculos perversè deflectunt vel claudunt, ne ex creaturis Creatorem, quod facillimum foret, cognoscant. Ad 2. D. m. tripliciter, 1. quod evidenter scitur, non potest credi sub illo motivo, sub quo scitur. C. sub alio motivo N. m. DEUM existere credimus sub motivo obscuro Divina revelationis, evidenter scimus sub motivo evidentium argumentorum, quæ attulimus. 2. quod evidenter scitur, non potest credi tunc, quando motiva evidentia per discursum sunt actu applicata, seu in sensu composito, transeat, quando non sunt actu applicata, seu in sensu diviso. N. m. 3. non potest credi sub illo prædicato, sub quo scitur, transf. sub alio prædicato. N. m. Credimus DEUM sub ratione Remuneratoris supernaturalis, scimus DEUM sub ratione entis improducti, causa primæ &c. Quamquam ego non negem, DEUM etiam sub his prædicatis credi posse juxta duas priores responsiones.

Urgebis: innumeri Gentiles non agnoverunt verum DEUM: ergo existentia DEI non est evidens. R. N. C. aliud enim est nòsse, quod detur Deus, & aliud est nòsse, quis ille sit DEUS, & qualis. Priorem veritatem Natura ipsa omnes universaliter docet, non ita po-

steriorem: sicut Natura universaliter omnes docet præstitutam homini esse aliquam beatitudinem, non tamen ita docet, in quo consistat illa beatitudo, quæ & qualis illa sit: Omnesimus, dari continuum, quid autem illud sit, ignoramus passim. Ceterum tibi nullum moveat scrupulum turba Atheorum, præfractè intra se DEUM negantium, vel potius negare conantium: partim quia eos insanire hucusque ostendimus, partim quia ipsimet internis stimulis supremum Legislatorem & Vindicem agnoscere compelluntur, adeoque DEUM suo suffragio velinviti confiteri: nam & ipsi in subitis casibus (ubi Natura, non Consilium, operari con-

suevit teste Philosopho) in subitis periculis DEUM & ejus opem inclamant, ob immissa mala eum blasphemant, ob admisa etiam occultissima crimina timent, malefactorum memoriâ torquentur lancinante miseris conscientia, instante morte exhorrescunt &c. Sed ista non facerent, nisi agnoscerent, vel agnoscere à Natura cogerentur aliquem, qui omnia sciat, omnia possit, omnia condignis præmijs vel supplicijs afficiat &c. Quem igitur rationum pondera obstinatum non permovent ad agnoscendam DEI existentiam, tandem propria conscientia convincit.

## ARTICULUS II.

Existit unicus tantum Deus.

*Contra Gentiles Idololatrias.*

### SUMMARIUM.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Multos & varios superstitiosa Antiquitas coluit Deos. | 4. Ex Trinitate Personarum non inferuntur tres Dij. |
| 2. 3. Sed ineptè, & contra lumen rationis.               |   |

1. Sciendum, Quamvis Polytheismus, seu secta plures agnoscens Deos, sit evidenter contra lumen rationis, & scelus Atheismo par, vel etiam majus; innegabile tamen est, plurimas & integras nationes, imò antè Christi tempora totum fere Orbem in hoc execrandum Idololatriæ scelus prolapsum esse, & rebus innumeris, etiam vilissimis, Deitatem & Divinos honores tribuisse. Sic

Perse Cælum & Jovem tanquam suprema Numina coluere: Sic Egyptij Serapim & Crocodilos sibi deos fecerunt: Sic Arabes Jovem & Bacchum, Indi Solem, Phryges Lunam adorârunt. Romani, sicut cæteros populos potentia, ita in accumulandis Dijs stultitia antegressi tot Numina sibi colenda finxerunt, ut ingens volumen vel referendis eorum nominibus vix sufficeret Rur:

Ruri deam Rurinam, vallibus Valloniam; Montibus Deum Montinum, domibus deos Penates aut Lares &c. præfesse commenti sunt. Credibile tamen non est, prudentiores, quales fuerit Plato, Aristoteles, Cicero, Seneca &c. agnovisse tot Numina, quot ex metu Imperatorum vel insipientis Vulgi exterius adorabant, ut colligere licet ex eorum libris.

1. Dico. Evidenter repugnat, plures dari deos, quam unum. Demonstratur 1. Si plures sint Dij, vel omnes habent potestatem & libertatem faciendi, quod lubet, vel aliqui tantum, vel nullus? quidquid dicatur, dicitur aliquid evidenter absurdum & falsum: ergo. m. P. si nullus: ergo nullus omnino est Deus; qualis enim, obsecro, Deus sit, qui caret viribus & libertate disponendi pro libitu? qui dependet ab alijs, qualis Dominus? si aliqui: ergo reliqui non sunt Dij: dein si plures (sive omnes, sive aliqui tantum) habent potestatem & libertatem faciendi, quod lubet, possunt facere & velle contradictoria, & contraria. v. g. unus pluvias, alter serenitatem, unus salubrem mortalibus autam, alter pestem, unus te ordinabit ad sceptrum, alter ad mortem: *Mulciber in Trojam, pro Troja stabit Apollo*, unus eam everfam, alter non everfam cupiet &c. Sed hæc & similia sunt evidenter falsa & absurda; nam evidenter ex his Dijs litigantibus non omnes possunt esse victores, cum talia inter se pugnantia poni nequeant: Miseri igitur dij erunt, qui debent succumbere, & miseri, qui non sicut jurgijs, rixis, & dissidijs possunt vitare:

implicat autem evidenter miser DEUS: ergo.

Demonstratur 2. Si plures sint Dij, vel omnes sunt inter se æquales, & summè excellunt: vel unus est major cæteris, & solus summè excellit, estque tale ens, quo majus, & cui æquale nec datur nec dari potest? si unus est major cæteris, solusque summè excedit: ergo cæteri hoc ipso sunt exclusi de numero Deorum; evidenter enim implicat Deus, qui non sit ens summè excellens, non supremus Dominus, qui alium superiorem se agnoscere debeat. Si omnes sint æquales, hoc ipso nullus erit DEUS, eò quòd nullus sit summè perfectus, habens omnem perfectionem possibilem; cum singuli careant ijs prerogativis, quæ reperiuntur in cæteris. Porro si plures inter se æquales admittantur Dij, debent admitti numerò infiniti Dij; quod ostendo: ubi aliquando admittitur multiplicatio individuum possibilis, eam sine fine extendibilem fateri necesse est; quid enim prohibet, cur ex individuis omnino æqualibus addi nequeat secundo tertium, tertio quartum, & sic in infinitum? Si autem aliquando concedas, possibiles esse plures & plures Deos in infinitum, infinitos acta existere inficiari nequis: siquidem in entibus Necessarijs & Improductis (quòd dijs proprium esse debet, ut ex nomine & notione Dei patet juxta ea, quæ dicta sunt art. præced. ad initium) perinde est posse existere, & actu existere. At quis non rideat infinitam Deorum multitudinem? Nec terra duos Soles, nec regnum duos patitur reges: & rex regum Divinitatis sua

supremæque potestatis non unum, non mille, sed infinitos patiatur socios?

4. Objicies: etiam Christiani adorant tres Deos, tres adorando Personas Divinas: ergo tam absurdum & falsum non est admittere plures Deos. R. N. Ant. & suppositum, quod cum Personis Divinis multiplicetur Deitas seu Natura Divina: Nos unam Deitatem, unam Voluntatem Divinam admit-

timus, unam Sufficientiam, Potentiam, Sapientiam infinitam, in triplici Persona subsistentem, unum Omniscium, unum Omnipotentem, unum Immensum, unum Dominum, consequenter & unicum adoramus Deum. Aliter longè se res haberet in pluribus Dijs; nam quilibet eorum esset alius à cæteris Deus, alius Intellectus, alia Voluntas, Potentia &c.

## ARTICULUS III.

Datur altera vita, & quidem immortalis.

Contra Epicureos & Divinam Providentiam negantes.

### SUMMARIUM.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1. Epicuri assecra putant, vel potius optant animam perire in morte hominis.</p> <p>2. Sed ex lumine naturali evidens est, illam saltem per aliquod tempus debere existere separatam à corpore.</p> <p>3. 4. Imò exigere aeternam existere, adeoque immortalem esse.</p> | <p>5. Virtus ipsa non est sibi sufficiens premium, nec scelus sibi compensans poena.</p> <p>6. Anima aliquando existens à corpore separata semper exigit existere, quia semper habet finem.</p> <p>7. Qua contra Immortalitatem animæ rationalis adducuntur, levissima sunt.</p> |
|---|--|
- I. Sciendum, quamvis fide divina credendum sit, animam hominis post fata supersistere esse, ac aeternam durare; id ipsum tamen contra Epicuri assecras &c. tanquam fundamentum omnis honestatis ratione naturali demonstrandum est, animam rationalem nimirum talis esse Naturæ, ut exigat perpetuam sui conservationem, adeoque immortalitatem habere *naturalem* (non *essentialem*, quæ soli DEO com-

petit) ut hoc pacto homines carni & sceleribus immersos, qui se ipsos lactare contendunt inani spe, animam à corpore separatam simul perire, communem cum bestiis interitum optantes, postquam moribus & vitâ in bestias commigrarunt, ne metu futurorum suas sibi voluptates reddant amaras: ut, inquam, hos terrenis immersos homines salubri timore percussos à periculo suo sopore excitemus, quò aper-

tis tandem oculis sua videant discrimina, ac meliorem, quam hujus vite amaras delicias, felicitatem querant. Itaque

2. Dico 1. Evidens est, animam rationalem hominis post mortem hominis saltem aliquanto tempore manere superstitem. Probatum. Evidens est, Deum esse Providum & Justum: ergo evidens est, animam rationalem saltem aliquanto tempore post mortem hominis supervivere. Ant. est clarum, quia DEUS, utpote eas illimitatum & infinite perfectum utique non potest esse tam insipiens, ut rebus, quas condidit, praesertim homini, non praestituat finem, & ad hunc finem suppeditet media (in quo consistit Providentia) nec utique potest turpissima injustitiae labe aspergi. Conf. prob. Si anima post mortem hominis non superviveret, saepe gravissima flagitia manerent impunita, praesertim illa, quae in ultimo vite articulo à morientibus perpetantur; & praclarissimae virtutes, praesertim in agone fortiter exercita (ut siquis pro patria, pro DEO mortem oppetat) debito carerent premio: Sed si hoc fieret, DEUS nec Providus esset nec Justus: ergo. Non Providus, quia veller, ut homines bene pieque viverent, ac virtutes heroicæ exercerent, interim tamen medium ad id summè necessarium non suppeditaret, scilicet premium pro vita honestè & sanctè, poenas autem pro vita sceleratè & impiè traductà & finitâ. Non Justus, quia improbos diuturna felicitate bearet saepe per totam vitam, nunquam propter scelera sua

R. P. Pichler Theol. Polemica,

puniendos; probos verò sibi obsequentes multa vexaret calamitate saepe per totam vitam, nunquam ob suas virtutes ullam consecuturos felicitatem. Certè futuri mali metum & secuturi boni spem Natura omnibus indidit, imò indere debuit, ut homines haberent sufficiens frænum, quo retrahantur à vitijs, & sufficiens calcar, quo stimulentur ad ardua virtutum. Quod autem Natura universali docet magisterio & instinctu, manifestè à Deo est, & falsum esse nequit.

3. Dico 2. Si anima rationalis à Corpore separata aliquanto tempore vivit & existit, evidenter semper exigit vivere, consequenter naturaliter immortalis est. Prob. 1. Illud exigit semper existere vel vivere, quod semper habet finem, propter quem existit vel vivit, & nullum contrarium, quod exigit ejus destructionem: item cujus causa conservativa nunquam deficit, & quod non dependet ab alio tanquam fulcro, nimirum subjecto aliquo. Atqui anima rationalis semel existens post mortem hominis semper habet finem, nullum contrarium: item semper habet indeficientem causam sui conservativam, nec dependet à subjecto tanquam à fulcro: ergo exigit semper existere & vivere, adeoque naturaliter immortalis est. M. est clara ab inductione, quia quidquid naturaliter desinit esse, desinit propter unam ex allatis quatuor causis: patet id ipsum ex eo, quia DEUS ut Author Naturæ debet rem tamdiu conservare, quam diu res exigit conservari: sed res exigit conservari tamdiu, quamdiu non datur 2-

D

gens

gens fortius contrarium, vel non subtrahitur fulcrum, cui innitur, & quantum habet finem adhuc aliquem primum, propter quem est producta. in quo ad ultima duo membra est evidens; nam causa conservativa (sicut & productiva) est DEUS solus, qui utique non deficit: à subjecto autem tanquam à fulcro utique non dependet, dum actu jam existit separata à corpore, suo quondam subjecto. Igitur probanda sunt priora duo membra: primum de *fine*, de quo est maxima lis, sic ostendo: naturalis finis anima rationalis primarius est duplex, constituere totum compositum unà cum corpore, & operari modo sibi conformi, scilicet eliciendo, intellectiones & volitiones; prior finis patet inde, quia non producitur primitus, nisi statim recepta in corpore; posterior hinc, quia propter dictas operationes potest existere saltem aliquanto tempore separata à corpore: sed hunc finem posteriorem obtinere potest per totam aeternitatem; quia, si semel possit cognoscere & velle separata à corpore, semper potest; cum idem manens idem semper faciat idem: ergo. Secundum membrum de *contrario* sic demonstro: Si anima post mortem haberet contrarium, tunc illud vel esset substantia vel accidens? non substantia, quia nulla substantia immediate formaliter & in se est contraria alteri: non accidens: quia vel esset accidens materiale vel spirituale? materiale non adversatur formae spirituali, praesertim non amplius unita corpori, spirituale verò recipitur in illa tanquam suo subjecto connaturali: ergo nullum da-

tur contrarium, animae destructionem exigens.

Prob. 2. Evidenter impossibile est, ut verum non sit, quod pro vero habent & semper habuerunt sapientes & probi omnes omnium nationum, omnium temporum, dissentientibus solum paucis & flagitiosis hominibus: atqui animam hominis esse immortalem pro vero habent & semper habuerunt sapientes & probi omnes omnium nationum, omnium temporum, paucis tantum (Epicureis nempe & Machiavellistis carni immerfis) contrarium somniantibus, & vix eloqui ausis: ergo evidenter impossibile est, verum non esse, quod anima hominis sit immortalis. Ma. constat, quia Natura non potest tam universalem sensum, qui tamen falsus sit, omnibus implantare; aliàs enim censetur Deus nos decipere, & sequeretur, Deum omnibus probis, & sapientibus voluisse abscondere veritatem aliquam maximi momenti, revelare autem paucis quibusdam sceleratis; quod per se absurdum est & blasphemum dictum. Min. ostenditur ex ritibus & dogmatis omnium nationum ac populorum, Christianorum, Judaeorum, Paganorum, & Gentilium, qui omnes in hoc conspirant. De Christianis, etiam haereticis, id aperte profitentibus, patet ex singulorum Symbolis: de ceteris patet ex libris Historicis, & etiam inde colligitur, quod tot & tantos honores superstitione etiam exhibuerint defunctis: quod de mortuis non nisi bene loquendum censuerint: quod totis viribus perennem sibi gloriam & beatitudinem

dinem nunquam finiendam comparare conati sunt &c. Conspirant antiqui Philosophi Trimegistus, Socrates, Thales Milefius, Diogenes, Pythagoras, Plato &c. Singuli cum longa suorum Scholarum appendice. Aristoteles quamvis nonnunquam videatur dubie loqui, satis tamen clarè immortalitatem animæ rationalis asserit l. 2. de anima tex. 21. ubi ait: *intellectum* (scilicet animam rationalem) esse aliud genus animæ, & hoc solum posse separari (à corpore) Sicut perpetuum à corruptibili. Conspirant denique, vel nolentes, Adversarii nostri, ab instinctu naturali & conscientia sua compulsi, quæ ipsis nescio quæ mala post mortem ingrato præfagiò minitatur. Edicant hi tales, unde tantus ipsorum horror, tanta trepidatio in agone, vel mortis periculo? quid timeant, si parem cum brutis exitum expectant? quare ita horreat cadaver hominis mortui, non item cadaver equi vel bovis? cur cum exuvijs mortui hominis pernoscere non audent? vel si audent, cur ita reluctantem experiantur naturam?

5. Ob. 1. Ipsa virtus est sibi sufficiens præmium, & impietas sibi sufficiens pœna: ergo non est necesse, ut anima post mortem hominis maneat superstes ad recipiendum præmium vel pœnam. A.P. Ex virtute nascitur gaudium, quies, bona fama: scelus verò secum trahit remorsum conscientia, inquietudinem, infamiam: ergo. R. N. A. siquidem multi moriuntur in nobilissimis virtutum, alij in turpissimis vitiolorum actibus: ubi isti actus sua habent præmia vel supplicia?
- R. P. Pichler Theol. Polemica.

utique animam mortuam non mulcet gaudium, quies, & fama: nec remorsus conscientia, inquietudo, aut infamia affligit. Dein multi insigniter scelerati nullum amplius remorsum conscientia sentiunt, famam non curant, inò in sceleribus quarunt gloriam: vel si sentiunt remorsum, hic ipse remorsus satis indicat aliud supplicium imminens, cujus metum Natura omnibus implantare debuit: tolle merum ultioris supplicij, & mox omnis cessabit remorsus. Accedit, quòd profus inceptum esset & stolidum, si DEUS præcipiens actionem honestam, subinde valde difficilem, non aliam promitteret vel expectandam proponeret mercedem, quàm ipsam actionem honestam, ejusque difficultatem: vel si prohibens vitium non aliud statueret supplicium, quàm quod secum fert ipsum vitium. Hæc utique grata foret sceleratis hominibus pœna, præsertim voluptuosis.

Ob. 2. Finis animæ, separata aliquando à corpore, non semper durat: ergo nec anima. A.P. finis animæ, post mortem aliquanto tempore permanentis, est præmium vel supplicium: sed præmium vel supplicium non semper durat, saltem evidens non est, illud esse æternum: ergo. Confirmatur: ideo post mortem hominis exigit anima existere & permanere: quia ipsi debetur præmium vel supplicium pro bene vel male actis: ergo cessante hoc fine, qui non evidenter durabit æternum (quare enim ignis 100000. annorum non sit sufficiens supplicium, & maximum gaudium 100000. annorum non sufficiens

premium pro brevis vita malè vel bene gestis?) cessabit & anima. R. N. A. Ad P. D. M. finis adequatus est recipere premium vel supplicium. N. M. inadæquatus C. M. Percipere premium vel supplicium est tantum finis moralis, qui fortè non evidenter æternum durat (quòd enim defacto premium beatorum & supplicium damnatorum duret in æternum, certissima Fides docet, & incipsum aliqui evidens esse putant ex hoc capite, quia aliàs homines non satis efficaciter allicerentur ad bene agendum in omnibus, valde arduis, circumstantijs, & ad fugienda vitia, quando occurrit ingens difficultas) verum licet aliquando cessaret finis moralis spectando evidentiam naturalem, nunquam tamen cessabit alter finis, nempe physicus, qui consistit in cognitionibus & volitionibus circa alia objecta, quæ non necessarîo habent rationem præmij vel supplicij, propter quas anima, semel post separationem à corpore existens, exigit naturaliter semper existere. Ad Confirmationem D. A. ideo tantum, N. A. ideo & simul propter alias operationes sibi convenientes, abstrahendo, utrum ea habeant rationem præmij vel supplicij, nec ne. C. A. & N. C. Ex operationibus, in quibus consistit premium vel supplicium animæ, evidenter quidem cognoscitur, animam post mortem supervivere: ex eo autem, quòd aliquando possit supervivere separata à corpore, infertur ulterius, eam perpetuo exigere vivere, cum semper possit aliquas cognitiones & volitiones elicere, adeoque semper habeat finem suum physicum. Id verum est, quòd

independentem à præmio vel supplicio, quòd anima in hac vita promeretur, non tamen recipit, non ita evidens sit, animam extra corpus existere, & operationes nature suæ congruas elicere posse, sicut evidens fit ratione hujus præmij & supplicij.

Ob. 3. Quòd naturaliter producitur ex nihilo, etiam naturaliter potest redigi in nihilum: sed anima rationalis naturaliter producitur ex nihilo à DEO: ergo: non enim requiritur major virtus ad annihilandum quàm ad creatandum. 2. anima rationalis naturaliter producitur, quando in Embryone adsunt debite dispositiones ad unionem cum corpore: ergo etiam naturaliter destruitur, quando in corpore adsunt dispositiones debite ad dissolvendam unionem cum corpore. 3. Anima in corpore existens non habet vitam immortalem: ergo neque separata à corpore. R. ad 1. D. M. etiam naturaliter potest redigi in nihilum, si detur in creaturis aliqua exigentia ad destructionem animæ C. M. si nulla detur exigentia ad ejus destructionem N. M. DEUS ut Author Nature nihil agit, nisi ad exigentias creaturarum: nihil autem, ut supra vidimus, exigit destructionem animæ, à corpore aliquando separata. Ad 2. N. C. & paritatem: ad productionem animæ datur exigentia, quando posite sunt omnes dispositiones ad unionem illius cum corpore, non autem datur exigentia ad destructionem, quando posite sunt dispositiones ad unionem illius cum corpore destruvendam; cum anima etiam destructa unione ad corpus, & destructo homine, habeat ad-



adhuc finem suum primum, & operari possit: quamdiu autem res operari potest, tamdiu habet jus & existentiam existendi; esse enim est propter operari. Ad 3. iterum N. C. & paritatem; quia nihil est, quod exigat destrui animam separatam à corpore; plura tamen dantur, quæ vitam ejus corporalem destrucere possunt & destrui

exigant, uti morbi, vulnera &c. Deia rectè negaretur etiam A. quia anima, etiam in corpore adhuc existens, est & rectè dicitur immortalis, cum nunquam moriatur ipsa, sed tantum homo, qui est & dici debet mortalis, eò quòd moriatur aliquando per separationem animæ à corpore.

## ARTICULUS IV.

Existit aliqua vera Religio Divinitus revelata.

*Contra Deistas & Philosophastros Naturales.*

### SUMMARIUM.

- |   |   |
|---|---|
| 1. Nemo est, qui neget omnem omnino Religionem.                                       | 9. Qua nunc supposita notitia de Christo prudenter est innegabilis.                   |
| 2. Quid sit Religio.  | 10. Nec Lex & lumen natura satis determinat,  |
| 3. Debet revelari homini vel per lumen natura, quod dicitur revelatio Dei necessaria, | 11. Nec determinare est penes superiores,   |
| 4. Vel per lumen fidei, & revelationem liberam.                                       | 12. Nec penes quemlibet hominem, quo modo colendus sit Deus.                          |
| 5. Status questionis.   | 13. Non est contra rationem aliqua credere, qua superant rationem naturalem.          |
| 6. Admittenda est aliqua Religio liberè revelata.                                     | 14. Cur Deus voluerit nos dirigere non per solum rationis, sed etiam per fidei lumen, |
| 7. Quia revelatio Dei necessaria nimis est universalis.                               |   |
| 8. Quia omnes Nationes communiper suasionem judicaverunt semper, se pro-              |   |

fitiori Religionem liberè revelatam.

Sciendum 1. Supposita existentia ac Providentia, quæ contra Atheos & Epicureos evidenter demonstrantur à Philosophis & Theologis Speculativis,

neminem esse tam bardum & stolidum, ut neget omnem omnino Religionem, etiam *Naturalem*, seu illum cultum DEI, quem Natura cuilibet suggerit, utpote quæ omnibus sanæ mentis uni-

verſim dicat, Auctorem rerum omnium, totius Univerſi Dominum, Rectorem Mundi ſapientiſſimum, Ens infinitè perfectam, Deum optimum maximum aliquo modo amandum, glorificandum, adorandum, certisque ritibus colendum (ut hoc cultu mediante ſuam, quam naturaliter appetit felicitatem, obtineat homo) adeoque aliquam in Mundo Religionem eſſe neceſſariam. Quippe

2. Sciendum 2. Religionis nomine intelligi certam rationem & modum colendi Deum, vi cuius ipſi placere poſſimus in hac vita, & in altera (ſuppono enim animæ rationalis immortalitatem tanquam evidenter paulò antè demonſtratam ex principijs lumine naturali notis) obtinere felicitatem, ad quam creati ſumus, & cuius obrinendæ ſtimulos ipſa Natura indidit univerſis. Data explicatio eſt explicatio Religionis in abſtracto: nam Religio in concreto eſt congregatio hominum certâ normâ Deum colentium, & vocatur communiter Eccleſia.

3. Sciendum 3. Normam & modum colendi Deum debere proficisci ab ipſo DEO; niſi enim colatur, prout ipſe vult coli, cultus ipſi gratus non eſt. Unde ſuam voluntatem, & ſe colendi modum, homini manifeſter neceſſe eſt, ſive dein id fiat per lumen naturale, homini inditum, ſive per ſpeciale aliquam revelationem, naturali lumini ſuperadditam. Et hinc duplex poteſt diſtingui Religio, *Naturalis* & *Revelata*. Prior, quam voco naturalem, ſolum in genere dicat, DEUM eſſe colendum, & ea faciendâ, quæ dicat Jus Natura,

le, adeoque præter lumen & legem Natura nihil involvit: qui inſtinctus naturalis eſt revelatio quædam divina, per quædam principia univerſalia inſtruens hominem, qualiter ſe erga Deum & proximum gerere debeat. Vocatur hæc revelatio *neceſſaria*, quia Deus non potuit creare hominem ſine ejusmodi principijs & veritatibus innegabilibus, ipſi impreſſis: cujuſmodi veritates ſunt: *Deus eſt colendus, parentes ſunt honorandi, non faciendus alijs, quod ſibi quis fieri non velit, &c.*

4. Poſterior, ſeu Religio revelata, lumini naturali ſuperaddit lumen fidei, qua creditur DEO loquenti, & ſuam voluntatem diſtinctius revelanti per certa ſigna. Juri verò naturali ſuperaddit Jus Poſitivum, & Legem Divinam, qua homines obligantur ad certas actiones & ritus, quibus honorari vult DEUS. Et hæc revelatio, qua DEUS certos & ſingulares ritus, quibus honorari vult, homini manifeſtat, vocatur *Libera*, quia liberum eſt DEO ex innumeris poſſibilibus ritibus, quibus coli poteſt, hunc vel illum eligere & revelare. Proinde in Religione *Revelata* reperiuntur hæc duo. 1. *Oracula Divina*, ſeu locutio & revelatio divina libera, cui credendum & auſcultandum per *fidem*. 2. *Mandata Divina*, ſeu Lex à DEO ſpecialiter lata, cui obediendum per certas *actiones* honeſtas, & rectas. Per *fidem*, qua creduntur ea, quæ DEUS liberè revelavit, rectè ſentitur de DEO, ejusque voluntas cognoscitur: per *actiones* honeſtas, quibus obſervantur mandata DEI, ejusque voluntas impletur, rectè colitur DEUS

per

per ambas denique hominis promovetur felicitas.

5. Sciendum 4. Quæstionem hic esse, an necessariò admittenda sit Religio *Revelata*, an verò sufficiat *Naturalis*, ut olim sensitse dicuntur Philosophastri quidam, omnem omnino ritum, quem lumen & lex naturalis seu revelatio Dei necessaria suggerit, ad colendum Deum pro sufficienti Religione approbantes, per quam homo ad felicitatem sibi præstitutam pertingere possit. Tales fortassis etiamnum reperiuntur complures, qui cum Libertinis & memoratis Philosophastri saltè occultè sentiunt, lumine & Lege Naturæ contenti, nec alijs Divinis Oraculis fidem, nec alijs Dei jussis (imò nec istis) obedientiam præstant, nisi foris ad speciem. Contra hos *Deistas* dictos

6. Dico. Admittenda est Religio aliqua liberè revelata à Deo. Hoc est, præter ea, quæ docet & præcipit ipse naturalis instinctus, credenda sunt certa mysteria, & observanda quadam præcepta, specialiter & liberè à DEO revelata.

7. Probatür 1. Lumen Naturæ, seu Revelatio Dei necessaria solummodo docet in genere, quòd Deus sit colendus eo modo, quo vult coli: quis autem sit iste modus determinatus circa materiam, ritus, locum, tempus, aliaque adjuncta, non docet. Atqui hoc non sufficit, sed debet homini constare necessariò de modo determinato, quo Deus vult coli, quoad materiam, ritus, locum, tempus, aliaque adjuncta. Ergo Lumen Naturæ, seu Revelatio necessaria non sufficit, sed præter il-

lam debet dari lumen fidei & Revelatio DEI libera, hoc est, Religio aliqua liberè & specialiter à DEO revelata, quæ hominem doceat illum determinatum modum, quo DEUS vult coli. Majest clarè; si enim Lumen Naturæ nos doceret in particulari, per quas actiones externas & internas, per quos ritus quoad tempus, locum, aliaque adjuncta determinatos coli velit DEUS, nunquam potuisset oriri tanta Religionum varietas, quantam Mundus semper in se discillius aspexit: cum omnes homines in ijs, quæ singulorum mentibus impressit Natura, vel potiùs Auctor Naturæ, conspirare universali consensu soleant. Nimirum cultus in genere, quo Deum ab homine afficiendum esse lumen Naturæ dicit, & quem Deus exigere potest, est tam varius, & quoad materiam, circa quam versari debeat, ritus, locum, tempus, & alia adjuncta ita differens, & multiplex, ut is omnis ab homine præstari nequeat: item aliqua actiones, licet eas honestissimas esse lumen Naturæ dicit, sunt adeò difficiles, ut homini tam infirmo à Deo severè præcipi nequeant sine nota imprudentia & tyrannidis. Naturæ igitur lumen non determinat illum modum, quo DEUS in particulari (Nam cultus in genere, seu cultus ut sic, qui non sit circa certam materiam, cum certis ritibus, certo tempore, & loco, non est possibilis à parte rei) ab homine coli velit. Unde pariter evidens sit Min. quòd nimirum debeat necessariò constare homini per revelationem Dei liberam, qualem cultum in particulari, circa quam materiam, quas actiones

exte-

externas & internas, quos ritus, quo tempore, & loco, &c. exercere debeat, ut cultum DEO gratum exhibeat. DEO enim gratus esse non potest cultus, nisi quem ipse voluerit: quem verò velit, homo scire nequit ex solo naturali lumine; ac proinde necesse est, ut DEUS eum liberè revelet. Atque sic necessaria fit Religio aliqua *Revelata*. Et quidem ita revelata, ut de revelatione facta prudenter dubitari nequeat, nisi enim DEUS ijs signis ostenderet, à se hunc vel illum modum, quo coli cupiat, revelatum esse, ut de hac revelatione prudenter nemo possit ambigere, qui ea signa cognovit; obligare non posset homines ad ejusmodi modum recipiendum.

Ex quibus consequens est, hominem obligari 1. Ut DEO, certum se colendi modum revelanti, firmiter credat. 2. Ut DEO certum cultum præscribenti diligenter obediat. Adeoque Religio Revelata ex parte DEI requirit Revelationem & Legem, ut hominibus constet, quid nòsse & quid facere oporteat ad DEUM ritè colendum: ex parte hominis verò requirit fidem & obedientiam: illà cognoscit, istà exequitur voluntatem DEI: illà intellectus, istà voluntatis supremum obsequium præstat DEO: utriusque autem potentia tam internum, credendo & amando, quam externum, exterius profiteado fidem & mandata explendo, cultum exhibet.

3. Probat 2. Ex universali omnium hominum persuatione, & communi totius humani generis sensu: qui sensus communis & universalis persuasio, ut

pote à DEO Auctore Naturæ omnibus indita, tam parùm fallere potest, quàm parùm fallunt prima principia; DEUS enim & Natura non possunt universalem immittere errorem; aliàs DEUS mentiri (quod dicere stulta foret blasphemia) & nos nihil habere certi possemus (quod dicere cæca foret demencia) Jam verò quòd sit Universalis omnium, cæteroquin moribus, culturâ, studijs, genio, educatione, loco, tempore &c. plurimum inter se dissidentium hominum, & consequenter à Natura implantata persuasio, existere aliquam in Mundo Religionem à DEO revelatam specialiter & liberè, sic probatur. Totum genus humanum potest redigi ad quatuor classes, scilicet 1. Ethnicorum, seu Gentilium, & Paganorum. 2. Mahumetanorum, seu Turcarum. 3. Judæorum & omnium eorum, qui crediderunt vel adhuc credunt in Christum venturum. 4. Christianorum, seu omnium eorum, qui profitentur Religionem à Christo, quem jam venisse credunt, profectam & doctam. Atqui isti omnes omni tempore & omni loco judicabant, & adhuc judicant, se profiteri Religionem à DEO vel Dijs specialiter revelatam; quippe *Gentiles* existimant, suam Religionem provenire ab Idolis, qua sibi loqui, & certa sacrificia, ritus, & mandata, quibus certum sibi cultum expetebant, præscribere semper experiebantur. *Mahumetani* credunt, suam Religionem proficisci à suo Mahomete, quem habent pro maximo propheta, cui Deus per Archangelum Gabrielem suam vo-

luntatem revelaverit. *Judai* mordicus tenent, suam Religionem olim Patriarchis à Deo revelatam, & à Moysè Deo dictante tabulis conscriptam & promulgatam esse. *Christiani* denique dicunt, suam Religionem à Christo Deo Homine in Mundum esse invecctam, loquente nobis DEO in Filio. Nec fuit unquam gens tam inhumana, quæ non suos popas, sacrificulos, altaria, templa, & certos DEUM vel DEOS colendi ritus habuisset, rata, ejusmodi cultum, tanquam divinitus sibi revelatum, placere Superis, ac se obligari ad eosdem hac ratione colendos.

Neque hujus argumenti robur enervat, quod pauci quidam, naturæ, imò carni, nimis immergi Philosophi olim, & nunc in omnem licentiam effusi Libertini, contrarium sentire contentur; alias enim ex communi hominum judicio & universali persuasione neque existentiam Dei contra Atheos, neque immortalitatem animæ hominis contra Epicureos, neque honestatem virtutis v. g. temperantiæ contra helluones evidenter probabis, imò nec albedinem nivis, & existentiam motûs contra aliquos ex antiquis Philosophis.

9. Probatur 3. Est prudenter innegabile, quod Christus sit DEUS: sed Christus revelavit Mundo certa Mysteria, quæ credi, & certam Legem, quæ observari debeat ad se colendum, & hominem salvandum, adeoque liberè & specialiter revelavit Mundo aliquam Religionem: ergo est prudenter innegabile, quod defacto aliquam Religionem Mundo specialiter  
R. P. Pichler Theol. Polemica.

& liberè revelaverit Deus. Ma. probabitur articulo sequente. Min. est certa certitudine & evidentia facti. Utrum autem Religio, divinitus liberè revelata, necessario sit *supernaturalis*, seu ordinari debeat ad hominem perducendum ad felicitatem *supernaturalem*, qualis defacto est Christiana, nihil hic interest decidere. Certè cum status puræ naturæ non fuerit impossibilis, non video, cur in hoc statu non potuisset aut debuisset à DEO revelari hominibus aliqua Religio, quæ duceret eos ad felicitatem naturalem.

Ob. 1. contra 1. probationem. Ipsa Lex Naturæ satis nobis intimat voluntatem DEI, ac determinat modum, quo DEUS velit coli, dum nempe dicat, *honorandos esse parentes & superiores, neminem ledendum, jus suum cuique tribuendum &c.* ergo opus non est speciali & libera revelatione DEI. Et sanè, nisi Lex Naturæ sufficeret ad hominem perducendum ad suam felicitatem, valde esset inutilis & imperfecta. 2. Satis est, si Superiores determinent Jus Naturale, & præscribant certas leges honorandi DEUM: ergo Religio non debet esse revelata à Deo. 3. Quilibet per se ipsum potest sibi determinare modum colendi Deum, & sic sine revelatione DEI libera Deum colere, prout vult DEUS; cum enim DEUS per revelationem necessariam seu Legem Naturæ præcisè præcipiat se coli, non autem præcipiat modum se colendi, censendus est illius determinationem reliquisse in arbitrio hominis.

x. N. Ant. Nam Religio jubet nos  
E Deum

DEUM coleretanquam *supremam Excellentiam* : sed honorare parentes , neminem ledere &c. sunt longè aliæ virtutes, aliãque honestatem spectant : ergo quando Natura dicitur parentes esse honorandos, neminem ledendum &c. non dicitur Deum colendum tanquam *supremam Excellentiam*, ergo non dicitur ( quod tamen Religio ex essentia sua debet ) nec satis determinat cultum DEO debitum, quem in genere eadem dicitur Natura. Deinde priùs constare debet, quomodo colendus sit DEUS, deinde primùm, quomodo honorandi parentes &c. ne fortè impij simus in DEUM, dum nimis volumus esse pij erga parentes. Nec propterea Lex Naturalis est inutilis, aut manca dicenda, quòd non omnia doceat distinctè; quia utilis est ad hoc, ut homo se tandiu ad honestatis naturalis leges contineat, quamdiu distinctiorem DEI revelationem & peculiarem modum colendi DEUM non satis compertum habet : & sicut anima non debet dici imperfecta & manca, quòd non sola completè constituat hominem, ita nec Lex Naturæ, quòd non sola completè doceat hominem.

11. Ad 2. quæro, unde nobis constet, quòd penes Superiores sit potestas declarandi nobis & determinandi certum cultum, qui DEO sit gratus, & quòd Superiores nihil imperent voluntati Divina contrarium ? Certè non nisi ex Revelatione DEI libera; ex qua constet, utrum & quid DEUS ipse præceperit. Deinde etiam ipsi Superiores tenentur DEO gratum cultum pendere : ergo debent hunc discere ab alijs

Superioribus, & hi iterum ab alijs, donec deveniatur vel ad DEUM ipsis liberè revelantem, vel ad Superiores exleges, qui ad nullum DEI cultum determinatum obligentur.

Ad 3. imprimis eo ipso, quòd Deus per certa signa non revelasset positivè, quo cultu determinato honorari vellet, tacitè quasi & negativè revelasset, se reliquisse homini potestatem determinandi certum cultum; adeoque hoc silentium DEI esset aliqua sufficiens revelatio libera; nam sine ejusmodi saltem tacita DEI concessione non deberet homo propria auctoritate certum cultum determinare. Deinde licet Deus potuisset absolute per hujusmodi silentium tacitum dare licentiam certum cultus divini modum sibi præstituenti : defacto tamen Deum positivè & per certa signa revelasse, quæ de se credi, & ab hominibus fieri ad obtinendam salutem velit, patet ex 2. & 3. probatione nostra. Siquis tamen in particulari invincibiliter fors posset ignorare, Deum positivè nihil revelasse, talis rectè sequeretur ductum rationis, & sibi determinaret modum colendi Deum. Si verò videns universalem hominum persuasionem, & audiens de signis liberè revelationis Divinae, nec tamen in hanc diligenter inquireret, jam affectate ignorantia, adeoque culpa & poenæ reus efficeretur.

13. Ob. 2. Est contra rationem aliqua credere, quæ superant rationem : sed Religio *revelata supernaturalis* ( qualem diximus defacto dari in Mundo ) proponit aliqua credenda, quæ superant rationem : ergo. R. N. M. *Quamvis*

vis enim ratio naturalis non doceat nos mysteria supernaturalia, docet tamen evidenter, dari ejusmodi mysteria rationis naturalis captum excedentia, eaque à DEO revelari posse, & consequenter supposita revelatione nos obligari ad ea credenda fide firmissima. Quid enim rationi naturali magis obvium est, quam quòd DEUS aliqua sciat, quæ captum naturalis rationis excedant? alioquin enim non foret infinite sapiens: sicut non foret infinite potens, si nihil posset producere, quod vires nostras naturales superet. Et quid rationi naturali adeo evidens, quam quòd firmissima fide credere teneamur omnia, quæ nobis revelaverit Deus? id enim exigit summa ejus in loquendo Veracitas & infinita Auctoritas.

14. *Quæres, cur DEUS de facto voluerit homines ad ultimum suum finem dirigere non solum per lumen rationis, sed potissimum etiam per lumen fidei*

*supernaturalis?* R. ideo, quia decet, ut creatura rationalis & libera Deo Auctori suo supremum præstet obsequium tam intellectus quam voluntatis: sed supremum obsequium intellectus præstare nequiret, si per solum rationis lumen dirigeretur; quæ enim gloria redanderet in DEUM, si ea tantum de se sentiri exigeret, quæ nobis evidens dicitur ratio, & quæ negare non possumus absolute? Magna tamen in Deum redundat gloria, si ea liberè credamus firmissimè propter auctoritatem DEI loquentis, quæ obscura sunt, & videri nequeunt. Deinde tam sublimes veritates de facto revelate sunt à DEO, ut omnem naturalem intelligendi vim longè superent, uti Deum esse unum & trinum, DEUM assumpsisse naturam humanam &c. Et ad has veritates opus est lumine fidei, quod incipit, ubi lumen naturæ deficit, & certissimè, quamvis obscure, nos docet summa mysteria.

## ARTICULUS V.

Existit unica tantum vera Religio Divinitus revelata.

*Contra Libertinos & Indifferentistas laxiores.*

### SUMMARIUM.

1. Quid intelligatur per Indifferentismum.
2. Potest considerari duplex, Universalis & Particularis.
3. Indifferentismus Universalis sustineri non potest: quia alias Deus approbare Religiones contradictorie sibi oppositas.
4. Et quia est contra universalem hominum persuasionem, quemvis in sua Religione salvari posse.
5. Deinde quia omnis Religio Pagana habet aliquas saltem falsitates aperte & Leges contra rationem adversantes.
6. 7. 8. 9. Solvuntur objectiones.

R. P. Fichler Theol. Polemica.

E 1

Sci-

1. Sciendum 1. Per Indifferentissimum S'intelligi talem sectam hominum, qui sibi persuadent, vel saltem conantur sibi persuadere, quòd in omnibus, vel in pluribus Religionibus, etiamsi diversa inter se Dogmata ac Leges habeant, possit obtineri salus. Seu quòd homines diversarum sectarum, & quilibet in sua, salvari possint. Qui ita perversè ac perniciosè sentiant, plures existunt, quàm profitentur exterius. Ferè sicut non desunt, qui dubitent de DEI existentia & animæ rationalis immortalitate, Machiavelli Sectatores occulti, exterius tamen id profiteri non audent propter absurditatem & evidentem falsitatem hujus doctrinæ; ita non desunt, imò plurimi etiam defacto, præsertim ex hæreticis & modernis Sectarijs, probabiliter reperiuntur, qui Indifferentissimum in animo fovant, exterius autem erubescant fateri.

2. Sciendum 2. Indifferentistas dari duplicis generis. Alij enim, & absurdiores, sunt illi, qui docent, quemlibet in sua secta posse salvari: modò in unum DEUM credat, cùmque colat juxta suæ sectæ leges, sive dein Judæus, Turca, vel Christianus sit (defacto enim istæ duntaxat tres Religionum classes unum DEUM venerantur) Quod hominum genus propterea appellare placet *Indifferentistas Laxiores* vel *Universales*, quia nimis universaliter quibuscunque salutem promittunt, vel etiam *Indifferentistas Paganos*, quia nullus ferè Christianorum ita laxat cæli portam, saltem apertè. Alij verò, paulò modestiores quoad hoc punctum, scilicet Christiani quidam, hæretici ta-

men vel Sectarij, restringunt hanc laxitatem nonnihil, & privilegium consequendæ salutis solis & omnibus Christianis concessum esse ajunt, asserentes, Religionem & fidem Christianam, sicut necessariam, ita & sufficientem esse, ut quilibet Christianus salvari queat juxta sectam suam vivens, sive dein Catholicus, sive Lutheranus, sive Calvinista (quæ tres Religionem in Romano Imperio maximè vigent & tolerantur) sive etiam Zwinglianus, Anabaptista &c. fuerit. Hos propter hanc restrictionem vocare placet *Indifferentistas strictiores* vel *Particulares*, vel *Indifferentistas Christianos*. Hos Art. IX. impugnabo, contra priores hoc loco

Dico. Indifferentissimus Laxior seu 3. Universalis sustineri non potest. Probat 1. Non omnis Religio, etiamsi credat in unum DEUM, est à DEO: ergo nec omnis ducit ad DEUM: ergo non est perinde ad consequendam salutem, utrum quis Judæus, Mahumetanus, aut Christianus fuerit. Conf. prima patet; quomodo enim DEUS approbet, aut præmio afficiat Religionem, non à se introductam, sed à diabolo inventam, quæ proponit articulos sua Majestate indignos, rectè rationi difformes, & ad scelera inducentes? A. P. Religiones illæ, quas ad salutem sufficere dicunt, inter se pugnant, & sibi mutuo contradicunt: ergo non omnes possunt esse à DEO, cùm DEUS contradictoria restari, vel contraria præcipere, utique nequeat. A. P. Religiones v. g. Mahumetana & Christiana docent contradictoria, &

præ-



præcipiat contraria; Christiana enim docet, DEUM esse unum & trinum, atque Christum esse Naturalem DEI Filium, Mahumetana utrumque negat: Religio Christiana præcipit adorari Christum in Evcharistia, prohibet sub amissione æternæ salutis fornicationem, libidinem Vagam, perjurium, vindictas privatas; Mahumetana Christum in Evcharistia adorari prohibet; cætera suis concedit: ergo.

Confirmatur. Qui non profitetur unum DEUM, nec agnoscit beneficium creationis, etiam juxta Adversarios non potest salvari; quia Deum Creatorem non agnoscens non potest ipsi debitam servitutem præstare: ergo nec ille salvari potest, qui non profitetur Christum, nec agnoscit beneficium Redemptionis; quia ignorans Christum Redemptorem non præstare potest debitam tanto Benefactori gratitudinem & servitutem, quam postulat beneficium Redemptionis, quod majus ac mirabilius est, magisque extrinsecam DEI gloriam promoveret, quam beneficium Creationis.

Prob. 2. Si quilibet in sua secta potest salvari, tunc vel ille tantum, qui observat legem suæ Religionis, vel etiam ille salvari potest, qui non observat? neutrum potest dici; non hoc posterius; quia qui non observat legem suæ Religionis, supplicium potius quam felicitatem promeretur, quia non colit & servit DEO, prout ipsi serviendum agnoscit. Nec dici potest primum, quod ille salvetur, qui observat taliam legem; nam quæro: vel potest talis mutare suam sectam,

vel non? si non potest, tenetur permanere Judæus, vel Mahumetanus &c. si talis natus, & consequenter in alia secta salvari nequit. Si autem potest mutare & mutat, hoc ipso non observat legem suæ Religionis: ergo peccat, reusque fit supplicij, non dignus præmio & felicitate.

Prob. 3. ex universali hominum persuasionem, quæ non fallit, utpote a DEO Auctore Naturæ indita. Quippe omnes vel ferè omnes omnium temporum & locorum Nationes judicârunt, non omnem Religionem sufficere ad salutem, nec in qualibet ritè, ac ut oportet, coli Deum, ut constat ex tot bellis, pro Religione semper ardentissimè gestis; quid enim opus fuisset tantum humani sanguinis fundere, nisi credidissent zelosi mortales, non omnem Religionem suos cultores promovere ad salutem?

Confirmatur. Pro pluralitate Religionum stat unus duntaxat testis, scilicet tuus sensus, Indifferentista: contra pluralitatem verò stant duo, tu & ego; ego quidem, quia assero, unicam esse Religionem, quæ ducat ad salutem; tu verò, quia dum asseris, omnes ducere ad salutem, fateris, etiam illam unicam, quam ego salvificam dico, ducere ad salutem: ergo, si sapis, in re tanti momenti in meas partes debes concedere, non tantum rationibus, sed etiam testibus convictus.

Prob. 4. Religio, quæ vel unicam salutem docet, aut leges habet contra rectam rationem, ac Divinæ Sanctitati repugnantes, non potest esse vera, DEO placens, & præmio æternæ salu-

salutis digna: sed omnis Religio Paganæ ( seu non Christiana ) docet unam vel plures falsitates apertas, ac leges habet recte rationi ac Divinæ Sanctitati adversantes; quippe Mahumetanismus, & Judaismus nunc extans, non solum negant Divinitatem Christi, quæ tamen evidenter est credibilis tum propter eximiam Christi, se Deum asserentis; Sanctitatem in moribus integerrimis, Sapientiam in sermonibus, Potentiam in miraculis & prodigijs innumeris, tum etiam propter similem sanctitatem, sapientiam, & virtutem in Christi doctrina, reluctantem, ita ut, licet Sensibus Mundo & Orco contraria, captivæque difficilia docuerit, tamen per totum Mundum propagata, & omnibus Nationibus persuasa fuerit, non obstantibus gravissimis persecutionibus Gentilium &c. Sed insuper etiam docent alia falsa & absurda, atque perversa morum decreta vel dant vel permittunt; Mahumetanismus enim docet, felicitatem hominis consistere in voluptatibus corporis, approbat perjurium, libidines &c. Judaismus vero ineptissimis scætet fabulis Thalmudicis v. g. DEUM plures ante Mundum conditum produxisse creaturas, ac iterum destruxisse, ut sic addisceret artem fabricandi Mundum: Deum præcepisse Judæis, ut, quocumque demum modo possent, nocerent Christianis &c.

6. Ob. r. Omnes cujuscunque sectæ, etiam Judæi & Turcæ, putant se habere veram fidem & veram Religionem: ergo si e rant, solum errant errore invincibili seu inculpabili coram DEO, qui non excludit à felicitate

æterna: ergo omnes in qualibet secta possunt obtinere felicitatem æternam, & salvari: ergo immerito una Religio execratur alteram ut impiam & damnabilem. R. 1. Transf. totum enthymema primum. N. illatum, vel dist. ergo omnes possunt salvari in qualibet secta, per accidens, & propter ignorantiam invincibilem, Transf. per se & vi. talis sectæ. N. illatum. Etiam si aliquis bona fide putaret, suam sectam esse à DEO & veram Religionem, tamen Religio in se propterea non sit bona, aut salvifica, sed maneat impia & damnabilis: qui tamen hoc invincibiliter ignorat, non damnatur quidem propter hunc errorem invincibilem, utpote qui coram DEO peccatum non est; imò si crederet talis, quæ sunt necessariò credenda necessitate medijs, ac haberet desiderium saltem implicitum Baptismi, v. g. eliciens actum amoris DEI super omnia aut contritionem, salvaretur, sed per accidens, & non vi suæ sectæ falsæ. R. 2. D. A. putant bona fide & sincere, se habere veram Religionem. N. A. Mala fide & cum errore vincibili C. A. & N. C. Iis notis & signis Christiana Religio splendet, ut in comparatione illius nulla secta, nec Ethnica, nec Mahumetica, nec Judaica possit esse probabilis: imò hæc sectæ continent in se tam absurdam tum fidei doctrinam, tum morum disciplinam, saltem in uno vel pluribus punctis, ut per se cuilibet homini prudenti merito fiant suspectæ & damnabiles, si applicet mentem: si autem ratio & conscientia ipsis diceret, has leges, has doctrinas non esse rationi conformes, honestati naturali con-

arias &c. non amplius sunt in bona fide & errore invincibili, sed incipiunt esse culpabiles, ac tenentur veritatem & meliorem Religionem pro viribus inquirere.

7. Ob. 2. Nonnulli Doctores in Romana Ecclesia docent, barbaris gentibus, qui notitiam Christianæ Religionis non habent, sufficere naturalem notitiam de DEO & Lege Naturæ, quam si observent, eos non damnari, sed salutem æternam consequi: ergo idem dicendum de qualibet secta etiam Ethnica, Mahumetana, Judaica, & Christiana.

R. 1. N. ant. objiciens non refert nominatim illos Doctores Catholicos, forte quia nullum scit, qui omnino sic doceat; & planè nec ego ullum scio, nisi forte Vegaita senserit. Nōrunt etiam Catholici Doctores, sine fide impossibile esse placere Deo: ad Hebr. 11. Notitia autem naturalis DEI ex creaturis hausta non est fides; nam fides est de rebus non apparentibus teste eodem Apostolo loco cit. Id tamen scio, communem Catholicorum cum S. Thoma q. 14. de Veritate. art. 11. ad 1. tenere, talem hominem barbarum in sylvis enutritum, si sequeretur ductum rationis in faciundo bono & fugiundo malo, non periturum, sed DEUM vel per internam inspirationem ea, quæ sunt necessaria, ei revelaturum, vel aliâ viâ curaturum, ut talis necessaria addiceret: *Cum DEUS facienti, quod est in se, non denegat gratiam.* Adeoque talis non salvaretur solum propter naturalem notitiam de DEO & lege Naturæ. R. 2. Trans. ant. N. Conf. tum quia talis est in bona fide, in qua non omnes barbari, Judæi &c. sunt, licet fortè multi

ex Judæis & Turcis invincibiliter ignorare possint falsitatem suæ sectæ: tum quia non salvaretur vi suæ sectæ, ut dictum in objectione præcedente: nam nullus, qui invincibiliter ignorat falsitatem suæ sectæ, damnatur propter infidelitatem, sed propter alia peccata mortalia, quæ faciliè peccantur ab infidelibus contra rectam rationem, & contra legem Naturæ. Si autem legem Naturæ observarent tales invincibiliter errantes, non damnarentur, sed venirent ad locum, quo deveniunt parvuli ante Baptismum decedentes, nisi DEUS modo extraordinario illos doceat ea, quæ sunt necessaria ad salutem necessitate medij; quod DEUM facturum esse cum S. Thoma probabiliter docent Theologi, & nos verum esse judicamus.

8. Ob. 3. Potest Christiana Religio salva consistere, etiam si alias sectas patiatur juxta se, & salvificas fateatur: ergo nimis est dura erga alias sectas, eas damnando. A. P. Ecclesia Judaica, quæ juxta Christianos olim fuit vera, plurimas habuit sectas, easque toleravit ut bonas, scilicet Phariseorum, Sadducæorum, Essæorum: ergo etiam Christiana Religio potest esse vera & salva consistere, etiam si præter se alias toleret ut bonas & salvificas. R. N. A. Si enim Christiana Religio pro veris agnosceret alias sectas, eo ipso incidere in errorem, consequenter nec ipsa esset vera: Religio enim, quæ vel unicam falsitatem docet, jam vera & a DEO non est; cum DEUS loqui falsum nequeat. Ad prob. dico, diversitatem sectarum in Ecclesia Judaica nihil face-

facere ad rem, quia Judaica secta omnes conveniebant in ijs, quae ad substantiam pertinebant, & pro articulis fidei definita erant, exceptis Sadduceis, qui probabilissimè fuerunt homines Athei, ut testatur Josephus l. 2. de bello Judaico; negarunt etiam Resurrectionem, Angelos, Spiritus teste D. Luca A. 23. qui proinde cum Iudeis fidelibus non constituerunt unam ecclesiam. Pari modo nec Iudaei, Mahumetani, Ethnici cum Christianis possunt constituere unam Religionem, quia etiam in substantialibus differunt tam fidei dogmatis, quam morum praecipis, atque in ijs rebus, quae pro fidei articulis sunt definita.

9. Ob. 4. & principaliter. Placere possunt, & placent etiam Principi aut Regi terrestri ritus diversi & inter se oppositi, quibus diversa Nationes colunt eundem Regem: ergo etiam diversi ritus & sententiae hominum, quibus unum ac eundem Deum colere cupiunt diversa sectae & Religiones hominum, placent Deo: ergo in diversis sectis & Religionibus hominum potest obtineri salus; quia in omnibus colitur DEUS, quod ipse ab hominibus exigit. R. N. C. & paritatem. Nam ritus, quibus coli ab hominibus vult DEUS, sunt & debent esse revelati à DEO, ut art. 4. praeced. ostensum est, consequenter non possunt esse oppositi ita, ut praecipiat his ritum, quem alius prohibet; nisi ostendatur, his à DEO injunctum esse alium se colendi modum, quam alius. Dein cultus DEI non consistit in ritibus tantum, sed vel maximè etiam in obsequio nostri intellectus, quo summissimè cre-

duntur omnia & sola illa, quae DEUS revelavit; nam Religio praecipue proponit res credendas inde Divina, & non solum faciendas; imò & res faciendae, quas praecipit DEUS, supponunt actum fidei, quo certificamur, DEUM praecipisse (vel prohibuisse) hoc vel illud. Atqui impossibile est, ut DEUS circa idem objectum diversis revelet diversa & inter se opposita, vel etiam contradictoria v. g. Verbum Divinum esse incarnatum, & non esse incarnatum, Christum in Eucharistia esse praesentem quoad suam Humanitatem realiter, & non esse praesentem &c. Ergo liberum non relinquit DEUS hominibus, ut aliquid credant vel non credant sufficienter revelatum, ut hoc credant vel aliud, ut istud faciant vel non faciant vel aliud agant. v. g. ut Christum adorent in Eucharistia, vel non adorent, vel etiam contemnant &c. Ritus diversi & oppositi possunt placere eidem Regi terrestri, quia vim suam habent ab estimatione, & voluntate hominum, & per illos obtinet Princeps finem suum, quamdiu non praecipit certos ritus ac determinatos ab omnibus observandos. Econtra dogmata fidei, quae credi debent in omni Religione, necessario dependent à Revelatione DEI, quae circa idem objectum apud diversos non potest esse diversa, alias mentiretur DEUS. Item DEUS sufficienter defacto revelavit etiam actiones & ritus, quibus coli se praecipit. Ergo nisi dogmata revelata determinatè credantur, & nisi actiones praecipitè determinatè fiant, Deus non obtinet finem suum, scilicet obsequium intellectus nostri, &

& submissionem voluntatis in ijs faciendis, quæ ipse vult. Nec est hominis Deum colere pro libitu suo.

Accipe rem in exemplo. Catholici credunt, Verbum esse incarnatum, Turcæ credunt, non esse incarnatum: Catholici Christum adorandum prædicant, Judæi contemnendum. Jam quæro: vel Deus utrumque revelavit, Verbum esse incarnatum & non esse in-

carnatum? & Deus erit mendax: vel revelavit neutrum? & utraque Religio est falsa, & neutra placebit: vel revelavit unum duntaxat? & altera Secta, quæ id negat, est infidelis, erronea, & Deo exosa, consequenter non salvifica: ergo Religiones oppositæ non sunt salvificæ. Eodem modo procede de Christo adorando.

## ARTICULUS VI.

Non alia Religio est vera & Divinitus revelata, nisi Christiana, seu quæ profitetur, Christum esse verum DEUM.

*Contra Paganos, & Christi Divinitatem negantes universim.*

### SUMMARIUM.

1. Ubique certissima & constanti fama vulgatum est, fuisse aliquando hominem profus mirabilem, qui dicebatur JESUS Christus.
2. Cujus Divinitas inconcussis argumentis probatur.
3. Imprimis quidem ex ipsa Persona Christi.
4. Deinde ex ejus doctrina, mirabiliter propagata.
5. Denique ex ejus operibus, seu miraculis.
6. Quæ in Christi nomine etiam præterita sunt ab illius Discipulis.
7. Quare miracula Christi, ac ejus invocato nomine facta, non debent esse suspecta.
8. Dilemma ex S. Augustino desumptum.
9. Confirmatur Divinitas Christi ex vaticinijs Prophetarum.
10. Ut adeo non tantum sit evidenter credibilis, sed etiam evidenter credenda.

Sciendum 1. Toti Mundo notum esse, quod aliquando fuerit in Judæa Vir profus admirabilis, JESUS R. P. Pichler Theol. Polemica.

nomine, innocentia vitæ, sanctitate doctrinæ, & factis stupendis celebratissimus, quem Christiani adorant ut verum

verum Deum verumque hominem, Turca venerantur ut magnum & prodigijs clarum Prophetam, Judai vero detestantur tanquam Seductorem ac hominem blasphemum, quem etiam, quia Filium DEI naturalem se dixit, ingenti barbarie affixum cruci crudeliter occiderunt. Hæc & similia de Christo adeo certa sunt evidentia facti, ut saltem fides humana ijs denegari non possit sine stultitia & perverbia nota. Et quamvis Pagani & Gentiles Evangelistarum de Christo historiam pro Verbo Divino non habeant: si tamen iisdem (præsertim quia hæc scripserunt ijs temporibus statim, quibus acciderunt publicè in urbe Jerosolymitana, aliisque celebrioribus locis) uti & alijs Historiographis, ea passim confirmantibus, & insuper communi fama, non crederent; non minùs rideri forent, quàm si quis credere renueret, fuisse aliquando in Mundo regionem, quæ Judæa, urbem, quæ Roma, & hominem, qui Aristoteles, aut Mahumetes &c. dictus sit.

2. Sciendum 2. Religionem Christianam non posse firmam consistere, & pro vera Religione haberi, nisi tam firmis & inconcussis argumentis stabilatur Christi Divinitas, ut à nemine, qui hæc argumenta ritè apprehendit, sine stultitia & Divina Majestatis injuria manifesta negari ullatenus possit. Talia nunc argumenta breviter adducam, non quidem ex Sacris Scripturis *qua Divinis*, tum quia res est contra Paganos, qui Scripturas nostras pro Divinis non agnoscunt, tum quia contra Arianos, qui Scripturarum textus

eludunt, in alio sensu explicatos; sed ea depromam ex ipsa Christi persona, ejus verbis, & factis, communi fama & Historiarum consensu ita comprobatis, ut ex ijs cuilibet intellectui rectè disposito manifestum ac evidens fiat, Divinitatem Christi prudenter & sine piaculo negari non posse, sed eam evidenter non modò credibilem, verum etiam credendam esse. Qua veritate supposita per se sequitur, Religionem, quæ profitetur Christum esse verum DEUM, esse veram, omnes autem sectas, quæ id negant, esse falsas. Proinde

3. Dico. Christus est verus DEUS. Probat 1. ex Persona Christi. Vel Christus est verus DEUS, vel fuit homo sceleratissimus: Christus non fuit homo sceleratissimus: ergo est verus DEUS. Mest clara, quia Christus tam per se quàm per suos discipulos se asseruit Filium DEI naturalem, & propter hanc causam à Judæis crucifixus est: vel igitur asserendo se Deum dixit veram vel falsum? si verum: ergo est verus DEUS. Si falsum: ergo fuit homo sceleratissimus, utpote per summam blasphemiam tantis studijs sibi arrogans Divinitatem, imò majoribus, quàm ipse Lucifer; & simul in re gravissima per intolerabilem imposturam decepisset homines. Jam probatur 2. quòd nempe Christus non fuerit homo sceleratissimus, & quidem evidenter 1. ex ejus vita & gestis, quæ fuerunt adeo sceleris pura, ut summi ejus & capitales inimici omni sua inquisitione non invenerint verum crimen, sed falsis testibus & meris calumnijs ad Pilatum detulerint innocentem, ipso

pub-

publicam ejus innocentie testimonium perhibente Ethnico Judice. 2. Ex doctrina Christi, quam tradidit purissimam & sanctissimam. 3. Ex stupendis prodigijs, quae patravit, quibus tanquam proprio caractere DEUS nec solet, nec potest hominem improbum ejusque doctrinam commendare.

Confirmatur. Vel Christus est verus DEUS, vel fuit homo stultissimus: non fuit homo stultissimus: ergo est verus DEUS. M. iterum est clara; quia Christus se gessit pro DEO, & talem se edixit: vel igitur verum dixit; & est verus DEUS: vel falsum; & fuit stultissimus; non enim est major stultitia, quam si purus homo se gerat pro DEO, & alijs id persuadere nitatur. Sic utique ab omnibus habeatur pro stultis tres illi, quorum unus se Patrem aeternum se asseruisse dicitur, alter Spiritum S. & tertius SS. Trinitatem. Et sane summa fuisset Christi stultitia, conantis introducere Religionem novam DEO, hominibus, & demoni inimicam: DEO quidem, quia DEUS nihil magis averfatur quam cultum ejus, qui se falso Deum asserit: hominibus, quia Religio Christi reluctatur summopere cupiditatibus hominum: demoni, quia Religio Christi oppugnat vitia, & proscribit demonis cultum in evertendis Idolis. Itaque probatur m. quod nempe Christus non fuerit stultissimus, & quidem evidenter 1. quia duodennis adhuc instituit Doctores veteranos Judaeorum. 2. Quia tam sapienter dicebat ad populum, ut multa millia ei auscultando obliviscerentur etiam cibi, alij vero testaren-

R. P. Pichler Theol. Polemica.

tur, nunquam sic locutum esse hominem. 3. Quia novit dexterrime respondere Scribis & Pharisaeis, eos confundere, & elingues reddere. 4. Quia novit etiam futura, & secreta cordium. 5. Quia doctrinam reliquit mundo admirandam, & caelesti sapientia plenam. 6. Quia nec ipse nec ipsius doctrina unquam potuit falsitatis vel ignorantiae convinci etiam à lynceis & malevolis censoribus. 7. Quia nec Gentiles, nec Mahumetani, nec Judaei, jurati hostes, unquam ausi sunt affirmare, Christum fuisse fatuum, aut stultum; aut Christianos; moribus & scientijs excelsissimos, insimulare stultitiae, cujus tamen insimulari merito possent, si homini fatuo & stulto, Divinitatem affectanti, fidem haberent.

Probat 2. Ex doctrina. Tam mirabiliter propagata est doctrina, quam Christus de se, & summis mysterijs spargere coepit, ut id fieri non potuisset absque peculiari virtute Divina, qua utique puri hominis doctrina caret. Consideremus enim hujus propagationis circumstantias; nam 1. erat doctrina ipsa valde ardua captu & factu, quippe inter alia proponebat credendum, *Deum quidem esse unum in essentia simul tamen trinum in Personis, Verbum seu Filium DEI Naturalem assumpsisse carnem humanam, ac in ea passum, crucifixum, & mortuum esse pro suis inimicis, eundem Filium DEI incarnatum ad verba Sacerdotis poni quotidie sub specie panis & vini, ac à fidelibus manducari &c.* Sic inter alia difficilia factu jubebat multa vitiose sensualitati ac hominum superbiae contra-

ria. v. g. ut frænentur cupiditates divitiarum & voluptatum carnis, ut ignoscatur, imò diligantur inimici, fiat confessio peccatorum etiam occultissimorum coram homine. &c. 2. Auctor hujus doctrinæ, scilicet Christus ipse, suffixus est inter duos latrones in crucem probrosissimam. 3. Doctores, quos Christus ad hanc suam Doctrinam disseminandam misit in mundum universum, erant homines pauci, rudes, illiterati, & plerique piscatores, nulla nobilitate, potentia, divitijs &c. præditi. 4. Mundus, cui persuaderi debebat, eo tempore jacebat propemodum rotus in abyflo atrocissimorum scelerum Idololatriæ, libidinis, avaritiæ, crudelitatis &c. 5. Opponebant se Principes Mundi, Imperatores, Reges, & armata tyrannorum sævitia: obstitabant sapientiæ & Philosophiæ prima capita: Gentiles ridebant crucifixum DEUM: Judæi blasphemabant velut Fictitium Messiam: obstabat crassa & late dominans rerum divinarum ignorantia: renitebatur ubique essentis vivendi licentia: & ipse tenebrarum Princeps, metuens Regno suo, nullum non movebat lapidem ad eliminandam & supprimendam Christi doctrinam. 6. Brevi temporis spatio non solum in una vel altera urbe, Provincia, Regno, sed per totum Mundum promulgata non solum, sed etiam ferè ubique à plurimis recepta est hæc doctrina, quæ Christum prædicabat verum Deum, nequicquam renitente Orco, Gentilium potentia, Judæorum dolo. Quis igitur prudens incicias ibit, non absque peculiari virtute divina fuisse propaga-

tam doctrinam, quia Christus prædicabatur Mundo tanquam verus DEUS, Mundique Redemptor? Quis autem vel somnare poterit, Deum tam mirabiliter sua virtute posse & velle propagare doctrinam falsam? Ergo Christus est verus Deus.

Confirmatur 1. ex innumeris prodigijs, quibus Deus velut suo sigillo confirmavit doctrinam de Divinitate Christi ab Apostolis, & alijs annunciatam, quibus pleni sunt libri Historici. Confirmatur 2. ex sapientia tot Doctorum, quos obstupuit Mundus: ex fortitudine Martyrum, quorum non est numerus in omnibus Mundi partibus, in omni sexu, in omni ætate, in omni tormentorum genere: ex sanctitate prodigiosa tot Confessorum, Anachoretarum, Virginum, & præsertim Religiosorum utriusque sexus: qui omnes unanimi consensu, & profuso sanguine, spreto honore, projectis opibus, doctrinam de Christi Divinitate amplexati, tutati, & testati sunt. Confirmatur 3. ex eo, quia doctrina Christi nunquam potuit vel in minimo convinci falsitatis & erroris ab astutissimis Sophistis tanto sæculorum lapsu; cum tamen in alijs doctrinis omnibus, quæ Christum non profitentur, uti est Gentilium, Paganorum, & Judæorum, plures manifestæ faciitates & errores contra rationem naturalem facile deprehendantur.

Probatur 3. ex operibus seu miraculis Christi: si Christus vel unicum paravit verum miraculum ex propria virtute, aut in confirmationem suæ doctrinæ, tunc evidenter est innegabilis ejus Divinitas: sed Christus non unum

dun-



aduntaxat verum patravit miraculum, sed plura: ergo. Ma. est evidens; quia verum miraculum est opus vires totius nature creata, Angelorum, hominum, demonum excedens, & à solo DEO patrabile: ergo si Christus propria virtute patravit vel unicum verum miraculum; Divinitas ipsi negari nequit: aut si vel unicum fecit miraculum in confirmationem suae doctrinae, hoc ipso erit verus DEUS, quia docuit, se esse verum DEUM; implicat enim evidenter, ut DEUS miraculo, tanquam suffragio sibi proprio, approbet falsum, cum ejusmodi signo, tanquam sua locutione & testimonio, homines induceret in errorem, & à suo cultu averteret. Min. pariter innegabilis est, & constat ex historia Evangelica, toti orbi nota. Ibi narratur 1. Christum fuisse natum ex Virgine, conceptum sine virili semine, praeannuntiatum ab Angelo, adoratum à Pastoribus, ad praesepe accitis ab Angelica voce, demonstratum tribus Magis à stella, qui è longinquo adventantes eum adorabant tanquam verum DEUM in paupere stabulo pannis involutum. 2. Duodennem in templo docuisse Doctores. 3. In Cana Galileae aquam mutasse in vinum. 4. Tempore praedicationis suae caecis contulisse visum, surdis auditum, claudis rectum incessum, mutis loquelam, paralyticis membrorum usum, morbidis sanitatem, energumenis libertatem à daemone. 5. Imò mortuis vitam, uti Lazaro jam sepulto, filio viduae in Naim ad sepulchrum elato, & puellae Archisynagogae. 6. Paucis panibus multa hominum millia satiasse. 7. Procellosum

mare solo jussu pacasse, ficcis pedibus calcasse. 8. Praedixisse futura; & cognovisse secreta cordium. 9. Inimicam cohortem his verbis *ego sum* ter in terram prostravisse, & uni ex illa resedam auriculam mox redintegrasse; ipso in cruce expirante commotam esse terram, scissas petras, mortuos prodixisse redivos ex monumentis apertis, solem per tres horas praeter omnem naturam cursum universo orbi obscuratum. 10. Ipsum verò tertia die resurrexisse à mortuis clauso sepulchro. 11. Clausis januis ingressum esse ad discipulos, iisque sapius se visendum, imò vulnerum relictas cicatrices praebuisse palpan das. 12. Triumphantem ascendisse ad caelos, relictis suorum pedum vestigijs; & intuente discipulorum turba. Quis igitur neget, Christum fecisse miracula, omnem Angelorum, hominum, & demonum virtutem excedentia? Certè si diabolus posset suscitare mortuos, obscurare solem per universam terram, cognoscere futura & cordium secreta, eaque revelare, pridem fecisset in gratiam veneratorum &c. Quòd autem Christus similia fecerit propria virtute, insinuat sapius ab ipsis Evangelistis, praesertim dum dicunt, eum *resurrexisse, ascendisse, imperasse ventis, & mari* &c. Quòd autem facta sint ad confirmationem ejus doctrinae, clarum est, quia DEUS tanta miracula patrando per Christum clarissimè testificatus est, Christum à se amari, consequenter voca & sibi grata esse, quae à Christo docebantur. Imò DEUS fuisset obligatus aliud adhuc longè excellentius

miraculum patrare, quo omnibus palam fieret; miracula Christi esse spuria & falsa, & Christum non esse Deum; ne scilicet Deus ipse tot ac tam manifestis signis deciperet universum orbem, ac in errorem induceret circa rem summimomenti. Sed

Si cui forte, quamvis immeritò, suspecti forent Evangelistæ & Scriptores Christiani, audiat Scriptorem ex Judæis celeberrimum, nempe Josephum, qui l. 18. Antiquit. c. 4. de Christo ita scripsit: *Et tempore fuit JESUS, vir sapiens (si tamen virum eum fas est dicere: erat enim mirabilem operatorem, & Doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt, plurimosque tam de Judæis, quam de Gentibus Sectatores habuit) Christus hic erat &c.* Item audiat, quid Mahumet in Alcorano c. Elbachera dicat, Deum sic sibi loquentem inducens, *Dedimus JESUM Filium MARIE, ut faceret miracula, & prodigia manifesta, & fecimus eum per Spiritum S. & insufflavimus in MARIAM de Spiritu nostro, & conceptus est Christus virtute Dei de Matre sanctissima & purissima super omnes mulieres.*

6. Sed & Discipuli Christi, invocato solius Christi nomine ac virtute, fecerunt semper illustrissima miracula. Sic Petrus in nomine JESU claudum subito sanatum jussit ambulare: Joannes in ferventi oleo illæsus perstitit: isti & alij innumeri, etiam post Apostolorum tempora, solius Christi ope implorata, aut solo crucis signo cæcis visum, surdis auditum, ægris sanitatem, mortuis vitam reddiderunt, ut referunt viri fide

dignissimi Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, Gregorius, Athanasius, Augustinus, Bernardus, Bonaventura &c. Sic tota Germania in suo Bonifacio: tota Anglia in suo Augustino: tota Hibernia in suo Patritio: tota Dania in suo Remberto: India in suo Francisco. Xaverio agnovit verum miraculorum patratores; qui omnes fidem Christianam & Christi Divinitatem prædicantes, innumeris miraculis eam comprobârunt, id ipsis promittente ipso Christo. Qui verò hæc omnia revocare in dubium vellet, aut præfactè negare, protervus sanè & impudens foret, tot historias, & Scriptores summæ auctoritatis spernendo, & totum mundum levitatis stolidæ ac nimia creditulitatis arguendo: imò apertè desperet non minus, ac ille, qui negaret, fuisse olim hominem, Julium Cæsarem nomine, qui suis armis Gallias subjecisset imperio Romano, aut Romanos suum Dominium extendisse ad plurimas provincias, quas bellica virtute sibi subjugâssent &c. aut alia, quæ communi calculo à profanis Historicis referuntur, & communi fama probantur.

7. Dices. Non omnia statim habenda sunt pro miraculis, quæ videntur esse miracula; cum experienciâ constet, effectus sæpè naturales, vel demonis præstigias fuisse, quæ ab imperitiis prodigia esse credebantur. *¶* Effectus naturales non sunt tam repentinæ curationes, solo verbo, vel crucis signo, in momento factæ, resuscitatio mortuorum, obscuratio solis per universam terram, conversio aquæ in vinum.

num &c. Multò minus prestigia diaboli censeri debent, ubi de nullo commercio cum diabolo constat, sed potius oppositum, dum ipsi daemones pelluntur ex corporibus obsessorum, utut reluctantes. 2. Ubi nulla peregrinatio, nec incantamenta, inanes ceremoniae, & gestulationes. 3. Ubi omnia fiunt publicè inspectantibus & ringentibus acerrimis hostibus, solo vocis imperio, simplici contactu, pio in caelum obtutu, sola Divini Nominis invocatione &c. 4. Ubi finis non est vana gloria, curiositas vitiosa, pretium & lucellum temporale &c. Sed sola Divini Nominis gloria, major DEI cognitio, aestimatio, & amor &c. damnata confusio, hominum utilitas praesertim spiritualis, morum correctio, virtutis incrementum. 5. Ubi is, qui miraculum facit, eximjs virtutibus, & rarae vitae sanctimoniam conspicuus est. Quae omnia in miraculis Christi, ac ejus Discipulorum deprehenduntur. Ubi autem haec circumstantiae comitantur insolitum & prodigiosum factum, nulla suspicio fraudis aut prestigiarum diabolicarum locum habere debet; cum ad DEI Providentiam spectet, insolitos effectus & in speciem prodigiosos non permittere, quorum falsitas ex ejusmodi signis dignosci nequeat. Verum demus & hoc, nullum ex omnibus, quae passim narrantur, à Christo, vel in Christi nomine factis prodigijs veri miraculi gradum attingisse (quod equidem evidenter incredibile & impossibile judico) nemo tamen ratione praeditus inficias ibit, summum miraculum fuisse, quòd Mundus sine miraculo crediderit in Christum, à Judaeis

tam crudeliter & ignominiosè habitum eumque adoraverit tanquam Filium DEI Naturalem, ac illius doctrinam tam arduam, sibi, carni, daemoni, adeò adversantem, nullo adactus miraculo receperit. Unde cum D. Augustino l. 22. de Civit. DEI c. 5.

Sic argumentor. Vel Christus in confirmationem suae Divinitatis, & doctrinae, edidit miracula vel non? si edidit, evidenter est innegabile, eum fuisse verum DEUM: si non edidit, tunc ingens & maximum miraculum est, quòd Mundus hominem, adeò contemptum, humiliatum, crucifixum pro DEO agnoverit, ejusque doctrinam tam creditu, quàm factu adeò difficilem receperit, per paucos, pauperesque piscatores, & illiteratos sibi propositam. Quod miraculum eò quidem excellentius foret, quo difficilius est expugnare oblectantium mentes & corda, quàm corpora motui obstitentia; nam istud etiam Angeli possunt, quodlibet Corpus, quò volunt, movendo; illud autem, nempe intus pro arbitrio movere animos, solius Divinae Virtutis opus est.

Nihil jam dicam de vaticinijs Prophetarum Isaiae, Danielis, Davidis &c. qui sicut Messias seu Christi Redemptoris Nativitatem ex Virgine in Bethlem Juda, stellam, adventum, & munerum Magorum, fugam in Aegyptum & reditum, miracula in sanandis agris, surdis, claudis, caecis &c. dolores, vulnera, mortem, descensum ad inferos, resurrectionem à mortuis, ascensionem ad caelos, praedicationem doctrinae per Apostolos, conversionem Gentium ad

Christi

Christum &c. prædixerunt, antequam  
evenirent, ut videre est apud Thyrsu-  
m Gonzalez adversus Mahumet. p. 1.  
l. 1. c. 6. & seqq. Bellar. in Conc. de  
fid. conc. 4. & alios; ita etiam testati  
sunt ipsius Divinitatem: adeoque sicut  
fuerunt veridici prædicendo vitam, do-  
ctrinam, & Ecclesiam Christi, ita ve-  
ridici fuisse censendi sunt asserendo ejus  
Divinitatem; quam veracitatem à ne-  
mine nisi à DEO habere possunt Pro-  
phetæ de rebus futuris vaticinantes.

10. Atque ex his, quæ hæcenus dixi-  
mus, non modò rectè inferitur, Chri-  
stum esse verum DEUM, ejusque Di-

vinitatem evidenter credibilem, verum  
etiam evidenter esse credendam, &  
quidem ex obligatione gravi, ita ut co-  
ram DEO inexculpabiles sint, qui visis  
vel auditis tot signis & argumentis tam  
evidentibus non credunt in Christum,  
ac Religionem Christianam non ample-  
ctuntur. Cùm nulla alia Religio, quæ  
Christum non agnoscat pro vero DEO,  
eique servit, possit esse vera & salvifica:  
neque plures Religiones inter se oppo-  
sita, uti sunt Gentium, Turcarum, Ju-  
daeorum, & Christianorum, possint esse  
veræ, DEOQUE placere, ut partim  
diximus, partim dicemus.

## ARTICULUS VII.

Beatitudo & finis ultimus Hominis non sunt voluptates  
Corporis.

Contra Turcas.

### SUMMARIUM.

- |   |   |
|---|---|
| 1. A Paganis universim sumptis fit<br>transitus ad eos in specie, nempe ad<br>Turcas. | etiam in altera vita, constituitur de<br>voluptatibus corporis.   |
| 2. Qui originem ducunt à Mahume-<br>te: quis iste fuerit.                             | 7. 8. 9. 10. Quod evidenter absurdum<br>& falsum est.   |
| 3. Quale monstrum Turcismus.  | 11. Turca nec ex ratione, nec ex<br>miraculis, nec alio modo efficaci-<br>ter probare possunt, suam Seltam<br>esse veram, imò evidentissimam ha-<br>bent præsumptionem contra se. |
| 4. Nefanda scelera suis permittit.  |   |
| 5. At lepidissimas fabulas, & ab-<br>surda manifesta in libro Thalmud<br>proponit.    | 12. Quales delicias aliquando habi-<br>turi a suis corpora Beatorum iuxta<br>Catholicos,  |
| 6. Inter alia beatitudinem hominis,   |   |

1. Sciendum 1. postquam omnium Paganorum, & Christi Divinitatem negantium, manifestus error rejectus est in genere, probando Divinitatem Christi argumentis fortissimis, rectè gradum fieri ad eos in specie confutandos, præcipuè autem duas illorum sectas præ cæteris notas, magnam Mundi partem occupantium, vel omnes pervagantium, nimirum Turcarum & Judæorum.

2. Sc. 2. Turcas à Mahomete originem ducere, cui tanquam sectæ suæ auctori non quidem Divinitatem, propemodum tamen Divinos honores tribuunt. Fuit autem Mahometes homo plebeius, in Arabia ortus ex patre Pagano, ex matre Judæa, initio Idolorum cultor in Mecha; donec viduæ cujusdam divitis camelos pascens, illam denique uxorem nactus est. Hujus opibus potens effectus varijs machinis ad gentis suæ regnum superbè aspiravit, cumque insidijs, rapinis, incurfionibus se nihil profecturum videret, Religionis tandem adminiculo perumpere haud vana spe constituit. Quare Divinum Prophetam mentitus Sergium Monachum, hæresis Nestoriana infectum, sibi junxit, & Nestorianus effectus est. Id subodorati Judæi, qui se illi adjunxerant, dolosè præcaverunt, ne Mahometes verè Christianus evaderet: hinc homini rebus novis inhiant fabulas suas insibilârunt. Unde non mirum, quòd Alcoranus (ita Mahometes vocabat librum suæ novæ doctrinæ, quem sibi à Gabriele Angelo per partes allatum fabulatus est) tam Judæorum fabulis, quàm hæreticorum commentis repletus to-

tam iniquitatis plenitudinem in se contineat. Natus est pestilentissimus homo die Veneris, quem Turcæ propterea locò dici Dominici celebrant, sua verò dogmata spargere cepit sub annum 630. (somnialementer imperante Heraclio Cæsare) apud Agarenos (alii Saracenos dicunt) Arabiæ populos, qui Cæsari rebelles Mahometem opibus potèntem in ducem sibi elegere, atque incredibili celeritate maximas Asiæ partes cum Africa & aliqua Hispaniæ parte inundârunt. Per sex annos dominatum exercens, & sectæ suæ, pestem diffundens à suis veneno sublatus est anno ætatis quadragesimo.

3. Sc. 3. Turcismum esse monstrum quoddam horrendum ex multiplici superstitione ac hæresi conflatum: siquidem à Judæis habet multitudinem uxorum, libellum repudiij, horrorem carnis suillæ, circumcisionem, creberrima baptismata &c. Ab Hæreticis Arianiis, Verbum non esse DEI Filium Patri Consubstantialem: à Nestorianis, Christum de Virgine quidem natum, non tamen DEUM, sed purum hominem esse: à Manichæis, Christum nec passum nec mortuum esse, & à vana esse perpetuò abstinendum: ab Epicureo, summam beatitudinem hominis in hortorum amenitate, uxorum multitudine, cibo & potu, aliisque corporis voluptatibus positam esse, & quidem (in quo Turcæ superant immensum Epicureos, bis stolidi) etiam in futura vita, quam superesse post mortem non negant, ut colligitur tum ex Alcorano, tum ex Joanne Andrea, prius Mahumetanorum popa, postmodum

Christi

Christiano, qui affirmat, Turcas credere, quod DEUS post lautas epulas, alterius vite, inter Virginum amplexus Mauris paratas, remotis demum velis faciem suam ipsis ostensus sit: postquam verò faciem DEI viderint, abiturum in aliam Paradisi mansionem, ibique per totam aternitatem mansuri cum pulcherrimis fœminis, ut ex cibo, potu, & mulierum consortio aternas capiant delicias. Quibus tamen porrifimum fructuosum edixit Mahumetes, qui vel hostem occidissent, vel ab hostibus occisi fuissent, ut nimirum suos in bello fortes efficeret callidus impostor; cum enim ad confirmandam suam sectam nullum posset edere miraculum, in virtute gladij se missum asseruit.

4. Sc. 4. Mahometem, ut facilis tam Judæos quam Christianos ad se pertraheret, finxisse se divinitus missum ad hoc, ut Legem utrisque datam mitioribus præceptis temperaret. Unde quasi privilegiorum instar permittit suis fornicationem, libidinem vagam, aliaque nefanda, item perjurium asseritorium, vindictas privatas, prædationes regnorum sine titulo. Christum non omnino negant Turcæ, sed Magnum & Sanctum fuisse Prophetam, nunquam peccasse, multa edidisse miracula, ascendisse ad cœlos, ibi tamen ad pedes Mahometis sedere credunt.

5. Sc. 5. Alcorano lepidissimas fabulas esse insertas v. g. demones sæpius conscendisse cœlum ad intelligenda secreta Dei, sed, cum Deus aliquoties sentiret, sua arcana hostibus esse patefacta, iratum creasse stellam lucidissimam, quæ exploratores istos vel prodat, vel accen-

sis titionibus fuget. Alibi refert Mahometes in eodem Alcorano, cornua diffractæ Lunæ à se intra manicas subneula redintegrata: item omnes arietes, quos Mahometani in ferijs Paschalibus sacrificant, surrecturos ad iudicium, & oraturos pro Sacrificantibus. Ne verò tam lepida, tam absurda, tam pudenda & nefanda contemnerentur ut futilia & recte rationi dissoluta, si ad exactæ disquisitionis examen revocarentur, de traditis à se dogmatis & præceptis disputari veruit astutus Nequam.

6. Sc. 6. Quamquam hæc & similia ingenuo homine adeò indigna sint, & tam aperte falsa, ut ea retulisse refutasse sit; eò quoddam lumen rationis dicitur, talem Sectam, quæ tam impia, tam manifestè absurda, & falsa docet vel approbat, à DEO non esse; unum tamen, quod de hominis felicitate & fine ultimo, etiam alterius vite, tradidit spurcissimus ganeo, paucis impugnantum duci, ut maior hujus abominanda Sectæ aversio in omnium nascatur animis, nullisque ex Christianis fœditissimum Mahometis paradisum vel quarat in terris, vel stolidè optet post mortem. Itaque contra Turcicum Paradisum

7. Dico. Evidenter absurdum & falsum est, beatitudinem hominis & finem ultimum consistere in voluptatibus Corporis. Probatum 1. beatitudo ex communi hominum sensu communiter definitur esse status omni bonorum aggregatione perfectus, debetque esse bonum tam perfectum, ut satiet omnem hominis appetitum: sed bona & voluptates

tates Corporis evidenter non satiant omnem hominis appetitum : ergo. M. P. Appetitus hominis est duplex, ut constat, rationalis & sensitivus: sed appetitum rationalem, qui tamen est præcipuus, non satiant bona & voluptates Corporis (quidquid sit de appetitu sensitivo; nec enim istum satiare mihi certum est) ergo non satiant omnem hominis appetitum. M. P. Intellectus est capax boni spiritualis & æterni: ergo non potest satiare bonis corporalibus & perituris.

3. Prob. 2. Per se absurdum & indecens est, felicitatem & finem hominis esse talem, ut in ejus adeptione oporteat erubescere: sed in adeptione voluptatum carnis, præsertim Venereæ, erubescunt homines ingenui: ergo in his consistere felicitatem & finem hominis, per se absurdum & indecens est. Min. prob. Nemo ingenuus est, qui non erubescat, & pro contumelia habeat, si ipsi dicatur, quod ad comedendum, bibendum, & carnis illecebris vacandum creatus sit. Major sum & ad majora natus, quam ut corporis mancipium sim, ajebat Seneca gentilis Philosophus. Edendum est, ut vivamus, non vivendum, ut comedamus.

9. Prob. 3. Beatitudo est hominis summum bonum: ergo licitum est illam quærere in omni re; cum in omni re liceat tendere ad finem suum, imò oporteat. Proinde si beatitudo & finis hominis sint voluptates carnis & corporis, licita erit omnis libidinum turpitudine, comestiones, ebrietates, furta, rapina, homicidia, aliæque scelera gravissima, quæ tamen ab omnibus, qui sanæ  
R. P. Pichler Theol. Polemica.

mentis sunt, infligante Natura habentur ut illicita & abominanda: Ubi enim licitus est finis, licitum eo ipso debet esse adhibere media ad talem finem, ut evidens est. Sed (ad rectæ rationis tribunal appello) quid legi Naturali ac Divinæ magis adverfatur, quam prædicta facinora?

10. Prob. 4. exagitando non nihil spurcissimum hunc paradisum, & ejus absurditates protrahendo in medium. Edicant Turcæ: num etiam fames & sitis erit in ipsorum caelo? si asserant; planè miseram habent felicitatem; si negent, non ita bene sapiet cibus & potus, si verò tamen sapiat, certè feliciores erunt illi, quibus sunt colla anseriana, ut sic major pars hac gulosa felicitate frui valeat. An per cibum & potum nutrienda sunt corpora Sanctorum? si asserant, simul introducunt corruptionem factoris matrem; ubi enim nutritio, ibi corruptio; aliàs corpora in immensum auferentur: si negent; quò igitur deveniunt tot armenta & dapes devorata? an fortè in porcos, oves, & boves novos convertuntur post abligurationem, unde novæ instruuntur epulæ? Ad cubilia hujus Paradisi ob fetorem casto animo non ferendum pudet transire. Vah paradisi prostibulum! super quo plura deducere pudicus horret calamus.

11. Superessent plura argumenta ad foedissimam Turcarum Sectam refellendam, quæ brevitatis causâ omitto. Id solum adverto, quòd Mahumetes nec ratione, nec auctoritate Sanctorum & Doctorum virorum, nec miraculis, nec alio modo efficaciter probare possit, suam

suam Sectam esse meliorem illis, ex quibus partim acceptatis, partim rejectis, coagulavit suam: ergo sicut falsa sunt Secta Judæorum & Hereticorum, ex quibus surrexit Mahumetanismus, ita & falsa est Secta Turcarum. Accedit, quod ante adventum Mahumetis per sex sæcula fuerit fides vera in Mundo, in qua homines salvabantur, imò esse debuerit, ut nemo prudens negaverit: ergo qui introduxit novam veteri, miraculis sacrisque litteris & alijs indicijs comprobata, contrariam, nec probat, veterem esse abrogatam, & novam profectam à DEO, est manifestus Impostor: sed Mahumetes nullo modo probat &c. ergo.

21. Objicies fortè. Etiam juxta multos Catholicos Doctores corpora Beatorum olim habebunt suas delicias in cæ-

lo: ergo tam absurdum non est felicitatem hominis constituere in delicijs corporis. R. D. A. habebunt delicias Venereas & tales, quæ percipiuntur ex comestationibus & potationibus. N. A. habebunt alias limpidiores; & quæ bestiis non sunt communes. C. A. vel subdit. & in his sensilibus delicijs consistet perfecta hominis beatitudo. N. A. aliqua portio illius, & quidem longè ignobilior. T. A. & N. C. Sicut anima rationalis est hominis pars nobilissima, ita etiam decet, ut optima felicitatis portio ipsi obtingat, quæ scilicet præcipuas illius potentias, Intellectum & Voluntatem, perfectè satiet, Intellectum quidem cognitione & visione summi Boni, Voluntatem verò ejusdem amore & fruitione.

## ARTICULUS VIII.

Christus est verus Messias.

Contra Judæos.

SUMMARIUM.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1. Judæi defalto inter Biblia sua, plurimum corrupta, etiam numerant Talmud, librum fabulis &amp; blasphemijs infamem.</p> <p>2. Eorum præcipuus &amp; fundamentalis error est in eo, quod adhuc expectent Messiam venturum, &amp; Messiatum negent Christo.</p> <p>3. Quid intelligatur per Messiam.</p> <p>4. Christum esse verum Messiam e-</p> | <p>videnter credibile &amp; prudenter innegabile est, ut deducitur ex Scripturis utriusque Testamenti, &amp; Miraculis Christi.</p> <p>5. Quin &amp; ex miraculis Discipulorum Christi.</p> <p>6. Confirmatur efficacissimo dilemmate.</p> <p>7. Ex gravissima vindicta, qua De-</p> |
|---|--|



ms tam longo jam tempore persequitur Judæos.

8. *Qua habet rationem pœne Talionis.*  
 9. *Judæi defacto nullum amplius habent motiuium credibilitatis pro sua Religione: qua autem ex An-*

*tiquis abducunt, magis seruiunt pro confirmando Christi Messiam & legis noua veritate.*

10. *Ostenditur ulterius Synagoga moderna falsitas dupliciter.*  
 11. 12. *Diluuntur eorum objecta.*

1. Sciendum 1. Judæos olim habuisse veram Religionem à DEO reuelatam, veram scilicet fidem de rebus à DEO reuelatis, & veram legem diuinitus latam: quam utramque infallibiliter discabant tum ex traditionibus tum ex libris Diuinis Antiqui Testamenti. Quos libros quamvis hodieum adhuc habeant pro Verbo DEI, non tamen incorruptos possident, sed manifestis erroribus turpiter sœdatis. Siquidem hæc misera & cæca gens pro Verbo DEI agnoscit librum quemdam *Thalmud* dictum, à varijs Rabbinijs conscriptum, varijs fabulis & blasphemijs infamem, & turgentem ineptijs, quas puro Verbo DEI Veteris Testamenti addiderunt vel simplices vel sacrilegi Rabbini. Audiamus aliquas hujusmodi fabulas & blasphemias libro *Thalmud* insertas, & à Judæis credendas. Locum in celo esse, air hic liber, ab aliorum consortio remotum, in quem DEUS identidem ferecipiat, ibique magnis fletibus deploret, quòd templum Jerosolymitanum everti, & tam charum sibi populum Judæorum ita dispergi passus sit, quoties etiam meminisset calamitatum, quibus eam gentem afflixit, toties manu utraque pectus sibi runderè DEUM, & calentes duas lacrymas in Oceanum effundere. Eundem tres primas cujus-

libet dici horas dare studio Mosaicæ Legis &c. astutè mentitum esse, dum pacem stabilijt inter Saram & Abraham: plures ante conditum Mundum produxisse creaturas, iterumque destruxisse, ut sic addisceret artem fabricandi mundum: Judæis præcepisse, ut vi, dolò, furtò, usurà, aut quocunque demum modo possent, raperent bona Christianorum. &c. Verum utut hæc euidenter absurda & falsa sint, tamen

Sc. 2. præcipuum, in quo cæteri plerique fundantur, errorem Judæorum esse, quòd putent Messiam in libris Antiqui Testamenti promissum, necdum venisse, adeoque Christum, sicut DEUM verum, ita nec Messiam esse, sed alium adhuc expectandum perpetam credant. Quo errore principali maximè differunt à Christianis, qui credunt inconcussa fide, Christum esse verum DEUM (quod suprà contra Paganos uniuersim, proin & contra Judæos eandem Diuinitatem negantes ostensum est) & verum quoque Messiam esse. Unde patet, Christianismum successisse Judæismo, Ecclesiam Synagoga, eò quòd adueniente Messia consequens & necessarium sit expiratè fidem in Messiam venturum, & commutari in fidem de Messia præsentè, Legesque Ceremoniales & alia, quæ erant figura & um-

bra futurorum, adventante novo Legislatore promisso, tanquam Figurato & Luce, vel cessare vel immutari.

3. Sc. 3. Per Messiam intelligi Mundi Salvatorem à DEO promissum, & à Prophetis prænuntiatum, qui tolleret peccata Mundi, & homines propter peccata sub diaboli potestate constitutos, & inferni reos, liberaret, ac in libertatem filiorum DEI reconciliatos assereret, Legemque Gratiæ constitueret. Hunc jam venisse, & præter Christum, quem Christiani adoramus, alium non venturum, si evicerimus, Judaïsimum ex fundamento convellimus. Id quod in Christi nomine effectum eo, &

4. Dico. Evidenter innegabile est, Christum esse verum Messiam. Prob. 1. Prudenter innegabile est Christo convenire signa veri Messia, à Prophetis & Scripturis Sacris (quibus etiam Judæi fidem vel Divinam tribuunt, vel saltem humanam negare nequeunt) indicata, & vaticinata Veteris Legis de promisso Messia: erga etiam prudenter (adeoque & evidenter) innegabile est, Christum esse verum Messiam. A. P. Propheta in Scripturis Veteris Testamenti prædixerunt locum, nempe Bethlehem, ubi nasceretur Messias, tribum, nimirum David, ex qua ortum duceret, pauperem & humilem victurum, occidendum à Judæis, resurrecturum à mortuis, Leges sanctissimas laturum, Apostolos missurum in Universum Orbem, convertendas ad ipsum gentes per omnia mundi regna &c. ut facile probari posset varijs textibus, si hoc loco tam scrutari Scripturas mihi

constitutum foret, quam rationis lumen attendere: quæ omnia in Christo clarissime adimpleta sunt, ut nemo ignorat ex Prophetijs & Evangelicis Historijs. Afferamus saltem unicum textum, ex quo facilis erit conjectura de alijs. Isaias Propheta c. 35. v. 5. & 6. sic vaticinatus est de Messia: *Deus ipse veniet, & salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet, sicut cervus, claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Ecce! quatuor miraculorum genera, tanquam opera & signa veri Messia, patefecit Divinus Vates: atqui prudenter innegabile est, hæc quatuor miraculorum genera tempore Christi, imò ab ipso Christo fuisse edita, ut Historia Evangelica toti orbi notissima, sub ipsa Christi tempora in Mûndo ubique vulgata, quæ tantæ auctoritatis est, ut hæc saltem humana prudenter negari ipsi nequeat, clarissimis verbis testatur. Audiatur *Marthæus c. 15. v. 30. & 31. Accesserunt ad eum turba multa, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos: & projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos: ita ut turba mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes.* In ejusdem Evangelicæ Historiæ libris narratur suscitatio Lazari jam sepulti, facta à Christo, obscuratio solis, scissura petrarum, aliæque prodigia innumera, quæ vel in vita vel morte vel Resurrectione Christi contigerunt, patratæ vel ab ipso, vel à DEO in contestationem Messiatûs ipsius. Certe opera tam stupenda & totius Naturæ vires lon-

longissimè supergressa inaudijt ferè totus Orbis, usque subscripsit Christum acceptando & adorando tanquam verum Messiam, & plurimi etiam ex ipsis Judæis, qui tot ac tanta signa vel ipsi viderunt presentes, vel innumeris testibus convicti didicerunt ex auditu. Quæ miracula evidentissimum præbent testimonium Christo, illa patranti, vel pro ipso patrata.

Quin imò non solùm ipse Christus, sed & Discipuli ejus, Christi nomine invocato, illustrissima ediderunt miracula, & adhuc edunt. Petrus in nomine JESU claudum ambulare jussit subito sanatum: Joannes, in serventi oleo, illæsus perstitit: alij innumeri cæcis visum, surdis auditum, ægris sanitatem, imò & mortuis reddidere vitam solo Crucis signo, vel solius Christi implorata ope, ut testantur non modò Historia Ecclesiastica, sed etiam Politici Scriptores maximæ auctoritatis, quibus omnibus negare fidem proterva temeritas est, & risu digna stoliditas. Quid quòd ipse Josephus, Scriptor Judæus, hanc de Christo sententiam protulerit: *Eo tempore, aiebat, fuit Jesus vir sapiens (si tamen virum cum fas est dicere: erat enim mirabilium operator &c.) Christus hic erat &c.* Innegabile igitur est, Christum, ejusque discipulos in virtute Christi plurima patrâsse miracula, quæ totum ferè mundum eò permoverunt, ut Christum à Judæis Cruci affixum, & contumeliosissimè habitum, merito pro DEO & vero Messia agnitum adoraret, non ignarus, opera tam admiranda patrare

non hominis, sed solius DEI virtutem esse, minimumque in puri hominis viribus constitutum.

6. Confirmantur dicta hoc efficacissimo dilemmate: vel Christus edidit miracula vel non? si edidit, clarum est eum esse Messiam, pro quo se gessit, & adorati se passus est, nec purum hominem: si non edidit, hoc ingens & maximum miraculum est, quòd Mundus eum receperit pro Messia & DEO, utpote adeò contemptum, humiliatum, & tam exquisitis tormentis occisum, præsertim cum doctrinam valde arduam captu, sensibus difficilem, & quidem per paucos pauperesque piscatores prædicaverit.

7. Probatur assertio nostra 2. ex gravissima vindicta, qua DEUS persecutus est & adhuc persequitur Judæos, Christum non modò Messiam esse negantes, verum etiam crudelissimè interficientes. Unde sic argumentor. Vel Christus fuit verus Messias & naturalis DEI filius, pro quo se gessit & haberi voluit: vel Judæi non peccârunt occidendo Christum: hoc posterius est evidenter incredibile: ergo prius, nempe Christum fuisse & esse verum Messiam & naturalem DEI filium, est evidenter credibile. Ma. patet; si enim Christus fuisset purus homo & non Messias, qualem se gessit, & prædicari à suis discipulis voluit, utique non peccâssent Judæi, sed potius præclarum obsequium præstitissent DEO, cum dignis tormentis & nece ulciscerentur injuriam DEO illatam ab homine, in re summi momenti decipiente tot homines, & ipsam etiam Divinitatem affectante. Min. prob.

Si

Si Judæi non enormiter peccassent occidendo Christum, non potuisset DEUS in ipsis hanc necem Christo illatam ulcisci gravissimis pœnis & longissimo tempore: sed DEUS hanc necem gravissimis pœnis ultus est & etiamnum ulciscitur, adeoque jam per 17. ferè secula; statim enim post hanc necem ceperunt ærumnæ & calamitates maximæ Judæorum, quales nunquam propter aliud scelus, nec tanto tempore, ipsis inflixit DEUS: paucis post hoc immanissimum Deicidij flagitium añis Titus & Vespasianus, prout Christus vaticinando prædixerat Luc. 14. molitus est Urbi Jerosolymitanæ & Templo excidium; quod excepit turpis dispersio per orbem & triste exilium, quo hodie dum plectuntur, destituti Rege, Templo, Prophetis, Sacerdotibus, Oblationibus & Victimis: secutum est odium universale & contemptus, quo omnes nationes persequuntur Judæos, ac despiciunt &c. quæ utique sunt pœnæ gravissimæ non modò affligentes corpus, sed & bonis spiritualibus privantes animam. Quòd autem Judæi hæc tanta supplicia patiantur propter necem Christo illatam, qui tamen clarissimis signis se Messiam in Lege promissum ipsis probaverat, manifestum sit partim ex eo, quòd statim ceperint hæc calamitates post Christum occisum, & aliud tam enorme scelus, propter quod plectantur, non sciatur: partim quia hæc supplicia sunt longè majora, quàm fuere illa, quibus olim castigati sunt Judæi propter peccata alia, etiã gravissima, Idololatriæ, occisionis Prophetarum &c. illa enim sup-

plicia non durabant tanto tempore, non privabant omni solatio, Prophetis &c. quippe Captivitas Babylonica, quæ fuit fortassis maxima Judæorum pœnæ ante Christum occisum, durabat tantum 70. annis, neque illo tempore desuerunt Prophete, qui Judæos solabantur spe Redemptionis &c. partim ex vaticinijs Prophetarum clare deducitur. Audiamus unicum Danielem, qui c. 9. ita vaticinatus est: *Post hebdomades 62.* ( hebdomas juxta Interpretum communem sensum dicit hic spatium 7. annorum) *occidetur Christus, & non erit populus, qui eum negaturus est, & civitatē, & Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo* (nempe Romani cum Tito duce) *& finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio -- deficiet hostia & Sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Pensentur bene singula verba, & claro veritatis radio faciat aditum obdurata & excæcata Gens. Ergo Judæi occidendo Christum longè gravius peccarunt, quàm occidendo Prophetas, adorando vitulum aureum &c. Ergo occidendo Christum occiderunt plusquam Prophetam, ipsum Messiam, & Filium Dei, pro quo se gesit, & qualis haberi voluit.

Pro majori adhuc efficacia hujus argumenti advertet t. DEUM in excidio Jerosolymitano adversus Judæos usum pœnæ Talionis, hoc est, eodem ferè modo eos afflixisse, quo ipsi prius sævierunt in Christum, ut nemo non videret, unde & quam ob causam Judæos tot mala oppræsserint: capta est obsidio

Jero-

Jerosolymæ in monte Oliveto, ubi Christum velut latronem comprehenderunt, ac tyrannidis suæ fecerunt initium: obsessa est populosa civitas ferijs Paschalibus, cum in eam tricies centena millia 3000000. Judæorum confluisent, quo eodem tempore Christum coram innumerabili hominum multitudine inter duos latrones suspenderunt è Cruce: venditus est Christus 30. argenteis, Vespasianus capta Urbe vendidit 30. Judæos uno denario, & taliter venditorum numerus superavit 30000. Judæorum: captus est Christus, capti quoque sunt 97000. nonagies septies mille Judæi: Christus inclusus est arcæ custodiæ, Titus muro ferè 5000. passuum Judæos conclusit velut retibus serarum instar: Christus fuit multiplici contemptu & subsannatione illulus, Judæorum tanta fuit & adhuc est vilitas, ut propensum probrosius esse censetur unicam habere guttam Judaici sanguinis, quam esse latronem, incestuosum, hæreticum: Christus fuit cruci affixus, Judæorum tantus numerus pependit è crucibus jubente Tito, ut tandem corporibus cruce, & crucibus spatium decisset: sitiens Jesus aceto ac felle potatus est, Judæi extrema fame horridum excruciatioria, cingula, calceamenta, & scedissima quæque, imò & proprios infantes vorare ceperunt, cloacas & stercora rimati, ut invenirent, quo rabidam famem sedarent: Christus denique fuit occisus, Judæorum in illa obsidione vel ferro vel igne perierunt undecies centena millia 1100000. Vid. Stengel. de Judicijs Divinis to. 3. c. 53. Adverte  
*R. P. Pichler Theol. Polemica.*

2. Diabolum, qui ante Christi Adventum Judæos sapissime conatus & solitus est impellere ad Idololatriam, jam verò non amplius ad hoc scelus instigare. Sciebat nimirum Spiritus nequam, Judæorum Sacrificia, & ceremonias ante Christi Adventum, multum placuisse DEO, nunc verò nihil valere amplius, nec esse aliud, quam vanas, inutiles, & DEO exosas superstitiones. Unde non est, cur eos abstrahat ab his perverfis ritibus, quibus non tam colitur quam offenditur DEUS.

3. Probatur 3. Judæis nullum amplius suppetit motivum, ex quo Antiqua Lex ipsis fiat evidenter credibilis, quod motivum non pariter pugnet pro Lege Nova. Item omni destituti sunt motivo, ex quo reddatur credibile, Prophetas & Legislatores v. g. Isaiam, Moysen, fuisse Divinitus missos, quo uti non possint Christiani ad suadendum, Christum fuisse Messiam in Lege promissum: ergo si admittunt Prophetas & Moysen, si Legem Antiquam; etiam admittere debent Christum & Legem Novam. Nam Prophetas, Moysen, Antiquam Legem agnoverunt tanquam missos & datam à DEO, quia illi habebant donum prædicendi futura, patrandi prodigia, & quidem in confirmationem Legis Antiquæ: atqui hæc prærogativa pariter, imò longè magis reperta est in Christo & pro Lege Nova: ergo. Et quo modo Judæi contra Gentiles probant, vera fuisse miracula Moyse & Prophetarum, eodem Christiani contra Judæos probare possunt, vera fuisse miracula Christi & ejus assertarum. H COR-

10. Confirmatur 1. Judæi, post Christi adventum carent omnibus signis, quibus olim eorum Religio facta est credibilis evidenter præ omni alia Secta, scilicet carent Miraculis, Prophetijs, Sanctitate eximia tum doctrinæ tum morum &c. Unde confirmatur 2. Fides Judæorum hodie hauritur ex libro Thalmud, quo nihil fabulosius aut ineptius; neque Scripturam Veteris Testamenti habent amplius puram & incorruptam. Quin Thalmud passim ita infamis est, ut Judæi, qui fidem ei tribuunt, fabulas credere & mendacia existimentur. Et hinc forsitan originem sumpsit, quod Germani fabulas & mendacia vocitent phrasi vernacula *Juden*. Ergo Judæorum Religio vera non est, imò ne quidem prudenter credibilis amplius, sed aperte falsa & superstitiosa. Confirmatur 3. ex c. 49. Gen. 10. ubi sic dicitur: *non auferetur sceptrum de Juda & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*, id est, Messias, ut vertit interpretatio Chaldaea: atqui sceptrum tempore Christi fuit ablatum à Judæis in Herode, qui non Judæus erat, sed Idumæus: ergo.

Ob. 1. Judæi habent illa signa pro veritate suæ Religionis, quæ à Catholicis afferuntur pro veritate suæ Ecclesiæ: ergo vel Religio Judæorum est vera, vel neque Catholicorum est vera. A. P. Signa, quæ pro veritate Ecclesiæ Catholicæ afferuntur, sunt Antiquitas, Universalitas, perpetua Visibilitas, Miracula, Sanctitas: sed hæc signa omnia reperiuntur etiam in Religione Judaicæ, quia illa imprimis est antiquissima in

toto orbe. 2. Nulla ferè est regio, in qua non sunt Judæi. 3. à tempore Moyse usque ad præsens videri potuit Religio Judæorum. 4. Miracula Religionis Judaicæ ita sunt nota, ut nemo ignorare possit, scilicet sterilem solem ad imperium Josue, mare fuisse divisum ad faciendum transitum populo Israelitico &c. 5. Sanctitatem illius probant viri sanctissimi, Moyse, Aaron, David, Ezechias, Isaias &c. ergo. R. N. A. Ad probationem transeat M. hæc enim sunt quidem aliqua, non tamen omnia Ecclesiæ Catholicæ signa. N. m. Ad ejus probationem 1. dico; quamvis fuerit antiquissima & à DEO illata in Mundum, tamen non fuit illata, ut duraret semper in tali forma, sed ut mutaretur in melius tunc, quando advenisset Messias, novus Legislator à DEO promissus, cujus illa erat expectatio, umbra, & figura. Et eam defacto esse repudiatam, desertam, ac reprobam à DEO, manifestè patet ex dictis, & peculiariter ex eo, quod cœperit esse sine templo, sine altari, sine sacrificio &c. sine quibus nulla est Religio. Ad 2. non sufficit ad universalitatem Ecclesiæ, si una vel altera familia hinc inde dispersa per orbem habitet negotiationis & mercimoniorum causâ, sed requiritur, ut eadem Religio inter omnes nationes & populos cultus Divini causâ diffusa sit, eumque publicè exerceat. Ad 3. Verè visibilis Ecclesia debet esse instar Montis super alios montes exaltati, ut prænuñtiavit Isaias c. 2. Sed Synagoga Judæorum non est talis mons ita exaltatus, cum non tantum à Christianis, sed etiam à Gentilibus

bus habeatur pro omnium contemptibilissima. Ad 4. & 5. post Christi adventum Judæi pro sua secta nullum amplius miraculum, nullum virum egregiè sanctum & prodigiosum allegare possunt. Miracula autem Moïsis, Eliæ, Josue &c. quæ & sanctitas similitum virorum nihil profunt Judæis defacto; dum enim clarebant isti viri miraculis & sanctitate, Synagoga fuit adhuc vera Religio, & prodigia facta sunt in bonum Religionis Christianæ, quia facta sunt in confirmationem illius Religionis, quæ expectabat Christum, tum nondum præsentem. Cæterùm miracula in confirmationem Religionis, quæ adorat Christum tanquam Messiam præsentem, longè excedunt, præsertim numerò, illa Antiqui Testamenti.

17. Ob. 2. Messias à Prophetis dicitur venturus cum gloria & Majestate mag-

na, eúmque ignis & flamma præcedet &c. ut testantur David & Isaias: sed adventus Christi non fuit talis: ergo. R. D. M. Messias venturus ad judicandum C. M. venturus ad redimendum & salvandum. N. M. duplex à Prophetis describitur Adventus Messie; unus ad redimendum, alter ad judicandum; in illo Messias dicitur pauper, humilis, mitis, despectus, novissimus virorum, venditus, occisus, ut legere est apud Isaiam & Zachariam. Duplicem hunc adventum pulchrè insinuavit David Ps. 95. dicens: *Quia venit, quoniam venit judicare terram*: propter primum ejus adventum, quia fuit simplex & humilis, Propheta dicit simpliciter, *quia venit*, propter secundum verò, quia erit cum virtute magna ac terribilis, addit, *quoniam venit judicare terram.*

## ARTICULUS IX.

Unica ex Christianis est vera Religio.

*Contra Indifferentistas strictiores.*

### SUMMARIUM.

1. Indifferentista strictiores sunt in duplici differentia.
2. Enumerantur quidam.
3. Impugnantur illi, quibus sufficit credere in Christum, simpliciter & confuse tantum.
4. Et illi, quibus sufficit explicita fides præcipuorum tantum articulorum de Christo, quia hoc est contra Scripturam.
5. Et contra evidentem rationem.
6. Adde, quòd diversa Religiones Christiana non in eodem sensu accipiunt præcipuos de Christo articulos.
7. Et quòd vel unicum articulum à DEO sufficienter revelatum negare sit gravissimum crimen, & ex fidei faciat infidelem.
8. Accedit sensus primitiva Ecclesie, quam

R. P. Pichler Theol. Polemica.

H. 2.

quam

- quam omnes Sectæ Christianorum agnoscunt fuisse puram ab errore,
9. Item sensus communis modernorum Christianorum omnium exceptis Indifferentistis.
10. Ex absurdis sequelis impugnatur ulterius Indifferentismus.
11. Et rursus ex Scriptura.
12. Quam totam tollere potes, si sufficit præcipuos de Christo articulos credere.
13. Demum unde probat Indifferentista, requiri & sufficere, si quis credat præcipuos articulos v. g. in Symbolo Apostolorum contentos?
14. Articuli fidei male dividuntur in substantiales & accidentales, seu in necessarios & arbitrarios.
15. Quia omnes sunt equaliter veri & certi.
16. Quia nec ab Adversarijs potest determinari, quinam sint substantiales & accidentales.
17. Et quia quilibet Christianus debet saltem implicite credere omnia à DEO revelata.
18. An & quando sufficere possit credere præcipuos fidei articulos.
19. Quid dicendum ad textus & exempla Scripturae,
20. Et ad praxim primitivæ Ecclesiæ.
21. Illos articulos, qui inter Christianos controversi sunt, DEUS non voluit esse liberos creditu, imò nec velle potuit.
22. Ecclesia Romana nunc nihil credit contra Antiquam.
23. An & quomodo credibile sit Sectarios, cateroquin moratissimos, perire.
24. An tam pauci sint in vera fide, ut Sectarij dicunt.
25. An Sectarij iusta fuerit causa desciscendi ab Ecclesia Romana.
26. An symbolum Apostolorum continet omnia creditu necessaria.
27. Tota Ecclesia nec in errorem morè materiale incidere potest.
28. Quid dicendum de articulis, quos Catholici vocant necessarios necessitate medijs, & præceptis.
29. Quomodo DEUS velit omnes homines salvos fieri,

3. Sciendum i. Superius Art. 5. satis Superque confutatos esse Indifferentistas Laxiores, seu Libertinos, his autem valde vicinos esse Indifferentistas, quos appellare placuit Indifferentistas Strictiores, eo quòd adeptionem salutis restringant ad solam, & omnem Christianam Religionem, ita ut quivis in qualibet Religione, quæ Christum profitetur, æternam beatitudinem consequi va-

leat, asserentes, illud discrimen, quod inter Catholicos, Lutheranos, Calvinistas &c. intercedit, non esse substantiale, nec in fundamento fidei, sed solum circa res ad salutem non necessarias; cum omnes credant in unum DEUM, in unum Christum Redemptorem, omnes per baptismum renati sint &c. Hos nimis laxos & pseudo-politicos homines alij vocant etiam *Adiaphoristas*, *Syncretistas*, vel etiam Liber-



tinosisporum verò Secta dicitur *Indifferentismus*, *Adiaphorismus*, *Syncretismus*. Dividuntur in duas classes præcipuas. Prima est eorum, qui putant sufficere, modò credatur in Christum modo quodam confuso, etiam si in specie & explicite non credantur præcipua de Christo mysteria v. g. Passio, Resurrectio, duplex Natura per Unionem Hypostaticam conjuncta in unam Personam &c. Et tales sunt pauci. Altera classis est eorum, qui docent, requiri & sufficere ad salutem, si quis credat præcipua de Christo mysteria, seu præcipuos articulos tum de Christo, tum etiam de SS. Trinitate, quos articulos vocant *Fundamentales*, *Substantiales*, *Essentiales*, & ad salutem *Necessarios*; reliquos autem vocant *Accidentales*, *Arbitrarios*, *Adiaphoros*, quos credere vel non credere pro libitu quis possit, & citra periculum salutis. Jam ingens inter hos diversitas est, quinam sint illi articuli substantiales? nam alij dicunt, eos contineri in Symbolo Apostolorum, alij in hoc simul & in Symbolo Nicæno, & S. Athanasij: alij in Catechismo Lutheri &c. imò nec desunt, qui dixit, inter articulos substantiales etiam esse credere, quòd Papa sit Antichristus. Ubi adverte diligenter, Indifferentistas docere, quòd articuli accidentales non solum ignorari, sed etiam negari possint salvo fidei fundamento. Ita *Auctor Resp. ad 24. dubia Christiani scrupulis agitati f. 28. qui libellus hic Auguste editus est anno 1702.*

2. Sciendum 2. Illos, qui dicunt, quòd præcipuos articulos de Christo &

SS. Trinitate oporteat, atque sufficiat ad salutem, credere tanquam fundamentales, fuisse ac esse sat magno numero, inter quos censentur Zeno Imperator apud Evagrium, & Apelles Marcionista antiquus hæreticus apud Eusebium. Item Eras. Roterodamus, Marcus Ant. de Dominis Apostata, Georgius Cassander, Bernardinus Ochinus, Theodorus Beza, Jo. Crocius, Jo. Seranus, Georg. Calixtus, Thomas Hobbesius, & alij multi in Comitij Ratisbonensibus anno 1653. & 54. Accenseri possunt Syncretistæ, & Pietistæ, circa annum 1686, exorti in Saxonia, & in Wirtembergia, ut audio, multum invalescentes, qui tamen genu nos se Lutheranos dicunt. Idem faciunt Politici quam plurimi, qui se profitentur Confessionistas seu Lutheranos, & tamen Catholicos æquè & Calvinistas, ac Lutheranos, salvari posse tenent, utpote credentes in Christum, juxta illud Jo. 3. v. 15. *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed vitam æternam habeat.* Quibus accenseri possunt multæ Heterodoxorum aula, in quibus (ut retulit mihi vir doctus, & insigniter probus, qui relicto Lutheranismò simul & honorifico in Caltris munere ad Ecclesiam Romanam redijt) Principum liberi educantur secundum principia Indifferentismi, ne scilicet scrupulose nimis arctata Religio splendidis cum tempore Matrimonij obtet, aut alteri propitia sorti. Primùmque nuper, nimirum sex abhinc annis, Fabricius quidam Lutherane Theologiæ Doctor ac Professor Altdorffii & Helmstadij publico scripto defendit, Principillam

Wolfenbitelianam, Sereniff. Hispan. Regi Carolo Austriaco (nunc Casari) desponsatam, bonâ conscientia ad Catholicam Religionem transiisse, eò quòd etiam in hac salutem suam consequi possit. Idem apud hunc in Confid. var. Controv. sentiunt Dirrius & alij. Imò ipse ego propria experientia secularis adhuc didici, non paucos in hac urbe August. hoc suavi veneno infectos esse: nec vana mihi est suspicio, plures hac inani spe lactari, qui tamen id exterius non prodant.

3. Dico 1. Falsum est, salvari posse omnes, qui simpliciter, & confusè tantum credunt in Christum, nec in particulari credunt præcipua de Christo mysteria. Probat. Si omnes salvari possunt, qui credunt in Christum saltem confusè, tunc potuerunt salvari omnes Hæretici antiqui, qui fuerunt temporibus Apostolorum, & in primitiva Ecclesia: sed hoc non possunt admittere isti Indifferentistæ: ergo non omnes, qui credunt in Christum confusè & quomodocunque, salvari possunt. Ma. est clara; quia omnes Hæretici saltem aliquo modo & confusè credebant in Christum; aliâ non fuissent Hæretici, sed omnino Pagani. m. P. Si isti Indifferentistæ admittunt, omnes Hæreticos antiquos potuisse salvari in suis sectis, tunc erroris arguunt 1. Apostolos, qui Hæreticos acerrimè sunt persecuti tanquam Antichristos & anteaambulones Antichristi, eosque habebant pro hominibus damnatis; nam omissis alijs S. Paulus ad Titum 3, ait: *Hæreticum hominem devota, sciens, quia subversus est, cum sit proprio ju-*

*dicio condemnatus.* Arguunt 2. totam & universam Ecclesiam primitivam, quæ tamen juxta hos Indifferentistas fuit vera Christi Ecclesia, & damnavit Hæreticos antiquos. Arguunt 3. ipsum Christum, qui Hæreticum, quia non audit Ecclesiam, haberi voluit sicut Ethnicum & Publicanum. Mat. 18. 4. Denique arguunt ipsum DEUM, qui contra Sectarios & Hæreticos illos innumeris miraculis & vaticinijs constanter pugnavit.

Eadem, m. ulterius confirmatur ex alijs adhuc sequelis; nam si Indifferentistæ admittant, etiam antiquos Hæreticos omnes potuisse salvari, scilicet Arianos, Macedonianos, Nestorianos, Eurychianos, Pelagianos, Novatianos, Donatistas, Montanistas &c. Sequitur 1. Vana fuisse omnia Concilia contra Sectarios tanto labore coacta. 2. Irrita & iniqua fuisse tot anathemata, quæ fulminabantur à Concilijs in Hæreticos. 3. Frustra sudasse Patres in excindendis Hæresibus. 4. Crudeliter egisse Imperatores & Pontifices, qui tot ac tam graves penas statuerunt contra Hæreticos. 5. Deceptos fuisse tot Martyres, qui maluerunt perdere vitam, quàm approbare hæresim. 6. Delirasse omnes Orthodoxos, qui tæmpla, carus, confortia, & libros Hæreticorum tanto studio sibi fugienda duxerunt. 7. Stultescere omnes Christianos, qui sibi in rebus fidei contradicunt, seque mutuo exagitant. 8. Inter Christianos non reperiri posse ullum Hæreticum, Pseudo-prophe-tam, Magistros mendaces, Lupos rapaces, qui animas pervertant & in exitum

ium trahant; cum omnis Christianus saltem confusè confiteatur Christum. Ad quid ergo tam severè nos jubet cavere Christus. Mat. 7. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces?* Quid veritatis habent illa Christi & D. Petri vaticinia? *Multi Pseudo propheta surgent, & seducent multos. Mat. 24. In vobis erunt Magistri mendaces, qui introducent scilicet perditionis. 2. Petri 2. v. 1.*

Sufficiunt hæc ad tam absurdam, rationi tam dissonam, & tam paucorum sententiam consultandam. Accingo me itaque ad alteram classè, quæ plures habet Patronos, non tamen meliores rationes, &

4 Dico 2. Falsum est, salvari posse omnes, qui credunt in Christum, distinctè credendo scilicet potissimos articulos, in Symbolo Apostolico comprehensos, nempe tam Lutheranium, Calvinistam, Anabaptistam, Sacramentarios &c. quàm Catholicum. Prob. 1. In Ecclesia Christi sicut unus est Dominus, ita una est fides: sed in diversis sectis, quæ agnoscunt Christum, non una est fides: ergo in diversis sectis, licet Christum agnoscant, non est Ecclesia Christi, & vera Religio; cum fides sit forma denominans Religionis; nam Religio seu Ecclesia est *causa fidelium*. Sed extra Ecclesiam Christi non est salus: ergo. m. est in professo apud omnes Sectarios; nam Calvinista non fatebitur se eandem omnino fidem habere cum Lutheranis, Zwingliano, Catholico &c. neque Lutheranus fate-

bitur, fidem sibi communem esse & eandem cum omnibus Christicolis. M. P. ex D. Paulo Eph. 4. v. 4. ubi dicitur: *Unum corpus & unus spiritus, sicut vocati estis in una sic vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus & Pater omnium.* Quasi diceret Apostolus, æquè impossibile esse, plures dari fides & Religiones veras, inter se oppositas, quàm impossibile est dari plures, quàm unum verum DEUM, Dominum, & Spiritum, à quo vera Religio provenire, & Ecclesia vera dirigi debet.

5 Prob. 2. Falsa fides est idem ac nulla fides: sed qui nullam habet fidem, non potest placere DEO & salvari: ergo neque, qui falsam habet fidem: sed plurimæ sectæ Christianorum necessitudo sunt falsæ: imò omnes sunt falsæ præter unicam: ergo non nisi in unica ex omnibus possunt homines salvari. Subsumpt. P. Implicat, ut plures fides è diametro sibi opposita, & quæ doceant contradictoria dogmata, simul sint veræ: sed diversæ inter Christianos fides plurimæ, imò omnes, licet potissimos articulos de Christo profiteantur, sunt è diametro opposita, & docent contradictoria dogmata: ergo plurimæ imò omnes præter unicam non sunt veræ, sed falsæ. m. ostenditur, quòd scilicet fides diversæ, licet habeant potissimos articulos de Christi Divinitate, Humanitate, Nativitate ex Virgine, Passione &c. doceant contradictoria: Fides Catholica v. g. quæ est diversa & distincta à Lutheranis, Calvinisticis, & ab indifferentismo, docet has propositiones: *Dantur septera*  
Sac.

*Sacramenta à Christo Domino instituta: Christus est vere presens sub speciebus Eucharisticis: unica tantum Religio, scilicet Catholica, est talis, in qua obtinetur salus: sed has propositiones negant prædictæ tres sectæ, primam quidem Lutherana, secundam Calvinistica, tertiam Indifferentismus: ergo docent contradictoria; cum, quod una affirmat, altera neget.*

Accedit diversitas maxima in moribus & cultu Divino, quæ ortum ducit ex diversis dogmatis: sic nos Catholici adoramus Eucharistiam, alij autem, licet Christianos se vocent, pedibus calcant: nos genuflexi preces fundimus, sacrificamus, jejunamus, castigamus corpus cilicis & flagellis, Sacramenta septem suscipimus, castitatem aliasque virtutes ac virtutum actus vomemus, & reddimus DEO &c. alij e contra, uti Lutherani, licet Christiani vocentur, & aliquo modo sint, unica ferè Cœnâ suâ, eaque vacuâ, & auscultatione concionum contenti sunt. Non igitur omnes colunt DEUM aut Christum cultu vero, quo eoli desiderat, sed multi falso ac spurio, moribus longè dispares.

Confirmatur. Non sufficit ad salutem, ut ipsimet adversarij fatentur, credere & colere DEUM, sive is verus sive falsus sit DEUS: ergo nec sufficit adherere Religioni, seu hæc vera seu falsa sit: vera autem non potest esse, nisi una: ergo &c.

6. Prob. 3. Non omnes Sectæ Christiani nominis, licet videantur credere potissimos articulos fidei in Symbolo Apostolico contentos, illos credunt: ergo non in omnibus sectis Christiani

nominis obtinetur salus. P. A. 1. Non omnes credunt articulos Symboli in eodem sensu, ut in peculiari libro demonstrat Forerus, v. g. articulum *de descensu Christi ad inferos* aliter intelligunt Calvinistæ, qui putant, ibi significari, Christum sustinuisse tormenta damnatorum, & dubitasse de sua salute; aliter intelligunt Catholici & Lutherani, qui putant, expositionem Calvini esse blasphemiam; aliter alij intelligunt, qui putant Christum descendisse ad inferos, nihil esse aliud, quam esse illatum sepulchro &c. Prob. 2. Idem ant. Articulum. 9. *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam*, licet Sectarij verbo teneant, re ipsa tamen negant; nam juxta ipsos sancta Ecclesia Catholica, quæ primis post Christum trecentis & amplius annis floruit, postea à vera fide defecit, facta adultera, atque multis sæculis in hoc adulterio & erroribus perduravit: sed talis Ecclesia, quæ defecit, errat, ac in tanta flagitia ruit, non est *sancta & Catholica*.

Prob. 4. Ut aliquis fiat salvus, non sufficit servare unum, duo, vel tria mandata, sed necesse est servare omnia, juxta illud Christi: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Mat. 19. Item juxta illud Jac. 2. *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus; qui enim dixit, non machaberis, dixit & non occidet.* Quasi diceret Apostolus: punietur quasi totius legis violator, quia contempsit ipsum Legislatorem, qui totius legis est Auctor. Jam infero à pari: ergo neque ad salutem sufficit duos, tres, vel plures articulos credere,

dere, sed necesse est omnia, quæ DEUS nobis revelavit, & per Ecclesiam credenda proposuit, credere: & qui unum articulum negaverit, etiam si reliqua omnia credat, factus est reus totius fidei, nimirum quia contemnit primam Veritatem DEUM, qui non minus hunc, quam alios articulos revelavit: insuper contemnit Ecclesiam, quæ est columna & firmamentum veritatis, 1. Tim. 3. non minus hunc, quam alios articulos proponentem. Et hinc non minus est hæreticus, qui unum articulum sufficienter revelatum à DEO, & ab Ecclesia propositum, negat pertinaciter, quam qui centum; quia æquè contemnitur auctoritas Dei revelantis, & Ecclesiæ affingitur error. Item ex hoc ipso patet, quòd, qui vel unicum negat articulum, ille nullum credat fide Divina, quia non credit propter auctoritatem DEI, utpote quam spernit, aliquos articulos non credendo. Id quod pulchrè indicavit jam pridem S. August. dum l. 13. contra Faustum c. 3. sic ait: *qui in Evangelio, quod vultis, creditis, quod non vultis, non creditis, vobis potius, quam Evangelio creditis.*

8. Prob. 5. Ex sensu primæ Ecclesiæ, cui nulla secta Christiana refragari potest; quem sensum satis nobis indicat Athanasius in suo Symbolo, quod ita incipit: *Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam fidem, quam nisi quisque in gram inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit.* Atqui Symbolum S. Athanasij, uti & Evangelium, cui credendum esse Augustinus paulò

R. P. Pichler Theol. Polemica.

antè edixit, præter articulos in Symbolo Apostolico contentos continent plurimos alios: ergo non sufficit ad salutem credere tantum articulos Symboli Apostolici. Conspirat S. Fulgentius l. de fide c. 38. *Firmissimè tene, inquit, & nullatenus dubites, non solum omnes Paganos, sed etiam omnes Judæos, Hæreticos, atque Schismaticos, qui extra Ecclesiam Catholicam presentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros.* Hæc nempe semper fuit Patrum omnium indubitata doctrina, ut eos evolventi patebit. Neque dissentientes in uno vel altero puncto fidei tolerabant ut adhuc futuros cæli coheredes, sed ut Hæreticos damnabant. Neque in Concilijs deliberabant de ejusmodi rebus controversis tanquam de questionibus merè Scholasticis, sed tanquam de articulis summi ad salutem nostram momenti.

9. Prob. 6. Ex communi sensu moderno omnium Ecclesiarum; nam non modò Catholici excludunt alias sectas à Regno cælorum, sed etiam Sectarij. Vah! quanta in ipsis exardescunt certamina? Puritani in Anglia damnant Protestantæ, Protestantes damnant Sacramentarios, hi & illi Anabaptistas &c. ergo sectæ ipsæ, quas Indifferentistæ tueri volunt, tanquam ad salutem obtinendam sufficientes, suo judicio & factò ipso adversantur, ut ad eò miser Indifferentista, dum cupit omnibus patrocinari, omnes habeat adversarios, & neminem ex omnibus Sectarijs Patronum, qui nempe nondum à sua secta ad Indifferentismum defecerunt.

10. Prob. 7. Ex varijs & abiurdis se-

I

quo-

quælis. Nam si omnes, qui credunt articulos Symboli Apostolici, possunt salvari in sua secta, sequitur 1. etiam potuisse salvari Pelagianos, qui negabant peccatum originale & necessitatem gratiæ internæ: Nestorianos, qui duas in Christo personas constituebant: Macedonianos, qui Spiritum Sanctum minorem esse volebant Filio: Novatianos, qui lapsos ad penitentiam recusabant admittere &c. quia hi omnes credebant omnia, quæ de Christo tradit Symbolum Apostolicum. Sed his adjudicare salutem est primævam Christi Ecclesiam & totam Antiquitatem erroris arguere per summam proterviam.

Sequitur 2. Salvandos illos, nec hæreticos fore, qui negarent baptismum & omnia Sacramenta, quia nihil de his in Symbolo Apostolico.

Sequitur 3. Etiam Idololatrias posse salvari; nam Catholici ( ut eos Sectarij licet falsò accusant ) sunt Idololatri, quia pani Eucharistico deferunt divinos honores, & tamen credunt articulos Symboli Apostolici: atqui absurdum est admittere ad salutem Idololatrias, quos neque Indifferentistæ Laxiores salvandos credunt, quia adorando creaturas pro DEO nimis stultescunt contra lumen naturale, nec verum DEUM colunt, sine quo cultu nulla est Religio possibilis.

Sequitur 4. Malè fecisse Paulum, quòd à salute per Christum obtinenda exclusit Galatas, eò quòd crederent præter fidem Christi etiam necessariam sibi esse Circumcisionem, dum c. 1. ad Galatas clarè & severè pronuntiat: *Quoniam si circumcidamini, Christus vobis*

*nihil proderit: ergo & alia, quàm quæ continentur in Symbolo Apostolico, credenda, facienda, vel omittenda sunt illi, qui salutem sperat.*

Sequitur 5. Pessimè fecisse Majores tuos, ex quibus velut malo ovo infausa soboles ortum habes, pestilens Indifferentista, Majores, inquam, tuos, scilicet Lutherum ejusque affectas omnes pessimè fecisse, quòd à Romana Ecclesia desciverint perduelles; si enim quivis Christianus in sua fide, in qua natus est, possit salvari, quid, quæso, opus fuit tanto tumultu, tanta effusione sanguinis, tot ac tam diuturnis bellis, quibus misera Germania nostra propter dissidentiam in fide Novatorum turbas lacerata est, ut introduceretur nova Religio Christiana, nec melior nec tutior antiqua? Ex hac enim scissione emerferunt tot bella, lites, seditioes, rebelliones, aversiones animorum, contentiones, mutua persecutiones, factiones, dissensiones, & alia mala innumera. Quo jure Majores tui rapuerunt tot bona & ditiones Ecclesiasticas? Quo titulo tot Tempia, Monasteria, & integras Dioceses ac Provincias suis possessoribus eripuerunt armata vi? Urgeatur hæc interrogatio; nec enim video, quid Indifferentista reponere possit.

Sequitur 6. Indifferentistas prorsus imprudenter agere, dum viam incertam pro certa eligunt ad cælum: quippe Ecclesia Chatholica, quam ipsi non sequuntur, est via certa ad salutem, quia non solum Catholici, sed & Indifferentista ipsi fatentur, in ea posse obtineri salutem: e contra Indifferentismus est via

via profus incerta ac dubia, quia omnes Catholici, & plerique etiam Sectarij cum detestantur, ac erroneam judicant, atque ab aeterna salute arcant Indifferentistas.

11. Confirmantur dicta ulterius 1. ex Sacra Scriptura Isa. 16. v. 12. dicitur: *Gens & Regnum, quod non servierit tibi, peribit.* 2. *Qui Ecclesiam non audit, neque ei obtemperat, habendus est sicut Ethnicus & Publicanus.* Matth. 18. v. 17. Sed non omnes Christiani, qui inter se habent diversa dogmata & leges, audiunt, vel obtemperant Ecclesiae, quae utique debet esse una & concors in doctrina; sed obtemperant pluribus sectis. 3. Arca Noë fuit typos Ecclesiae: sed extra Arcam nemo fuit salvatus. 4. Ecclesia est *Sponsa Christi.* Osee 3. v. 19. 20. Isa. 2. v. 5. Christus autem habet Sponsam unicam, & qui ex hac Sponsa natus non est, spurius est. 5. Ecclesia est corpus, Christus verò Caput, ut omnes fatentur Christiani: ergo omnia Ecclesiae membra debent huic corpori esse unita; alijs non habent Spiritum Christi, quem membra debent habere à capite: *Siquis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*, hoc est, ad Christum seu vitam aeternam non pervenit, ut explicat S. August. de unit. Eccles. c. 16. 6. Ecclesia est *ovile Christi*: extra ovile Christi non sunt oves Christi; qui autem non sunt oves Christi, sunt haedi, non salvandi.

12. Confirmantur 2. Si satis est credere articulos in Symbolo Apostolico expressos, poteris è medio tollere totam Scripturam Sacram tam veteris, quam

R. P. *Pichler Theol. Polemica.*

novi Testamenti, vel tota Biblia ad unum folium redigere: sed quis Sectariorum, quorum unicum fundamentum, solatium, & scutum sunt Biblia Sacra, admitte ralem hominem salvati posse? ergo Indifferentismus Sectariorum, qui omnibus, qui profitentur articulos Symboli Apostolici, promittit salutem, est fallax. M. constat; quia Symbolum Apostolicum nec in novi, nec in veteris Testamenti libris Canonicis continetur, vel si contineretur, unum folium non excederet. Imò Scriptura ipsa non amplius esset curanda, quoniam neque de hac fit mentio ulla in Symbolo Apostolorum. Quara-  
tione multis curis in pervestigando Scripturae sensu simul & semel liberaremur.

13. Confirmantur 3. Nullo jure, nulla autoritate, nulla ratione asserunt Indifferentistae, ea solùm ad substantiam fidei ac Religionis pertinere, quae in Apostolico Symbolo continentur. Cur magis spectet ad substantiam fidei, Christum esse natum ex Virgine, non ex femina qualicumque, passum sub Pontio Pilato, non sub alio Praeside, & quidem in cruce, eum sepultum fuisse post mortem, ac descendisse ad inferos &c. quam esse ejusdem cum Patre substantiae, unitum humanitati non affectivè tantùm, sed physicè, in unam tantùm personam, omnes peccasse in Adamo, & ideo omnibus necessarium esse Baptisimum, item necessariam esse Eucharistiam &c. cum tamen ista non sint in Symbolo, bene tamen illa?

14. Dico 3. Non rectè fit discrimen inter articulos fidei, ita ut aliqui vocentur substantiales, essentiales, funda-

I 2 men-

mentales, & necessariò credendi; alij autem accidentales & adiaphori, quos credere vel discredere pro libitu quis possit salva fidei integritate.

35. Prob. 1. Omnes articuli, à DEO revelati, sunt æqualiter veri ac certi: ergo vel omnes, vel nullum credere tenemur. A. est clarum; quia hoc ipso, quòd sint revelati à DEO, nituntur infallibili auctoritate Divina, fallere & falli nefcia, propter quam auctoritatem solam articuli substantiales & fundamentales, ut vocant, sunt infallibiter veri ac certi. C. P. qui negat articulum, quem tu *accidentalem* vocas, & quem à DEO revelatum esse sufficienter agnoscit, æquè spernit auctoritatem DEI, talem articulum testantis, quàm qui negat articulum *substantialem*: ergo vel utrumque vel neutrum tenemur credere; ratio enim & motivum, quod ad credendum nos obligat, est prorsus idem, scilicet *revelatio Divina, vel auctoritas DEI loquentis*, quæ non minùs spernitur, si negetur ipsi fides, dum res parvas testatur, quàm dum majores affirmat.

36. Prob. 2. Non potest ab adversarijs determinari, quinam sint articuli substantiales, & quinam accidentales tantum: erge hæc distinctio articulorum non rectè instituitur. A. P. vel enim desumunt ex Sacra Scriptura, vel ab Ecclesia, vel ex spiritu privato? non ex Sacra Scriptura, quia hæc nullibi mentionem facit de articulis essentialibus vel substantialibus, & de accidentalibus vel arbitrarijs: non ab Ecclesia, quia hæc volunt esse constatam ex pluribus scõtis, quatum nulla cum altera

convenit, sed hæc istud, alia aliud necessariò credendum clamat non ex spiritu privato, quia hic est infamis omnium errorum Magister, & omnium dissensionum origo. Unde

Confirmatur hoc argumentum: ipsimet adversarij non conveniunt in statuendis articulis substantialibus & necessariò credendis, dum aliqui plures, alij hos, alij alios assignant: quidam asserunt, articulos substantiales contineri in Symbolo Apostolico, alij autem in tribus symbolis, nimirum Apostolico, Nicæno, & S. Athanasij, alij in primis quatuor Concilijs, alij in magno & parvo Catechismo Lutheri. Quis ergo prudens sequatur hos Novatores, facientes discrimen inter articulos fidei, quorum aliquos necessariò oporteat credere, alios autem credere vel repudiare liberum sit; cum prorsus incertum sit, quinam sint articuli isti substantiales? Accedit, quòd utique fundamentalis & ad salutem necessarius articulus sit de Mysterio Eucharistia, de vera Eucharistia sumptione, de Prædestinatione, & Baptismi necessitate &c. & tamen quantum in his articulis discrepant tum Lutherani inter se, tum Lutherani & Calvinistæ &c. Neque isti articuli continentur in Symbolo Apostolico &c.

17. Prob. 3. Quivis verè Christianus debet habere hunc actum: *Ego credo omnia, quæ DEUS revelavit*: ergo nullum articulum, quem Deus revelavit in Scripturis vel alio modo, à sua fide potest excludere; alias enim haberet fidem prorsus chymaticam, & sic diceret: *Ego credo omnia à DEO re-*



velata; &c: *Ego aliquid à DEO revelatum non credo*, quod esset sibi contradicere; sicut ille sibi contradiceret, qui hoc modo sentiret: *Omnis homo est redemptus à Christo; aliquis homo non est redemptus à Christo*. Adeoque licet non teneamur omnes articulos à Deo revelatos credere distinctè, singulariter, & fide explicità; tenemur tamen nullum negare, quando constat sufficienter, eum esse revelatum à Deo; item tenemur saltem omnes credere confusè & implicitè, dicendo: *Ego credo omnia, quæ Deus revelavit*.

Neque dicas, DEUM nos non obligare ad omnes articulos credendos, licet eos revelet, quorum fides nimirum non multum ad salutem conducit v.g. credere, quod Martha fuerit soror Mariæ, quod canis Tobie moverit caudam, quod detur Purgatorium, & quæ alia sunt levioris momenti, sunt utique talia, sine quibus haberi potest tota integritas fidei. Neque hoc, inquam, dicas; est enim prorsus impossibile, ut DEUS hominibus aliquid asserat & revelet, illis tamen liberum & arbitrium relinquat illud credere vel repudiare: utique DEUS non potest ita vilipendere suam auctoritatem. Quamvis sua fidei integritas constaret, licet ad speciem leviora quædam (inter quæ immeritò numeratur Purgatorium) à DEO non fuissent revelata; postquam tamen constat, ea à DEO nobis esse revelata, fieri non potest, ut sine gravi DEI injuria ea discredamus; quippe hoc idem esset, ac dicere, DEUM in rebus minoris momenti fallere & mentiri, licet in majoribus de-

cipere non velit. Unde qui articulos substantiales tenere & firmare cupit repudiatis alijs, totum fidei fundamentum evertit, & ex fide Divina facit Humanam, cum potius sibi credat, quam DEO loquenti. Deinde unde scis, DEUM obligare solum ad credendos articulos primarios? ubi DEUS hoc asseruit? ubi determinavit illos articulos? quare est articulus substantialis necessariò credendus, quod Christus sub Pontio Pilato passus sit, & quare non sit articulus substantialis de Purgatorio? de presentia Christi in Eucharistia? &c.

Quæres, an nunquam sufficiat ad salutem fide explicità & distinctè credere præcipuos articulos fidei, in Symbolo Apostolico contentos? *18.* Sufficere, si triplex conditio adimpleatur. 1. Si credas explicitè 2. articulos Symboli Apostolici secundum verum & legitimum sensum. 2. Si nullum habeas errorem fidei veræ contrarium. 3. Si reliquos articulos à DEO revelatos saltem implicitè credas. Si verò tres istas condiciones & comites non habeat tua fides, qua credis articulos Symboli Apostolici, habes fidem erroneam, humanam solum, ac primæ Veritati DEO injuriosam, cujusmodi fides utique DEO placere nequit. Atqui (subsumo, & hætenus dicta ulterius confirmo) non omnes Christiani credunt articulos Symboli in legitimo & vero sensu, tenentur varijs erroribus, & non omnes reliquos articulos à DEO revelatos credunt, sed multi faciunt discrimen, uti constat ex dictis: ergo.

19. Ob. 1. Joan. 2. dicitur: *Ut omnis, qui credit in ipsum (scilicet Christum) non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Et Joan. 17. *Hec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum DEUM, & quem misisti IESUM Christum.* Item Marci ult. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: atqui omnes Christiani sunt baptizati, credunt in Christum & unum DEUM: ergo omnes Christiani (licet Catholici non sint) erunt salvi.* ¶ Per hos & similes textus probari quidem, quod ad salutem necessarius sit Baptismus & fides in Christum atque in unum DEUM, vel explicita, vel implicita saltem; non tamen probatur, hæc sufficere; aliàs enim nec requireretur fides in Spiritum Sanctum, neque de Resurrectione mortuorum &c. quod utique Adversarij non admittent. Debent igitur ista credi & fieri, quæ in similibus textibus revelantur, vel præcipiuntur, debent tamen insuper & alia credi & fieri, quæ in alijs Scripturæ textibus vel revelantur vel præcipiuntur v. g. debet credi una Ecclesia, & eum, qui illam non audierit, habendum esse sicut Ethnicum. Mat. 18. adeoque damnandum.

Dices 1. Latro in cruce nihil aliud credidit, quam Christum, & tamen fuit salvatus: ergo omnis, qui credit in Christum, salvabitur juxta illud. Joan. 3. *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam.* 2. S. Paulus Corinthios vocat *Sanctos* propter invocationem Nominis JESU, seu propter fidem in Christum, licet inter illos essent schismata, ut patet ex 1. Cor.

1. & 3. ¶ ad 1. Latro explicitè quidem solum credebat Christum, implicitè tamen omnia alia, quæ DEUS revelavit, ipsi tamen nondum erant cognita & sufficienter proposita: credidit igitur in Christum, cetera tamen non negavit, uti tamen faciunt Sectarij, qui plures articulos sibi factis propositos negant. negant v. g. præsentiam Christi in Evcharistia, Purgatorium &c. Ad 2. Schisma & dissensio Corinthiorum non fuit circa res fidei, sed circa præstantiam eorum, qui ipsis Evangelium annuntiaverant, dum quidam dicebant: *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Zephæ,* alij verò dicebant, *se sequi Christum.* Vel si fuisset etiam circa res fidei dissensio, isti tamen Corinthij non fuerunt pertinaces, uti sunt hæretici, sed docibiles: nec unquam res venit ad rupturam & separationem. Ceterum eadem fuit Pauli, Apollo, & Zephæ, hoc est, Petri fides: at Romani Pontificis, Lutheri & Calvini, non est eadem fides. Apud Corinthios igitur fuit contentio ambitionis, inter nos verò & Sectarios est contentio Religionis & fidei.

Dices 2. Etiam in primitiva Ecclesia fuerunt dissensiones inter fideles, imò & inter ipsos Apostolos, nec tamen propterea statim scissa est Ecclesia, nec una pars alteram damnabat: ergo nec nos debemus damnare eos, qui in quibusdam à nobis dissentiunt, sed agnoscere tanquam Fratres. A. P. 1. Act. 15. Quidam dicebant, necessariam esse Circumcisionem, & observandam adhuc esse legem Moysis etiam ab ijs, qui ex Gentibus receperunt Christum. 2. Paulus

Paulus & Barnabas inter se dissenserunt de Marco recipiendo, & cum non possent componere litem, diverſi abierunt, ut legere est in dicto c. 15. Act. 3. Ipsimet Petrus & Paulus dissensiones habuerunt, & Paulus ad Gal. 2. ait, se Petro in faciem restitisse, quia reprehensibilis erat. 4. Fideles Act. 17. disceptarunt adversus Petrum, quod introisset ad varios præputium habentes, & cum illis manducasset.

R. 1. Generaliter D. A. fuerunt dissensiones in quibusdam factis moralibus, vel etiam in rebus fidei, sed nondum definitis, C. A. in articulis fidei jam definitis. N. A. & C. Licetum est dubitare, disputare, & liberè sentire etiam de rebus fidei, quamdiu definita & declarata non sunt ab Ecclesia universali pro articulis fidei: sic hodie de multis disputamus, & dubitamus in scholis: sic diversa sunt scholæ Thomistarum, Scotistarum, Recentiorum. Sed isti omnes parati esse debent ad amplectendam decisionem Ecclesiæ; si forte Ecclesiæ alterutrum velit decidere & definire. Longè alia sunt dissidia inter nos Catholicos & Sectarios, isti propter Baptismum vocari quidem possunt nostri fratres, sed Matri perduelles & exheredes, nec enim habebunt Christum ut Patrem, cum Ecclesiam habere nolint ut Matrem. R. 2. Speciatim, &

Ad 1. prob. dico, illam dissensionem circa observationem Legis Mosaiicæ non repugnasse fidei, quia Mosaiicæ Legis abrogatio tum nondum erat definita ab Ecclesia. Ad 2. Dissensio inter Paulum & Barnabam non fuit de

re fidei, sed de quodam facto morali, an nempe Marcus in socium Missionis Evangelicæ esset assumendus. Ad 3. Par est responsio; nam Paulus non restitit Petro in re fidei, sed improbabat tantum aliquod factum illius morale, quod nempe Judaismus simulaverit, seu Judæis se accommodaverit, dum quasdam ceremonias Judaicas in gratiam Judæorum retinebat, patrijs legibus se publicè accommodans. Unde Petrus, cum Paulus aperte & candidè suam mentem in contrarium ipsi aperuisset, Jerosolymis coëgit Concilium, & hanc controversiam terminavit; antea autem nihil erat determinatum. Ad 4. Fideles ex Judæis conversi, ex infirmitate quadam scandalizati in facto Petri, putabant, se justè eum arguere, quod manducando cum Gentilibus &c. quos Judæi averſabantur ut impuros, patrias leges violasset, ignari adhuc, has leges per Evangelium esse sublatas; hinc dum Petrus voluntatem DEI ipsis manifestavit, continuo acquieverunt. Utinam id etiam facerent Sectarij, & mox cessaret omnis dissensio.

Ob. 2. Quæ Christus voluit esse libera creditu, non possunt ab Ecclesia obrudi tanquam necessariò credenda: sed quæ inter Christianos, scilicet inter Catholicos ac heterodoxos controversantur, Christus voluit esse libera creditu: ergo non possunt obrudi tanquam necessariò credenda: ergo neutra pars rectè facit, dum præcipiti zelo vel innato odio alteram damnat. in P. illud meritò censetur Christus voluisse liberum creditu, quod nec in

SS. literis est clarè expressum, nec primis sæculis fuit creditum: sed pleraque, quæ nunc inter nos & Protestantes controversantur, sunt talia: ergo. Quod autem dicitur de rebus credendis, etiam intelligendum est de rebus faciendis, ita ut non debeant novæ leges imponi ab Ecclesia, & illa præcipi, quæ Christus voluit esse factu libera. R. T. M. N. m. ad P. iterum T. M. N. m. Nam, quæ inter nos & Sectarios modernos controversa sunt, fuerunt tam in SS. literis revelata, quam constanter à primis Ecclesiæ temporibus credita & observata, v. g. de Eucharistia, Sacramento Pœnitentiæ, Primatu Petri &c. uti solidissimè ostendit P. Forerius p. 2. Quæstionis vexatæ l. 1. c. 12. & nos infra in proprijs locis singularum materiarum, Quamquam fatear, aliqua fidei dogmata, de quibus olim dubitare licuit, nunc existere certissima, non quòd prius non fuerint in se certissima, & à DEO revelata, sed quoad nos ante definitionem & declarationem Ecclesiæ non fuerint satis certa & cognita: nam ante hanc definitionem obscure tantum in Scripturis vel Traditionibus continebantur. Sic S. Cyprianus ignorabat, Baptismum ab hæretico ritè collatum, esse validum: Sic S. Augustinus dubitavit de animæ origine: S. Hieronymus, aliique PP. de quibusdam libris Canonicis &c. Neutiquam nos defacto aliquid credimus, quod Ecclesia antiqua negavit vel discredidit; credimus tamen aliqua explicitè, quæ olim tantum credebantur implicitè; quod ipsum Adversarij nostri admittere debent, quia agnoscunt quatuor Con-

cilia Oecumenica, scilicet Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense, in quibus plura proponuntur explicitè credenda, quæ prius tantum confuse & implicitè credebantur v. g. quòd Filius sit Consubstantialis Patri, quòd Spiritus S. non à solo Patre per Filium, sed etiam à Filio procedat &c.

Cæterum transmissi utramque M. cuius suppositum bene negari possit, quòd Christus aliqua ex ijs, quæ revelata sunt, possit relinquere nobis libera, ut credamus vel discredamus; nam quæ DEUS revelat, ad ea credenda hoc ipso nos obligat, scilicet ut vel explicitè ea credamus, vel saltem implicitè: ergo omnia revelata debemus credere vel explicitè vel implicitè: quæ autem non sunt revelata, non possumus credere, & quæ errat ille, qui aliquid non revelatum credit, ac alius, qui aliquid revelatum non credit. Ad id, quod additum est de rebus faciendis, par est responsio; nam Christus non omnia quidem, quæ nunc fieri & observari præcipit Ecclesia, explicitè, in specie, & determinatè præcepit; præcepit tamen omnia implicitè & confuse, ac indeterminatè, dum præcepit, ut obediamus Ecclesiæ: hanc autem obedientiam Ecclesiæ præstandam præcepit varijs in locis. v. g. *Qui vos audit, me audit.* Luc. 10. *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus.* Luc. 22. & Mat. 17. Dum dixit Petro: *Pasce oves meas &c.* Jo. 20. Quod præceptum bene agnovit Paulus, dum ad Hebr. 13. jubet *nos obedire nostris Præpositis, ijs nem-*

pe, quos constituit Deus Episcopos ad regendam Ecclesiam suam.

22. Dices 1. Sunt varia tum dogmata fidei, tum præcepta morum defacto in Romana Ecclesia, quæ in antiqua non fuerunt, v. g. de reali præsentia Christi in Eucharistia: de Confessione Sacramentali, culta imaginum & Sanctorum, de Purgatorio. Item de defectu ciborum, de celibatu Sacerdotum &c. ergo ad ea credenda vel observanda nemo obligandus est. Quod autem Romano-Catholici illa credant & observent, tolerari potest, quia licet superflue credant, & superstitiosè operentur, tamen simul & credunt & observant ea, quæ omnium consensu necessariò credenda & facienda sunt, magisque errant per excessum credendo nimium, quam per defectum detrahendo aliquid. Ant. prob. Si hæc fuissent credita & observata in antiqua Ecclesia & à temporibus Apostolorum, constaret ex Traditionibus: sed ex Traditionibus non constat; quia hæ Traditiones, ut nobis innotescant, debuissent à Patribus scripta consignari, & sic ad posteros deferri: nihil autem scriptum reperitur de his Traditionibus: ergo. R. N. M. absolutè, quia prædicta dogmata fidei, ut & morum præcepta, jam olim fuerunt credita & observata, & quidem explicitè. Idque omnino constat ex Traditionibus Ecclesiasticis, quæ licet scripto non exstant, tamen possent esse Traditiones legitime, hoc ipso, quod Traditiones sint. Sed unde cognoscimus, quod sint Traditiones legitime, non spurie? Certè non aliunde nisi auctoritate &

R. P. Pichler Theol. Polem. ca.

judicio Ecclesia. Deinde non deest nobis auctoritas Patrum antiquissimorum, qui dictarum rerum fidem & observationem semper in Ecclesia fuisse testantur, ut fuse demonstrat P. Jac. Gaulterus in Tabula sua Chronographica, Coecijs, & P. Forerus loco cit. Hinc Ecclesia moderna nihil superflue credit, nihil superstitiosè operatur, sed ea tantum, quæ Deus per Ecclesiam nobis loquitur & præcipit, quam nunquam deserit, & quam Spiritus S. docet omnem veritatem.

Dices 2. Plurimi ex Sectarijs sunt homines moratissimi: ergo non est credibile, quod propter dissentium paucorum articulorum æternum pereant. 2. Non est credibile, quod omnes illi, qui ab Anglis & Batavis in America traducuntur ex Ethnicismo ad Religionem Calvini vel Protestantium, pereant æternum, quia bona fide credunt his Sectarijs, & sine sua culpa docentur errorem: ergo. R. ad 1. Trans. Ant. (nam sæpe sunt tantum sepulchra dealbata) N. Conf. vel Diss. non est credibile, quod æternum pereant, si dissentiant ex errore invincibili C. Conf. Si ex ignorantia, & errore vincibili, seu tali, quem satis agnoscunt, & ideo deponere tenentur, nec tamen deponunt. N. Conf. Ad 2. Ferè idem respondendum est; nam tales videntur habere tantum materialem errorem & inculpabilem; si tamen verum sit, quod isti Sectarij possint & soleant Barbaros ad suam sectam Calvinianam vel Lutheranam traducere. Ratio dubitandi mihi est triplex. 1. Quia Angli & Batavi ac similes non

K

ade-

adeunt has Regiones Barbarorum ad convertendas animas, sed ad lucra temporalia captanda. & non mittuntur à DEO ad hoc opus; scimus autem conversiones animarum esse opus DEI. 2. Quia hi Mercatores nec vitæ sanctitate, nec prodigijs, credibilem faciunt suam sectam, quibus tamen conspicui erant nostri Missionarij, v. g. S. Franc. Xavierius, Barzæus, Anchieta, & alij, quibus permoti crediderunt Barbari. 3. Quia doctrina horum Sectatorum est talis, ut Ethnicis incredibilis meritò videatur, ut est, quando asserunt, mandata DEI observari non posse, DEUM absolute aliquos ad gehennam destinasse, antequam quidquam mali fecissent &c. unde litteræ Chineses rectè aiunt, Prædicantes ex Anglia & Hollandia neminem ad fidem Christi convertere posse, sed ad hoc Jesuitas præmitti oportere: ipsi verò Paganos semel ad fidem Christi convertos postea iterum pervertunt.

24. Dices 3. Sunt admodum pauci, qui adhærent Ecclesiæ Romanæ: sed non est credibile, quòd tam pauci sint salvandi: ergo non tantum salvabuntur, qui sunt in Romana Ecclesia, sed & alij. M. prob. Si totus terrarum orbis in 24. partes dividatur, ex istis tantum quinque sunt Christianæ: sex Mahumeticæ: tredecim Paganæ, omittis Judæis, qui certam loci sedem non habent. Item si ex 5. illis partibus Christianorum demantur heterodoxi, scilicet Lutherani, Calvinistæ &c. remanent valde pauci: ergo sunt admodum pauci, qui adherent Ecclesiæ Romanæ, & spem salutis habere possunt. R. T. M. N. M. Nam hæc paucitas salvandorum valde

est conformis Sacræ Scripturæ, expressa in figuris, asserta à Patribus: *Multi enim sunt vocati, ait Christus Mat. 20. pauci verò electi.* Ex sexcentis millibus virorum, demptis mulieribus & parvulis, qui exierunt ex Egypto, solummodo duo ingressi sunt terram promissam. Dixi *Transit* Ma. Nam numerus Romano-Catholicorum longè est major, quàm objectio contendit; ut enim taceam vastissima Regna Europæ, nempe Hispaniam, Galliam, Italiam, & maximam partem Germaniæ, quæ Romano-Catholicis sunt refertissima, etiam in Oriente & Græcia, in Asia minore, in Thracia, in Tartaria magna, in Insulis Ægæis, in Patriarchatu Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano, in Æthiopia innumeri sunt Christiani, Romanæ ac Latine Ecclesiæ addicti, habentque suos Episcopos & Archi-Episcopos Latinos, uti P. Burghaber Controversia 1. n. 44. ostendit ex Allatio. Quid dicam de Indijs, de Regno Chinesi, Paraquaria, Brasilia, Regno Mexicano & Péruano &c. in quibus innumeri degunt Catholici, & quotidie plurimi ad nostram Religionem Romano-Catholicam per zelosos Operarios convertuntur? vide plura de hoc in notis veræ Ecclesiæ de nota Catholicismi.

Dices 4. Lutherani, Calvinistæ, & 25. alij desciverunt à Romana Ecclesia propter gravissimas causas: ergo propterea non sunt culpandi & damnandi. Ant. prob. fuit, & etiamnum est in Papatu ingens ambitio & tyrannis Romanorum Pontificum, ingens luxus Cardinalium & Episcoporum, flagitiosissimi

ni mores Clericorum &c. R. N. Ant. Sit enim (nam multa finguntur) quod fuerit vel etiam adhuc sit apud aliquos Catholicos, etiam Ecclesiasticos, ingens corruptela morum; minime tamen sequitur, Lutherum, Calvinum, & alios Sectarios potuisse jure ab Ecclesia secedere; aut eorum asselas in hoc schismate permanere: licet enim multorum mores fuerint perverti, tamen fides mansit integra. Reformare se & alios, quantum ipsis possibile erat, in moribus oportuisset, non autem novos articulos fidei eundem, alios abrogare, aut legitimis suis Superioribus Ecclesiasticis rebellare spiritu se opponere: non iussit nos Christus Sacerdotum & Episcoporum mores, sed doctrinam sequi dicens: *Super Cathedram Moysis sederunt Scribae & Pharisei; omnia quaecumque dixerint vobis, servate & facite, secundum opera eorum nolite facere.* Mat. 23. Petro quidem Christus dixit: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Luc. 22. Nunquam autem dixit: *rogavi pro te, ut non deficiat charitas tua, justitia tua, castitas tua.* *Obedite Praepositis vestris.* Hebr. 13. jubet Apostolus, *etiam dyscolis.* 1. Pet. 2. Praeterea cur Sectarii solum oculos suos convertunt in sceleratos, & non etiam in modestos, castos, sanctos Sacerdotes, qui nunquam defuerunt in Ecclesia Romano-Catholica, nec unquam defunt? quae, aspiciant etiam suos Ministellos, imò Auctores suarum sectarum, Lutherum, & Calvinum, qui se Reformatores jactant, & tunc si Ecclesiam Romanam lapidare velint, quisquis eorum sine peccato fuerit, primus in eam lapidem mittat. Certè tanta est turpitudine, & doctrina, etiam in primis Auctoribus istarum sectarum, ut, qui eam nōrit, non possit non mirari, quod fieri potuerit, ut homines culti & sanæ mentis ijs fidem habuerint, & pro Reformatibus à DEO missis susceperint.

Ob. 3. Qui credit omnia, quae sunt necessariò credenda, ille potest salvari: sed qui credit Symbolum Apostolorum, credit omnia necessariò credenda: ergo potest salvari: atqui Symbolum Apostolorum credunt non tantum Catholici, sed etiam Lutherani, Calvinistae: ergo & ipsi possunt in sua fide salvari. m. P. Symbolum Apostolorum est summa seu regula totius fidei Christianae, ut testatur S. August. Serm. 135. de tempore, ubi ait: *Symbolum est regula fidei brevis & grandis, brevis numero verborum, grandis pondere sententiarum.* R. N. m. vel claritatis gratià D. m. qui credit Symbolum Apostolorum in legitimo sensu, ex vero motivo credendi, ac alia omnia revelata saltem implicite credit, nec alium credit articulum falsum C. m. secus N. m. Patet ex dictis 1. Quod Sectarii non credant Symbolum in genuino & vero sensu. 2. Quod credant tantum ex motivo humano; si enim crederent ex motivo Divino, & propter auctoritatem DEI loquentis, credere deberent omnia, quae Deus revelavit. 3. Quod aliqua revelata expressè negent & discredant. 4. Quod teneant quosdam articulos erroneos

v. g. fidem solam iustificare, DEUM esse auctorem peccati, mandata DEI observari non posse &c. S. Augustinus rectè pronuntiavit de Symbolo Apostolorum, in quo rectè intellecto universaliter omnia fidei Mysteria includuntur, quia qui illud præsertim articulum IX. credit juxta Ecclesiæ sensum, paratus est cætera quoque omnia credere, quæcunque Ecclesia proposuerit tanquam à DEO revelata; quam animi dispositionem Sectarij Indifferentiæ nunquam habere possunt.

Dices 1. Ubi est fundamentalis fidei unitas, ibi est vera fides: sed apud omnes Christianos, qui complectuntur Symbolum Apostolicum, est fundamentalis fidei unitas; nam illa, in quibus dissentiunt, sunt velut *strawum, stipule, ligna*, quæ superædificantur fundamento fidei, & charitatem quidem lædere possunt, unitatem tamen fidei fundamentalem non tollunt. R. T. M. N. M. & ejus prob. quis enim *strawum, stipulas, & ligna tantum*, quæ fidei fundamentum & unitatem non convellant, esse credat dissidium v. g. de Eucharistia, in qua Catholici Christum verè esse præsentem & ideo adorandum docent, & quidem sub solis speciebus panis & vini latentem: contra Lutherani mordicus defendunt, præter Christum etiam adesse non solum species panis & vini, sed & ipsam substantiam panis & vini; Calvinistæ autem utrisque contradicunt, asserentes, Christum nec sub speciebus, nec sub substantia panis & vini esse præsentem. Si hæc & similia non tollunt fidei unitatem, nescio, quid tandem tollere pos-

sint. Cæterùm transmissi M. quæ planè indigeret majori explicatione, & declaratione, in qua consistat fidei unitas fundamentalis. Fortè in articulis fundamentalibus? Sed quinam sunt isti?

Dices 2. ex Fabricio, de quo supra in sciendo 2. p. 61. mentionem feci. Qui credit 1. in SS. Trinitatem, & in Christum Redemptorem, qui est fundamentum fidei teste Apostolo 1. Cor. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus JESUS.* 2. Qui ex Decalogo discit, quomodo se gerere debeat erga DEUM & proximum. 3. Qui novit per orationem Dominicam, quomodo sit orandum. 4. Qui baptizatus utitur Cæna Domini. 5. Qui credit, Ecclesiæ Christianæ Ministris concessam esse à Christo potestatem penitentibus remissionem peccatorum, impenitentibus autem iram ac pœnam divinam denuntiandi: quam ob causam subinde nos in Confessionali sistamus ad confitendum nostra peccata, & absolutionem in DEI nomine obtinendam. Qui hæc credit & facit, inquit Fabricius, ille habet fundamentum fidei & salutis, adeoque salvari potest. sed hæc omnia credunt & faciunt tam Protestantes, quam Romano-Catholici: ergo tam illi, quam isti possunt salvari. R. N. M. N. m. & N. C. Fabricius, dum Religionem Catholicam & Lutheranam, Christum & Belial lociare satagit, & in necessarijs fidei ac morum præceptis convenire contendit, fabricam suam arenæ inædificat infelici conatu; cum neque Catholicis, neque (ut mihi persuadeo, & ab alijs percepi)



Lutheranis probetur hæc doctrina. Scilicet damnare Catholicos non potest, quia apud ipsos est multum Christiani boni, imò omne Christianum bonum, ut fateretur cum Luthero Tom. 4. Jenensis p. 320. quem citat, suos autem damnare non vult: pontem igitur fabricare cupit, per quem utrisque aditus ad cælum pateat. Sed fallit & fallitur; qua enim auctoritate statuit, solum illa quinque puncta esse credenda & facienda, & quidem eo modo, quo ipse explicat? Quo fundamento assensit, Catholicos in his punctis convenire cum Protestantibus? Catholici non docent, quòd ex Decalogo tantum *discamus*, quomodo gerere nos debeamus erga DEUM & proximum, sed quòd præcepta Decalogi opere ipso observanda sint. Deinde Ecclesia Ministri juxta & apud Catholicos non habent solum potestatem *dennuntiandi* remissionem peccatorum, sed ipsa peccata *remittendi*, utpote vicarij Christi Domini, à quo audierunt: *Quorum remiseritis peccata* &c. non, quibus *dennuntiaveritis* remissionem peccatorum.

Dices 3. Sicut apud Catholicos contingit, ut aliqui credant quosdam errores ex aliqua ignorantia, & tamen propter ejusmodi errores materiales non excluduntur à vera Ecclesia: ita potest contingere, ut plures sectæ v.g. Lutherana, Calviniana, Catholica &c. possint spectare ad eandem Ecclesiam veram, licet diversa credant, & aliqui sint in errore, qui tamen tantum materialis sit. R. Si supponas, quòd ceteræ sectæ Christianorum errent tantum materialiter, tunc spectant omni-

no ad veram Ecclesiam, eamque Catholicam, non ad Lutheranam, Calvinicam, aut aliam in se erroneam, quam bona fide profitentur. Sed omnes Lutheranos & Calvinistas &c. errare solum materialiter, non est credibile, sicut tamen credibile est errare aliquos Catholicos in quibusdam materialiter.

Ceterum tota Ecclesia nec errorem præcisè materiale[m] approbare potest; si enim tota Ecclesia posset incidere in errorem etiam solum materiale[m], non amplius *esset columna & firmamentum veritatis*. 1. Tim. 3. *Non doceretur à Spiritu S. omnem veritatem*. Jo. 16. Omniaque fluctuarent, & meris opinionibus essent subjecta, cum neque de ipsa Scriptura certi esse possemus, neque de ejus sensu; cum semper posset esse suspicio, an non Ecclesia hic materialiter erraret.

Ob. 4. contra 5. assertionem. Etiam Catholici DD. dividunt articulos fidei in necessarios necessitate mediij, & in necessarios necessitate præcepti, & in alios neutro modo necessarios: ergo etiam ab Indifferentistis possunt dividi in substantiales & accidentales. R. N. C. licet Catholici ita dividant, tamen nunquam dicunt, aliquos articulos posse omnino negari, & repudiari, vel in dubium revocari: sed præcisè per hanc divisionem indicare volunt, aliquos articulos *explicite & speciatim* esse credendos, & quidem ita necessarios, ut nullo modo sine illis ita creditis salus obtineri possit: quam necessitatem vocant *necessitatem mediij*: ita juxta plerosque necessaria est fides de

existentia DEI Remuneratoris, & probabilius etiam de SS. Trinitate & Incarnatione. Minus necessaria creditu sive necessaria *necessitate precepti* plerique dicunt esse præcipua, quæ continentur in Symbolo Apostolorum apud eos, apud quos est sufficiens promulgatio Evangelij, item ea, quæ requiruntur ad Sacramenta ritè suscipienda. Alios autem articulos non esse necessariò ita explicite & speciatim credendos ab omnibus docent, cum DEUS à nobis non exigat, ut omnia revelata noverimus, & explicite credamus; id enim plerisque esset impossibile: tenemur tamen omnia revelata credere implicite, & generaliter, ac nullum negare.

Dices. Etiam Catholici non possunt determinate dicere, quinam articuli sint necessarij necessitate medij, & qui tantum necessitate precepti: ergo etiam si Sectarij non possint determinare, quinam sint articuli fundamentales, & quinam accidentales, tamen bene possunt ita dividi. R. T. A. N. C. nam licet difficile sit determinare, quinam articuli sint necessarij necessitate medij, & quinam necessitate precepti; cum Scriptura, Traditiones, Ecclesia, aut PP. nihil clarè de hac re determinarint, tamen ex Scriptura, Traditione, ac Patribus constat, quòd aliqui articuli *speciatim & explicite* debeant necessariò credi, alij non item. Econtra divisio articulorum in fundamentales & accidentales, seu in necessariò credendos & arbitrarios, nullum habet fundamentum in Scriptura, Traditio-

ne, aut Patribus: ergo gratis & ineptè sit hæc divisio, non autem illa.

Ob. 5. Pro utroque Indifferentissimo simul. Deus vult omnes homines salvos fieri, & quidem seriò & efficaciter: ergo & Judæos, Turcas, & Christianos omnes: ergo omnes in sua Religione debent posse salvari; aliàs enim ipsis deesset medium ad salutem necessarium. 2. Potest per diversas vias deveniri ad aliquem montem v. g. quem tamen visui eripit aliqua nebula, ita ut aliqui nòrint quidem semitam rectam, alij autem de semita recta non satis certi eligant viam obliquam; omnes tamen denique ad eundem montem perveniunt. Sed sic se habent diversæ Religiones, quibus tenditur ad DEUM, aliæ rectius, aliæ obliquius eò ducunt.

R. ad 1. DEUS vult quidem omnes homines salvos fieri efficaciter ex sua parte, subministrando scilicet media necessaria, ex quibus præcipua sunt Mors & Merita Christi, fides in Christum, & Sacramenta: at verò non vult omnes homines salvos fieri voluntate absoluta, sed conditionata: *Si nempe & ipsi homines salvari velint, eaque præstent, qua requiruntur*, uti sunt admittere inspirationes internas, suscipere fidem, & Baptismum, servare mandata, agere poenitentiam &c. quæ non fiunt ab omnibus, & ideo non omnes salvantur.

Ad 2. Paritas non quadrat; quia Religiones Paganorum & Hæreticorum nec oblique ducunt ad salutem, sed ad interitum; & hinc toto celo aber-

rant earum cultores, nec ad montem caelestis Patrie perveniunt unquam, nisi ad viam & veritatem Catholicam redeant.

Dices. Indifferentismus arripisse videtur etiam Curiae Romanae, cum ipse summus Pontifex Pius IV. ad Regiam Angliae Elisabetham scripsisse dicatur, quod velit approbare Hierarchiam Ecclesiasticam Anglicanam, modo ipsa agnoscat Romani Pontificis Primatum super Universam Ecclesiam: ergo. R. N. A. & subiectam probationem. Quis enim credat, sapientif-

simum Pontificem approbare voluisse Monarchiam Ecclesiasticam, cuius caput esset Iemina, scilicet Angliae Regina. Sciverat utique, Paulum 1. Cor. 14. v. 35. ne quidem loqui in Ecclesia permisisse mulieri. Dein quomodo potuit sine aperta stultitia supremum caput aliud praeter se agnoscere velle in Anglicana Ecclesia, & vicissim ab hac coli ut supremum *universa* Ecclesiae Caput & Princeps?

Plures objectiones huc facientes videre potes art. 5. de Indifferentismo Laxiore.

## DUBIUM INCIDENS.

*An desperatum sit de compositione facienda inter Catholicos, & Protestantes circa negotium Religionis?*

Sciendam, plurimos ex Moderationibus utriusque Religionis alumnis ardentem hactenus suspirasse, imò non paucos, praecipue Protestantium, Theologos Unionem Catholicorum inter & Novatorum Ecclesias meditari coepisse, & scriptis etiam libris inita quadam compositione concordiam promovere, ferire foedus, vel saltem ad opus adeò salubre viam sternere conatos esse. Quos inter minimè postremus est Matthaeus Prætorius Memelâ-Prussus (Protestantium de numero, ut ex decursu ejus libri, cui titulus: *Tuba pacis ad universas dissidentes in Occidente Ecclesias*, anno 1685. Coloniae editi, palam sit legenti) qui putat, plerasque controversias bona distinctione conciliari & tolli posse, &

postquam varia exempla retulit, lite ubique ferè ex Catholicorum placitis composita, prudenter in fine in hunc sensum discurrit. Ut autem sperari, possit ac fieri compositio Partium circa res fidei litigantium, opus omnino est aliquo Judice Supremo, adeoque agnoscendus Romani Pontificis Primatus tam Ordinis quam Jurisdictionis ac magisterij; utpote quem Primatum jam pridem ipsi asseruissent SS. Patres tanquam Successori D. Petri, ob id Romanæ Ecclesiae Cathedralam passim appellantes *Cathedram Apostolicam, Cathedram Petri &c.* Romanum verò Pontificem *Caput Ecclesiae, Caput fidelium, Pastorem regis Universi, Vicarium Christi, Pastorem Pastorum, petram & crepidinem*

„*nam Ecclesia Catholica, recta fidei  
fundamentum &c.* Ita ille; cui ta-  
men, præcipuè in admittendo Primatu  
Romani Pontificis, necessarij Judicis  
Controversiarum, cæteri Protestantes  
ægrè assensuros credo. Quod quidem  
si facerent, omnino faciendæ unionis  
spem aliquam superesse arbitræ. Quia  
tamen hoc sperare vix licet ob innat-  
um quasi odium erga Pontificem, &  
propter superbiam, communè Apo-  
statis vitium, ne fateantur se errasse,  
ideo

Dico 1. Si Protestantes desiderent,  
ut Catholici in unico, vel pluribus fi-  
dei articulis, semel ab Ecclesia defini-  
tis, aliquid ipsis cedant; desperatum  
est de compositione & unione Roma-  
no-Catholicos inter & ipsos faciendâ.  
Ratio est clara & in promptu. Quod  
enim semel didicerunt ab Ecclesia,  
quam credere tenentur omnes infalli-  
bilem in statuendis rebus fidei, ut ve-  
rum & revelatum à DEO, utique re-  
pudiare ut falsum nullatenus deinceps  
poterunt. Atque hoc ipso desinerent  
esse veri fideles, si vel unicum fidei ar-  
ticulum à DEO sufficienter revelatum  
negare inciperent. Si itaque Sectarij  
expectent, ut Ecclesia Romana vel api-  
cem ex ijs, quæ pro articulis fidei se-  
mel agnovit vel declaravit, v. g. de Sa-  
cramentis, de Pœnitentiâ, de Justifi-  
catione, de Invocatione Sanctorum;  
de Purgatorio &c. frustra expectant.

Dico 2. Si verò solum desiderent,  
ut in alijs rebus, circa quas est penes  
Ecclesiam hoc vel illud statuere, pro  
certis circumstantijs aliquid prohiben-  
do vel præcipiendo, uti est conjugium

Sacerdotum, quod nunc prohibet,  
sumptio Evcharistiæ sub una specie,  
quam Laicis præcipit defacto &c. non  
foret impossibilis compositio, posset-  
que Ecclesia absolute aliquid indul-  
gere infirmis; si tamen isti prius pro-  
fiterentur, in Ecclesia Catholica pote-  
stare ac arbitrio esse, hæc & similia  
prohibere, vel præcipere, vel permit-  
tere, prout ei visum fuerit. Quippo  
si Sectarij negarent, hanc potestatem  
esse penes Ecclesiam, negarent aliquem  
fidei articulum; quod Ecclesia nun-  
quam approbare potest, aut dissimulare  
in ijs, quos recipit in suum gremium.

Dico 3. Etiam si Sectarij profiteren-  
tur, penes Ecclesiam Romano-Ca-  
tholicam esse, Sacerdotibus permittere  
vel prohibere conjugium, usum calicis  
in sumptione Evcharistiæ &c. tamen  
etiam in hujusmodi rebus difficillimè  
cedet unquam Ecclesia, & rectè qui-  
dem. Ratio est 1. Quia, dum indul-  
getur errantibus, animus ipsis additur,  
ut plura petant, ac majora moliantur.  
2. Quia quò plura conceduntur ejus-  
modi Apostatis, eò audaciores ac in-  
solentiores fiunt; id quod Catholici  
jam tempore hæresis Arianae experti  
sunt, ut testatur Theodoretus l. 2.  
Histor. c. 18. 19. ubi Ariani volebant  
immutari voces, ut sic labefactarent  
facta decreta, & postea ipsum dogma.  
3. Quia sic præbetur refractarijs oc-  
casio superbiendi, vel etiam se jactan-  
di, quòd ipsi vicerint, & Ecclesiam  
docuerint, quid factu sit optimum.  
4. Quia non decet, ut Mater indulgeat  
multum, atque cedat rebellibus filijs.  
5. Quia quòd ob gravissimas causas se-  
mel

mel statuit, non debet immutare, licet possit, nisi graviores superveniant causae immutandi; cujusmodi tamen non facile afferentur à Sectarijs, quae scilicet praponderent.

Dices. Per ejusmodi compositionem induceretur Pax in Imperium Romanum & totam Europam, qua pace nihil est optabilius; ac insuper consuleretur plurimarum animarum salutem: ergo Ecclesia Romana deberet etiam ceteris aliquid dare, connivere, & in certas condiciones consentire. R. Trans. Ant. de cujus veritate testat ad-

huc ingens dubium. N. Conf. Non enim est in potestate Ecclesiae in certas condiciones circa definitos fidei articulos consentire, aut inire pactionem cum perfidia, impietate, & falsitate contra semel revelatam à DEO veritatem. Circa alia, quae sunt in arbitrio ac potestate Ecclesiae, pacisci non expedit aut decet, ut vidimus; aut si deceret ac vellet etiam Ecclesia; probabilissimè tamen nunquam contenti forent Sectarij, si ipsis non daretur plus, quam quòd Ecclesia potest.



R. P. Pichler Theol. Tolemica.

L

CON-

# CONTROVERSIA FUNDAMENTALIS ET GENERALIS

## II.

### De Scriptura Sacra

4. **N** nulla materia evidentiùs convinci, faciliùs debellari, potentiùs conteri possunt omnes Hæretici & Sectarij, quàm in hac generali controversia de Scriptura Sacra; quam tamen Scripturam ipsi pro maximo, securissimo, & unico habent præsidio suarum Sectarum. Cum enim unicè innituntur soli Scripturæ, si hoc ipsis fulcrum subtrahitur, omnia, quæ superinadificanc, exitiali penitus ruina collabi necesse est. Hoc autem fulcrum facilè, & potenter à quolibet, quem sorte eum illis congregari contingit, subtrahitur, si nimirum ipsis negetur 1. existentia Scripturæ S. seu quòd detur aliqua Scriptura, quæ sit Divina & Verbum DEI. 2. Si negetur ipsis Canon seu Catalogus librorum Canonicorum. 3. Si negetur ipsis legitima editio vel versio Scripturæ, seu quòd ritè ab ipsis traducta sit in linguas Vulgares ex fonte seu Originali textu Hebraico vel Græco. 4. Si negetur ipsis integritas & puritas Scripturæ, seu quòd habeant Biblia incorrupta, nec vitata à Sudaïs, Hæreticis, aut Catholicis, à quibus

acceperunt Scripturam, & quos in alijs fidei rebus gravissimè errasse dicunt. 5. Si ipsis negetur, verum & genuinum sensum Scripturæ esse illum, quem ipsi adstruunt. Siquidem de his 5. punctis infallibiliter esse certos oportet, qui ex sola Scriptura articulos suæ fidei probare unicè volunt & debent; nisi enim *infallibiliter* certi sint, an detur aliqua Scriptura Divina, quænam sit illa, an legitime versa, incorrupta, & ritè intellecta, nullatenus *infallibiliter* (quod tamen ad fidem Divinam & supernaturalem absolute requiritur) certi esse possunt de ijs rebus, quas ex sola Scriptura adstruunt, probant, delectant. Evidens quippe est, assensum fidei non posse prudenter esse certiorum, quàm sit motivum, propter quod præstat assensus, nec intellectum posse prudenter assentiri firmiùs objecto materiali, quàm mereatur objectum formale seu motivum. Si igitur de Scriptura & memoratis 5. punctis non certò ac infallibiliter constet Apostatis, de nullo prorsus fidei articulo possunt esse infallibiliter certi, nec prudenter ulli rei propter scripturæ auctoritatem assensum firmum & indu-

indubitatum præstare. Voluntas enim utique prudenter & piè imperare nequit intellectui assensum, rei obscuræ à DEO revelatæ præstandum, nisi adsint talia motiva credibilitatis, hoc vel illud esse Verbum DEI, seu revelationem Divinam, propter quam credenda est veritas obscurè revelata, ut dubitare de revelationis existentia evidenter sit nefas.

Unde præsentem controversiam de Scriptura S. in duos Articulos dividere placet. In priore agam de Verbo

*Dei Scripto*, & ostendam, Lutheranos, Calvinistas, Zwinglianos, omnesque à Romana Ecclesia Apostatas, seu veteres, seu modernos, in suis principijs sufficienter probare nunquam posse, ac proinde nunquam infallibiliter certos esse 1. an detur aliqua Scriptura S. 2. quanam sit illa. 3. an legitimè verba. 4. omnino incorrupta. 5. quomodo intelligenda. In posteriore autem de Verbo *Dei non Scripto*; ex quo illa omnia certò ac infallibiliter probant Catholici.

## ARTICULUS I.

### De Verbo DEI Scripto.

#### SUMMARIUM.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1. In hac materia certissime &amp; securissime debellantur omnes Sæctarij, everfis eorum fundamentis.</p> <p>2. Quid sit Scriptura S.</p> <p>3. An aliqua sit, &amp; quanam, non est evidens: igitur hoc probandum, &amp; quidem infallibiliter.</p> <p>4. 5. Sæctarij &amp; Apostata nulli in suis principijs sufficienter probare possunt existentiam S. Scripturæ.</p> <p>6. Nec ista quæstio indigna est Christiano homine, aut curiosa, &amp; inepta.</p> <p>7. Næc S. Scriptura se ipsam non prodit luce sua, etiam attentè ac devotè legentibus.</p> <p>8. Ex textibus autem Scripturæ id probare velle ineptissimum est.</p> <p>9. Quid sit Canon Scripturæ S.</p> <p>10. Et libri Canonici, atq; Apocryphi.</p> | <p>11. Referuntur libri Canonici utriusque Testamenti.</p> <p>12. Quosnam ex illis expunxerint Lutherus &amp; Calvinus.</p> <p>13. Sæctarij &amp; Apostata rursus probare sufficienter nequeunt Canonem Scripturæ, seu quinam libri determinatè sint Scripturæ S. &amp; Divinæ, quinam Apocryphi, ex ipsa Scripturæ.</p> <p>14. Neque ex criticis Scripturæ.</p> <p>15. Neque ex interno spiritu &amp; sensu propriæ conscientia, seu spiritu privato.</p> <p>16. 17. 18. Indicia, ex quibus aliquos libros Antiqui Testamenti, a se expunctos, probant non esse Canonicos, fictitia sunt &amp; inania.</p> <p>19. Qua lingua primitus conscripta &amp; edita sint Scripturæ Sacræ.</p> |
|---|---|

34. *Qua fuerint prima versiones.*  
 20. *Ex illis eminet Vulgata.*  
 22. *Non verò versiones Vulgares.*  
 23. *Seclusa speciali Providentia DEI moraliter necessarium erat multos errores successu temporis irrepere in Biblia, crebro descripta calamo, & in alias linguas tradita.*  
 24. *Adversarij iterum probare nullatenus possunt sufficienter, se habere legitimam & ab erroribus puram versionem Bibliorum.*  
 25. *Idem demonstratur à priori ex qualitate Versorum.*  
 26. *Et à posteriori ab exemplis.*  
 27. *Neque sufficienter probare possunt puritatem Scripturae Hebraicae & Graecae, nostro & tempore Lutheri exstantium, ex quibus tamen linguis sua Biblia in Vernaculas translata gloriantur.*  
 28. *Editio tamen Vulgata hodie dum est authentica.*  
 29. *Non dissentit à fontibus Authenticis, Hebraeo & Graeco, quoad sensum: nec editio Clementina formaliter differt à Sixtina.*  
 30. *Quam quoad substantiam jam approbavit Tridentinum.*  
 31. *lectio Bibliorum Catholicorum in lingua aliqua sacra nulli, in lingua Vulgari aliquibus quidem prohibita est, sed non in Germania, saltem defacto.*  
 32. *Eandem difficultatem, imò impossibilitatem habent Adversarij*  
 33. *in probando genuino S. Scripturae sensu.*  
 34. *Quid sit sensus Scripturae verus & accommodatius.*  
 35. *Litteralis & mysticus: item allegoricus, anagogicus, & tropologicus.*  
 36. *Litteralis in dogmatis fidei praecipue inquirendus est.*  
 37. *Scriptura S. patitur varios sensus & interpretationes: unde arduum est verum & genuinum sensum infallibiliter deprehendere.*  
 38. *Adversarij, ne admittere cogantur Interpretem Romanum Pontificem, dicunt, solam Scripturam esse regulam adequatam omnium credendorum, eamque esse claram & perspicuam saltem in rebus creditu necessarijs, si devote ac attentè legatur à pijs.*  
 39. *Sed contrarium demonstratur.*  
 40. *Pariter demonstratur, Adversarios in suis principijs nequaquam probare sufficienter posse, se in intelligendis Scripturis non decipi.*  
 41. *Patet id ipsum etiam à posteriori.*  
 42. *Quomodo Scriptura sit & dicatur lux, lumen, lucerna;*  
 43. *Et liber apertus, opertus autem ijs, qui preceunt.*  
 44. *DEO utique liberum fuit clarè vel obscure loqui nobis.*  
 45. *Quare defacto in Scripturis frequenter nobis loquatur obscure.*



## §. I.

*Lutherani, Calvinistæ, Zwingliani in suis principijs probare sufficienter non possunt existentiam Scripturæ S.*

2. Sciendum 1. per Scripturam S. intelligi libros, ab hominibus quidem, sed inspirante & dictante DEO conscriptos. Vocantur hi libri à Græcis *Biblia*, à Latinis *Scriptura*, ab utriusque per Antonomasiam, scilicet propter præstantiam Auctoris Principalis, qui DEUS est, his libris appropriando communia cæteroquin vocabula. Primus horum librorum Auctor Instrumentalis fuit Moyses, & hunc secuti sunt Prophetae in Antiquo, Apostoli verò & Evangelistæ in Novo Testamento.

3. Sciendum 2. Evidens & per se notum non esse, dari aliquos libros inspirante DEO exaratos, seu S. Scripturam; id enim non solum negatum semper fuit à Gentilibus, sed etiam aliquando à quibusdam, qui se Christianos vocabant. Imò etiam Adversarij fatentur, veram Ecclesiam ab Adamo usque ad Moysen per bis mille circiter annos existisse sine ulla Scriptura S. Proinde existentiam illius probari oportet, & aliunde infallibiliter innoscere.

4. Dico. Lutherani, Calvinistæ, Zwingliani, & cæteri Apostatae omnes non possunt in suis principijs sufficienter probare existentiam Scripturæ S. seu quòd detur aliqua Scriptura divinitus dictata. Demonstratur: Motivum vel medium, ex quo probant, vel est ipsa Scriptura, vel certa critica seu indicia

ex parte Scripturæ se tenentia, vel spiritus internus & sensus conscientie: sed nullam ex his est medium sufficiens ad *infallibiliter* probandam existentiam Scripturæ S. ergo. M. est ipsorum, quia communiter non admittunt Traditionem & Auctoritatem Ecclesiæ tanquam Verbum DEI non scriptum, ex quo solo infallibiliter doceri possent de hac re. m. P. Hoc medium non potest esse ipsa *Scriptura*, quia de hujus existentia lis est, & si ex Scriptura probaretur Scriptura, probaretur idem per idem, & supponeretur, quod est in questione.

Non *critiria*, nimirum antiquitas Bibliorum & mirabilis conservatio inter tot casus, miracula in confirmationem eorum facta, eventus rerum, quæ in Biblijs prædicebantur futura, sanctitas & majestas rerum, quæ in ijs continentur, energia Verborum ad permovendos animos, mira concordia rerum contentarum. Hæc, inquam, critica non sunt sufficiens medium ad *infallibiliter* probandam existentiam Bibliorum 1. quia omnia & singula possunt absolute reperiri in libro quodam præcisè humano vel unius vel plurium Auctorum; cur enim ejusmodi liber merè humanus non possit esse antiquissimus, à DEO mirabili providentia conservatus, res majestate & sanctitate plenas continere, & tantâ verborum

energiam proponere, ut permoveantur homines ad vitam meliorem, vel etiam ad sanguinem profundendum, cum etiam Plato Ethnicus suo libro de Immortalitate animae ita permovisse animos dicatur, ut quidam sibi necem consciscerent? Cur Deus ejusmodi librum, ab uno, vel pluribus viris probis mirabili consensu conscriptum, non possit tueri etiam miraculis propter utilitatem, quam affert Reipublicae materia contenta in tali libro, v. g. conscripto à Confutio Sinarum quondam sapientissimo Philosopho? Cur ejusmodi liber non possit etiam in se continere prophetias & vaticinia, cum libri Sybillarum gentilium, quos utique pro Scriptura S. non habent Adversarij, pleni fuerint praedictionibus rerum, quae postmodum evenerunt? 2. Quia de his ipsis criticis non constat Adversarijs evidenter & certo, sed praecise ex relatione humana, quam semper contendunt fallibilem esse; ipsi enim non praesentes spectarunt miracula; absque relatione humana ignorant, utrum ea, si tamen facta sint, eò spectarint, ut ostenderent, aliquos libros, praesertim hos, quos Adversarij habent pro Divinis, esse Divinos; nesciunt nisi ex fama, quod ea, quae praedicebantur futura, certo evenerint, vel si evenerint, an non primum postea in his codicibus scripta sint à nequam impostore, certis libris Divinam Auctoritatem conciliare per fraudem machinante. Adde, quod multi libri, & capita librorum, quos habent Adversarij pro Divinis, non contineant prophetias, vel res sublimes &c. Imò aliqua in Scripturis reperiuntur in speciem vilia,

falsa, aut contradictoria, & captu difficilia, ut adeò S. Augustino aliisque Expositoribus laborandum fuerit, ut Evangelia & alios libros Scripturae à contradictionibus vindicarent. 3. Quia si haec critica sufficienter probarent existentiam Scripturae S. etiam sufficienter probarent veritatem Religionis Romano-Catholicae, ut adeò Adversarij non minus hanc pro vera Christi Ecclesia agnoscere deberent, quam existentiam Scripturae; siquidem Romana Ecclesia est antiquissima, mirabiliter inter gravissimas persecuciones Judaeorum, Gentilium, & Haereticorum semper conservata, non sine plurimis miraculis, quae in contestationem ipsius dogmatis facta sunt à viris sanctitate prodigiosa conspicuis, & dono prophetiae claris, qui etiam vitam & sanguinem promptissime maximo numero pro ea obtulerunt &c.

Nec denique sufficiens medium est Spiritus internus, aut (ut Calvinista vocant) propriae conscientiae sensus, quem falso dicunt esse testimonium Spiritus S. interni; nam iste *Spiritus privatus* 1. est prorsus incertus & dubius, utrum sit à DEO nec ne, nec certo probari ab Adversarijs potest, eum esse à DEO potius quam ab erronea & fallaci persuasione propria; si enim probari certo posset, deberet probari ex Scriptura; & sic evidenter fieret circulus vitiosus, dum Scriptura probaretur ex Spiritu interno, & Spiritus internus ex Scriptura; item ignotum probaretur per aequè vel magis ignotum. 2. Est in diversis hominibus diversus, & contradictoria docens, consequenter non

non est testimonium Spiritus S. qui interius docere contradictoria utique non potest, cum testari falsum nequeat: quod autem diversa & contradictoria dicitur diversis, patet inde, quod Adversarij dicitur, libros Novi & Antiqui Testamenti esse Scripturam Divinam, Ethnicis autem, Paganis, & Turcis dicitur, non esse Scripturam Divinam, Judæis verò, libros Novi Testamenti non esse Divinos. 3. Est ineptus ad terminandas lites; quamvis enim Deus absolute possit hominem docere infallibiliter per internam illustrationem, uti docuit Prophetas; ordinariè tamen non solet, quia ejus Providentia requirit, ut per testimonium publicum & ab omnibus cognoscibile erudiat homines, dari e.g. aliquam Scripturam Divinam, & quidem hanc &c. ita enim exigit presentis vitæ ratio & status, ut utraque Pars litigans percipere possit hoc testimonium, ne utraque illud pro se pari jure allegare possit, uti fieri potest, si testimonium sit merè internum, uti est Spiritus iste privatus, & conscientia sensus.

5. Confirmatur. Quidquid est infallibiliter certum, debet esse certum vel certitudine evidentia, vel certitudine fidei: sed nec certitudine evidentia certum est Adversarij, dari aliquam Scripturam S. cum Ecclesia vera existere possit sine ulla Scriptura, uti fuit ante Moysis tempora, & Deus absolute non adstringatur ad nos docendos per litteras & verbum scriptum: nec certitudine fidei; nam nihil est certum certitudine fidei, nisi adsint motiva tanta credibilitatis, id à DEO revelatum esse,

ut nulla ratione prudenter negari possit: atqui in principijs Adversariorum non adsunt motiva tanta credibilitatis; quænam enim sunt illa? an critica, an spiritus internus? quæ jam rejecta sunt ut futilia & insufficientia: aliud autem motivum rejectis Traditionibus & Auctoritate Ecclesiæ assignari nequit: ergo. Videamus nunc, quid ex Adversarij aliqui (nam multi hanc questionem de existentia Scripturæ dextrè & studiosè dissimulant, videntes labyrinthum, ex quo exitum non invenient) pro sua causa opponant.

6. Objiciunt 1. Quod existat aliqua Scriptura S. est principium, etiam à Catholicis, adeoque ab utraque Parte litigante concessum: ergo non debet trahi in dubium, aut exigi ab adversa Parte, ut probeat ejus existentiam. R. 1. N. C. quia principium, quod non est evidens, probari debet; ab Adversarij autem istud principium probari nequit. R. 2. D. A. Est principium ab utraque Parte concessum, sed non ex eodem motivo & fundamento. A. ex eodem motivo & fundamento. N. A. & C. Si Adversarij ex eodem motivo concederent & possiderent Scripturas, scilicet ex Traditione & Auctoritate Ecclesiæ, facile & statim pax foret nos inter & ipsos; si enim hanc audirent in admittendis Scripturis quoad existentiam, admittere deberent consequenter etiam in intelligendis Scripturis quoad sensum, & sic in omnibus Articulis nos inter & ipsos controversis.

Replicant: hæc quæstio, an detur Scriptura Divina, est curiosa; Christiano

stiano indigna, quia totam Christianitatem reddit dubiam. Imò inepta, quia prima fidei principia non probantur, sed supponi debent: ergo. R. N. Ant. quoad omnia membra. Utique enim *curiosum* non est inquirere, an primum fidei fundamentum sit satis solidum; neque DEUS, quamvis velit captivari intellectum nostrum in obsequium fidei revelando res obscuras, tamen eas à nobis temerè & sine motivo prudenter innegabili firmissimè credi vult, nec velle potest. Quis *Christiano indignum* existimet, si fundamenta fidei Christianæ, quæ utiq; infirma esse nequeunt, inquirere, tentare, & declarare laboret, quod sit per examen hujus questionis? Et quis *ineptum* pronuntiet indagare principium, quod per se notum non est? Quamdiu igitur Adversarij non possunt infallibiliter probare existentiam Scripturæ S. (quod nunquam poterunt, nisi iterum amplectantur Verbum DEI non Scriptum, & Ecclesiæ vocem audiant) tamdiu malè admittunt Scripturam & imprudenter, nec eà uti possunt ad reliquos articulos probandos; licet nos Catholici eam bene admittamus, & adhibere possimus ad aliquid probandum tanquam regulam certissimam credendorum.

7. Ob. 2. Scriptura se ipsam sua luce satis prodit; si enim attentè ac devotè legatur, tam convincentes in ea reperiuntur causæ, quod sit Verbum DEI, ut testimonium Ecclesiæ vel omnino non requiratur, vel saltem non nisi ultimum jure obtineat locum. Ferè testimonium Ecclesiæ de Scriptura se ha-

bet, sicut se habet Tabellarius, qui affert litteras Regis; qui quidem initio nobis tradit has litteras, sed postquam eas reclusas legimus, & sigillum videmus, non amplius credimus propterea, quia Tabellarius dicit, has esse litteras Regis, sed propter Manum, Sigillum, Negotium Principis in litteris descriptum. Sic Scriptura habet in se talia critica seu indicia sibi intrinseca, qualia sunt *sublimitas* rerum, quæ in Scripturis tractantur, *instructio* talis ad vitam rectè instituendam, qualis non reperitur in ullo alio libro, *efficacia* tanta ad permovendos animos, quanta in nullo alio libro deprehenditur, & *impletio* prædictionum, quæ in Scripturis continentur &c. ut dubitari non amplius possit, quin hæc Scriptura sit Divina: ergo. R. si tanta est lux in Scriptura, qua se ipsam prodit, quare eam non omnes vident? cur hanc lucem potius in suo Alcorano vident Turcæ, quam in nostra Scriptura, etiam attentè & devotè lecta? cum tabellario & litteris Regis non est paritas, quia Character, Sigillum, & alia hujusmodi indicia clarè & longè certius dignosci possunt, & oculis evidentè cerni, suntque ex se longè aptiora ad probandum, litteras esse à Rege missas, quam Nuntij, sæpe mendaces: e contra in Scripturis nihil Divinum clarè & evidentè apparet, & e contra testimonium Ecclesiæ, quæ aliunde probatur esse infallibilis, clarè & sensibilibiter nobis constat: ac proinde hoc testimonium rectè dicitur esse primum, ultimum, efficacissimum, & ex omnibus unice convincens & infallibiliter

docens, dari Scripturam S. Adde, quod etiam litteræ regæ non semper certò ac *infallibiliter* dignoscantur ex indicijs, etiam si attentè & circumspèctè legantur: de litteris autem Divinis debet haberi infallibilis certitudo etiam quoad nos, quam certitudinem certè non pariunt illa criteia Scripturæ intrinseca; cur enim ab aliquo sancto & sapienti viro, qualis v. g. fuit S. Augustinus, Thomas Kempensis, S. Franciscus Xaverius &c. non possit scribi liber, in quo res æquè sublimes, tam copiosa instructio, tam efficax energia verborum, imò & quædam vaticinia de rebus futuris, quæ postmodum impleantur, ac mediâ ad salutem contenta sint, quin tamen talis liber esset *Canonicus*? Quid si aliquis diceret, Evangelia S. Bartholomæi, Thomæ, Nicodemi, quæ nec ab Adversarijs agnoscuntur pro Canonicis, esse tales libros, memoratis saltem plerisque dotibus instructos? Accedit, quod in Scripturis, quas Adversarij agnoscunt pro Divinis, reperiantur plurima capita, & sententiæ, in quibus nulla apparet vel sublimitas, vel informatio morum, vel

energia verborum, vel prædictio: quare ergo habent pro Divinis?

Ob. 3. *Spiritus est, qui testificatur.* 1. Jo. 5. v. 6. hoc est, Spiritus S. testimonium est quasi viva sensatio apud eos, qui Scripturam piè legunt, ut eam agnoscant: *ipse enim Spiritus reddidit testimonium Spiritui nostro.* Rom. 8. v. 16. *Et Spiritus docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia.* Jo. 14. Ergo ex Spiritu interno potest satis cognosci etiam existentia Scripturæ. R. hoc argumentum, quod apud multos ex Adversarijs est potissimum, planè ineptissimum esse, tum quia adducit textus Scripturæ ad probandam existentiam Scripturæ, & sic supponit id, de quo queritur, tum quia ex his textibus non probatur, quod ille spiritus & dictamen internum, quo judicant dari Scripturam, sit Spiritus S. illustratio, & non potiùs fallax persuasio & erroneum proprij intellectus judicium, tum quia Turcæ vel alij Scripturam negantes eodem jure possunt dicere, se negare ex interno Spiritus S. testimonio, *Spiritum esse, qui sibi testificetur, Spiritum reddere Testimonium spiritui suo &c.*

## §. II.

*Idem non possunt sufficienter probare Canonem S. Scripturæ.*

9. Sciendum 1. vocem *Canon* esse Græcam, & Latine significare idem ac vocem *Regula*, item *Catalogus*. Quæ utraque significatio huc quadrat; cum

R. P. Pichler Theol. Polemica,

enim S. Scriptura sit *Regula* seu norma nostræ fidei & morum, rectè appellatur *Canon*, & totus *Catalogus*, in quem recepti sunt libri S. Scripturæ, itidem

h

itidem

itidem rectè vocatur *Canon*; sic dicimus, hunc vel illum librum esse in *Canone*, hoc est, in Catalogo Librorum Sacrorum, & libros sacros vocamus *Canonicos*. Porro possunt aliqui libri fieri esse Canonici *secundum se*, quin tamen sint Canonici *quoad nos*, live *Canonizati*, seu relati inter Divinos; sicut aliud est esse *Sanctum*, & aliud esse *Canonizatum*. Quòd aliquis liber sit Canonicus *secundum se*, habetur à solo DEO illum dictante vel inspirante; quòd autem sit Canonicus *quoad nos*, hoc est, nobis sufficienter cognitus, habetur per revelationem Divinam nobis satis propositam.

xo. Sciendum 2. per libros Canonicos ordinariè & communiter intelligi illos, qui sunt Canonizati, seu legitima auctoritate in numerum librorum Sacrorum relati. Canonicis opponuntur

*Apoeryphi*, qui nempe, licet à quibusdam aliquando Patribus habiti sint pro Divinis, legitima tamen auctoritate (publicò nempe Ecclesiæ judiciò) nunquam pro talibus declarati & acceptati sunt: tales hodie sunt Oratio Regis Manassæ, Psalmus 151. Appendix libri Job, liber Hermetis (qui inscribitur Pastor) liber III. & IV. Esdræ, liber III. & IV. Machabæorum; qui, etiamsi in Codice Bibliothecæ Græco vel Latino contineantur, tamen inter Canonicos recepti non sunt, & ideo infallibilem (saltem *quoad nos*) auctoritatem non habent. In alio sensu etiam illi libri vocantur *Apoeryphi*, qui errores continent admixtos.

Sciendum 3. In Canone Catholico libros Canonicos contineri 72. nimirum Veteris Testamenti 45. Novi autem 27. Suntque sequentes.

### Veteris Testamenti.

Genesis.  
Exodus.  
Leviticus.  
Numeri.  
Deuteronomium.  
Josue.  
Judices.  
Ruth.  
4. Libri Regum.  
2. Libri Paralipomenon.  
2. Libri Esdræ.  
Tobias.

Judith.  
Esther.  
Job.  
Psalteriũ.  
Proverbia.  
Ecclesiastes.  
Cantica.  
Sapientia.  
Ecclesiasticus.  
4. Prophetæ Majores,  
cum Baruch.  
12. Prophetæ Minores.  
2. Libri Machabæorum.

Quatuor *Majores Prophetae* sunt I-  
saías, Jeremias, Ezechiel, Daniel.  
Duodecim *Minores* Oseas, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Nahum, Bacuc, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias.

*Novi Testamenti.*

1. Evangelia.
- Actus Apostolorum.
14. Epistolæ S. Pauli.
3. Epistolæ S. Joannis.

2. Epistolæ S. Petri.
- Epistola S. Jacobi.
- Epistola S. Judæ.
- Apocalypsis.

Auctores Evangeliorum sunt *Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes.* Actuum S. Lucas. Apocalypseos S. Joannes. Epistolæ quatuordecim S. Pauli sunt scriptæ ad sequentes: una ad Romanos, duæ ad Corinthios, una ad Galatas, una ad Ephesios, una ad Philippenfes, una ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, una ad Titum, una ad Philemonem, una ad Hebræos.

Habetur iste Catalogus Librorum Canoniorum ex Concil. Tridentin. Sess. 4. Patres verò Tridentini hunc eundem Canonem acceperunt à Concil. Florentino, Florentinum à Romano sub Gelasio, Gelasius ab Augustino, Augustinus à Concil. Carthag. III. (quod alij appellant V. alij VI.) approbato à Synodo Generali VI. Patres hujus Concilij Carthag. ab Innocentio I. Papa in ep. ad Exuperium, qui Innocentius vixit sub annum 402. & hunc Canonem, quem à temporibus Apostolorum per continuam Traditionem accepit, clarè & explicitè declaravit, eò quòd Traditio Apostolica ob ingentes persecutiones Ecclesie non in omni-

*R. P. Pichler Theol. Polemica.*

bus locis sat cognita fuisset; quod inde etiam colligitur, quòd de quibusdam ex recitatis libris aliqui Patrum dubitaverint, donec notitia declarationis ab Innocentio factæ ad ipsos pervenerit.

Sciendum 4. Lutherum & Calvinum ex recitato Canone per summam & inauditam temeritatem expunxisse integros libros Veteris Testamenti, nimirum libros *Tobia, Judith, Sapientia, Ecclesiastici, Machabaorum, Baruch, & addidamenta ad Esther & Danielems.* Imò Lutherus adhuc insolentior Bibliomastix etiam Novo Testamento sacrilegas manus iniecit expungendo *Epistolam B. Pauli ad Hebræos, Epistolam S. Jacobi, Epistolam S. Jude, & Apocalypsin S. Joannis.* Jure igitur hi Novatores in jus vocantur, & postulatur ab ipsis, qua auctoritate rem tantam aggressi sint contra Universalis Ecclesie Traditionem antiquissimam? unde infallibiliter doceant, ac sufficienter probent, eos libros, quos ipsi expunxerunt, non esse Divinos? siquidem plurimum interest id certò nôsse; cum aliis certi non sint,

an non habeant Scripturam mancā, truncatā, & quod consequitur, mancā & truncatā fidem, non totam DEI voluntatem ipsis proponentem. Item unde infallibiliter certi sint, eos libros, capita, & sententias omnes, quas ipsi recipiunt pro Verbo DEI, esse Verbum DEI? Verbo, unde infallibiliter certi sint de suo Canone, seu hos, & non alios libros, esse Canonicos?

Dico. Lutherani, Calvinistæ, Zvingliani, & ceteri Apostata omnes, non possunt in suis principijs sufficienter probare suum Canonem Scripturæ, ut de eo sint infallibiliter certi. Demonstratur: non enim probare possunt 1. ex Scriptura (quæ sola juxta ipsos potest parere infallibilem certitudinem) partim quia in Scriptura nullibi profusè clarè, imò nec obscure dicitur, hos omnes libros, quos Adversarij agnoscunt pro Divinis, & non alios, quos ipsi recipiunt, esse verè Divinos, ut sit evidens lustranti totam Scripturam; partim quia, etiam si alicubi legeretur scriptum, hos & non alios libros, capita, & sententias esse verè Scripturam S. propterea tamen *infallibiliter* non essent certi, eò quòd certi non essent, utrum non aliquis impostor hæc verba nequiter addidisset. Certè si sufficeret, in titulo vel in alia parte alicujus libri scriptum esse, eum esse Divinum & DEI Verbum, Turcæ de suo Alcorano, & Judæi de suo Thalmud possent esse infallibiliter certi, quòd ipsi habeant veram Scripturam Divinam. Unde etiam si in quibusdam Scripturæ locis dicatur, *Dominus locutus est*, & alia similia inveniantur, tamen impri-

mis talia verba non reperiuntur in omnibus libris, capitibus, sententijs (& de his redit quæstio, unde infallibiliter cognoscantur esse Verbum DEI) deinde non infallibiliter scitur, an hæc verba vel ex malitia vel ex infirmitate humana non fuerint apposita. Adde, quòd de his ipsis libris, in quibus simile quid legeretur, sit quæstio, an sint Divini: ergo hi libri non possunt esse Judex infallibilis; aliàs supponeretur id, quod est in quæstione.

Neque probare possunt 2. ex criterijs & indicijs, quæ reperiuntur in his determinatis libris: vel enim ista criteria sunt clara & evidentiā? quòd evidenter falsum est, quia hæc lucem in his libris non tantum non vident Gentiles & Pagani, ac Judæi in libris Novi Testamenti, sed etiam viri doctissimi & sanctissimi ex Christianis non cernunt *clarè* hæc lucem, imò de quibusdam libris, quos Adversarij agnoscunt, uti est Epistola 2. Petri, Epistola 3. & 4. Joannis (ut fatentur ipsimet, & clarè testatur Eusebius l. 3. c. 25.) etiam Antiqui Patres dubitarunt. Vel sunt obscura & dubia? & sic non possunt parere *certitudinem infallibilem*, sed ad summum opinionem. Dein cur hæc lux & criteria non apparent Lutheranis in Epist. ad Hebræos, in Epist. S. Jacobi & S. Judæ, nec in Apocalypsi; apparet tamen Calvinistis, qui aliàs volunt esse fratres Lutheranorum, saltem aliqui?

Neque probare possunt 3. ex interno Spiritu & sensu propriæ conscientiæ, partim quia æquè vel magis incertum est, an iste Spiritus internus sit



fit illustratio Divina, quàm ipse Canon an sit Divinus; partim quia omnes alij eodem jure possunt dicere, se per internum Spiritum & conscientie sensum cognoscere oppositum: sic Turca dicit, sibi internum Spiritum dicere, non Biblia Christianorum, sed Alcoranum, Judæi, suum Thalmudum esse Scripturam à DEO inspiratam: sic Catholici possunt dicere, se ab interno spiritu discere, etiam libros Judith, Tobie, Sapientie, Ecclesiastici, Machabæorum esse Canonicos, Calvinista contra Lutheranos, etiam epistolas ad Hebræos, Iacobi, & Judæ esse Canonicas. Queso quomodo isti impugnari à vobis poterunt? Quid diceris pro vestro spiritu interno, quod alij non pari jure dicent pro suo? obsecro si quis in Canonem reciperet epistolam aliquam S. Pauli ad Laodicenses, Evangelium S. Bartholomæi, S. Barnabæ, S. Nicodemi &c. (hæc enim aliquando à quibusdam habebantur pro libris Canonicis) præsertim cum ipse Paulus ad Coloss. 4. mentionem faciat alicuius sue epistolæ ad Laodicenses datæ; nunquid posset asserere pro suo asserto ipsam Scripturam, nempe Epistolam ad Coloss. æqualia criteria Scripturæ intrinseca, & insuper Spiritus interni testimonium? Quare ergo hanc epistolam, hæc Evangelia in Canonem non recipitis? Vid. de Spiritu hoc interno pag. 86.

16. Obijciunt. Nullus liber Antiqui Testamenti habendus est pro Canonico, qui 1. non est scriptus à Propheta, vel tempore Prophetarum. 2. Qui non est scriptus tali idiomate, quo tunc utebatur Ecclesia Judaica. 3. Qui non

citatur à Christo vel Apostolis, & insuper de Messia futuro nullam facit mentionem: sed libri Tobie, Judith, Sapientie, Ecclesiastici, Baruch, primus & secundus Machabæorum, non habent ista requisita: ergo non sunt Canonici. R. 1. & quarto, unde Adversarij certò confiter, illos libros, qui has conditiones habent, esse Canonicos, & qui non habent, non esse Canonicos? R. 2. Et retorq. argum. in capitibus & sententijs singulorum librorum, quos ipsemet habent pro Divinis; non enim in omnibus capitibus & sententijs fit mentio de Messia de Christo, nec singula capita citantur à Christo vel Apostolis, multò minùs singule sententiæ, & tamen habentur pro Divinis. R. 3. N. M. N. m. N. C. Ratio negandi M. est, quia Adversarij prorsus gratis & sine ratione sufficienti has conditiones requirunt ad librum Canonicum Veteris Testamenti, ubi enim id scriptum est? Imò si primum membrum M. esset verum, neque liber Judicum & Ruth esset Canonicus; quis enim Prophetarum hos libros scripsit, vel eo tempore vixit? Dein si ad essentiam libri Canonici requiritur, ut tali idiomate scribatur, quod intelligat vulgus, ferè nullus erit liber Canonicus novi Testamenti, quia plerique scripti sunt idiomate Græco, quod vulgus Ecclesie Christianæ non intelligebat. Rursus si liber Canonicus veteris Testamenti debet facere mentionem Messie futuri, & citari à Christo vel Apostolis, neque Canonici erunt Ecclesiastes, Cantica, liber I. Regum, Ruth &c. Ipse Christus indicat, quod solum aliqui libri veteris Testamen-

menti de futuro Messia mentionem faciant, nimirum libri Moysis, Prophetarum, & Psalmorum, dum Luc. 24. ait: *Quoniam necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in Lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.* Ratio negandi n. est 1. quia liber Baruch scriptus est lingua Hebraica, vel Chaldaica, item Tobia & Judith; imò & Ecclesiasticus & primus Machabæorum, licet postmodum in Græcam translati sint. Vid. P. Ott in suo libello Germ. de his libris contra Heideggerum Tigurinum.

2. Quia Baruch c. 3. v. ult. de DEO sic vaticinatur: *posthac in terris visus est*: ergo de Messia futuro mentionem facit. Eandem facit liber Sapientiae c. 2. v. 12. Alia igitur causa fuerit Sectarij expungendi memoratos 7. libros, scilicet *Tobia*, quia valde commendat efficaciam & meritum bonorum operum, *Judith*, quia laudat castitatem, jejunia, castigationes voluntarias corporis & festa: *Machabæorum*, quia approbat orationes pro defunctis &c. Quæ nimis aperte repugnant doctrinæ Aversariorum.

17. Urgent. In præfatis 7. libris continentur falsa, errores, absurda, pugnantia. Sit Auctor libri Machabæorum expresse veniam precatur errorum: ergo non sunt Canonici. R. N. A. quamvis enim contineantur quedam captu difficilia, in speciem falsa, erronea, & inter se pugnantia, propterea tamen non debent rejici ex Canone; aliàs etiam 4. Evangelia rejicere oportebit, eò quod aliqua occurrant in speciem opposita, difficulter intelligibilia &c. ut expelluntur Interpretes, quorum non est

librum sacrum rejicere, si non statim allequantur omnia, sed majori industria laborare implorato diligenter lumine Divino, ut occurrentes nodos solvant, ut fecerunt SS. Patres, nominatim S. Augustinus, qui 4. egregios libros scripsit de *consensu Evangelistarum*, ostendens, nullam in ijs esse antilogiam, nisi apparenter fortè & apud imperitos. Sic pariter, quæ occurrunt difficilia vel circa sensum, vel circa chronologiam, vel tropologiam &c. in his libris, satis explanantur ab Interpretibus & Scripturarijs, ad quos hæc pertinent. Auctor libri Machabæorum non precatur veniam errorum contra veritatem, sed errorum circa stylum & orationem minus politam. Spiritus S. non alligatur ad elegantiam verborum & Styli, sed ipsa perinde est, sive Scriptor, quem dirigit, simplici sive sublimiori loquatur sermone, & cujusque indoli, capacitati naturali, & scribendi modo se accommodat. Ita tamen dirigit, ut Scriptor à vero deviare nequeat.

18. Replicant. Verus Ecclesia saltem dubitavit de his libris: ergo adhuc incertum est, an sint Canonici. A. P. Quia Patres Concilij Laodiceni, item S. Hieronymus, S. Melito, Athanasius, Origenes, & Eusebius eos excluderunt à Canone. R. 1. N. C. nam Ecclesia potest successu temporis magis edoceri à Spiritu S. sicut edoceta est v. g. de non rebaptizandis ijs, qui ab hæreticis baptizati sunt, de quo antea erat dubium. R. 2. N. Ant. Quamvis enim quidam ex Patribus dubitarent ante intimatam sibi definitionem Ec-

Ecclesie, non tamen dubitavit tota Ecclesia. Concilium Laodicenum fuit tantum Particulare, nec à Pontifice aut à Concilio Generali approbatur. S. Hieron. postquam intellexit, librum Judith in Concilio Generali Niceno fuisse declaratum pro Canonico, statim & ipse illum recepit, recepturus haud

dubiè & reliquos, si circa illos definitionem Ecclesie scivisset; dicit enim in pref. ad Judith: *quia hunc librum Synodus Nicæna in numerum SS. Scripturarum legitur computasse, æquiva-  
vi postulationi vestra, imò exanti-  
oni.*

## §. III.

*Idem non possunt sufficienter probare versionem legitimam, nec puritatem S. Scripturæ.*

19. Sciendum 1. Biblia originaliter scripta & edita fuisse tribus linguis, Hebraicâ, Græcâ, & Latinâ, quæ etiam propterea vocantur lingue *Sacræ*. Hebraicâ primitus conscripti sunt plerique libri veteris Testamenti. Græcâ libri novi Testamenti, exceptò Evangelio S. Matthæi & epistolâ ad Hebræos, quæ probabiliter originaliter scripta sunt linguâ Syriacâ, seu illâ Hebraicâ, quæ tempore Christi & Apostolorum erat in usu, nec amplius erat purè Hebraica, sed vocibus Chaldaicis permixta: item exceptò Evangelio S. Marci, quod probabiliter Romæ fuit primitus editum linguâ Latinâ. Hæ editiones primæ, ab ipsis Sacris Scriptoris profectæ, seu Authographa non amplius habentur, sed tantum transumpta, & versiones in alias linguas. De his

20. Sciendum 2. Versiones Bibliorum fuisse, & etiamnum esse plurimas. Ex Græcis versionibus, per quas Antiquum Testamentum ex Hebraico in Græcum idioma translaturum est, celeb-

res sunt Origenis, S. Luciani M. Theodotionis, Aquilæ &c. celeberrima autem illa, quæ dicitur *septuaginta interpretum*, quæ non sine miraculo & speciali DEI assistentia annis circiter 280. ante Christum Natum perfecta est. Iste tamen versiones veteris Testamenti (etiam 70. interpretum, quæ olim erat Authentica) progressu temporis vel malitiâ Judæorum & Hæreticorum, vel infirmitate describentium (nam propter defectum typi, qui primum circa annum Christi 1440. inventus est in Europa à Germanis, omnia describi calamo debebant) ita corruptæ sunt, ut tutum non sit, Latina Biblia nunc ad Græcum textum emendare, ut docet Bellarm. & alij.

Sciendum 3. ex Versionibus Latinis 21. eminere præ omnibus illam, quæ communiter appellatur *Vulgata*, quam S. Augustinus *Italiam*, S. Gregorius *Veterem* dixit. Tribuitur hæc versio vel editio *Vulgata* S. Hieronymo; quod verum est quoad Vetus Testamentum

exceptis quibusdam libris, nimirum Sapientiae, Ecclesiastici, Baruch &c. item Psalmis: Novum verò Testamentum non est S. Hieronymi, sed ignoti cujusdam antiquioris Auctoris, emendatum tamen à D. Hieronymo. Alias versiones Latinas, à *Vulgata* in multis dissentientes, eudere aucti sunt recentiores Sectarij, infelicis Lutheri perniciofa genimina, quamvis suo etiam protoparenti rebellia, nimirum Münsterus, Oecolampadius, Beza, & alij: Leo Juda ex Judæo factus Zwinglianus inchoavit, & postea Bibliander adjuvantibus Pelicano & Cholino perfecit anno 1544. Biblia, quæ vocantur *Tigurina*, quia Tiguri edita.

22. Sciendum 4. alias Versiones vocari *Vulgares*, per quas nimirum Biblia versa sunt in aliquam Linguam Vulgarem: *Vulgares* autem Linguae censentur omnes (excepta Hebraica, Græca, & Latina) utpote Vulgo usitata, uti sunt Germanica, Gallica, Italica, Hispanica, Polonica &c. Et in has linguas vulgares seu vernaculas S. Scripturam varij traduxerunt Sectarij: sic Lutherus Biblia fecit Germanica, uti & Tigurini, Genevenses Gallica, Londinenses Anglica &c. sed sicut temerario ausu, ita infelici eventu; ipsimet enim mutuo suas carpunt versiones, & errorum insimulant: Lutheri versionem carpunt Tigurini, Münsterus, Bucerus, & Lutherus ipse; nam iste post 20. annos fassus est, se crebrius errasse, eò quòd Rabbiorum glossis nimium credidisset. Vid. Stoltzius in defens. Luth. & Lindanus in Dubitatio. E-contra Lutherus cum accepisset Biblia

Tigurinorum à Typographo, huic dixisse fertur: ne posthac mihi aliquid mittas, quod à Ministris Tigurinae Ecclesiae profectum sit: nullum enim eum eis posthac commercium habere, nec eorum libros recipere aut legere volo, quandoquidem ipsi jam damnati sunt, & alios quoque miseros homines secum ad inferos abducunt. Ex Hospiniano in historia Sacramentaria anno 1544. Becan. to. 4. Opusculorum Theol. titulo *Evangelici*.

Sciendum 5. demptà speciali Providentià Divinà facillimè, imò moraliter necessariò contingere, ut plurimi errores post magni temporis lapsum irrepant in Biblia, partim propter infirmitatem describentium, partim propter malitiam hominum, praesertim Rabbiorum & Hæreticorum, præcipuè Biblia in aliam Linguam transferentium; nam Judæi odio erga Christum, Hæretici odio erga Romanam Ecclesiam, à qua perduelles defecerunt & fulminati sunt, diversimode laborarunt corrumpere Biblia, illi quidem omitrendo vel vitiando ea, quæ de Christo gloriosa sunt in libris Veteris Testamenti prædicta; isti verò omitrendo vel vitiando illa, quibus nimis manifestè approbantur dogmata & præcepta Catholicorum, suis Sectis opposita. Jure igitur ab Adversarijs, qui nil nisi Scripturam S. identidem crepant & jaçant, postulatur, ut prius infallibili argumento doceant, se habere Biblia legitime versa, & ab omni errore pura.

Dico 1. Lutherani, Calvinista, Zwingliani, & ceteri Apostatae omnes non

non possunt in suis principijs sufficienter probare legitimam versionem Bibliorum, seu quòd habeant Biblia ritè & de puris fontibus in suas linguas traducta. Demonstratur 1. si possent probare sufficienter, nimirum medio infallibili, possent ex Scriptura (nam in ipsorum principijs nihil aliud valet ad infallibiliter aliquid probandum quam Scriptura) argui ex Scriptura probare evidenter non possunt, partim quia in Scriptura nullibi dicitur, totum hunc Canonem, à se admissum, esse legitime verum ex textu fundamentali Hebræo & Græco, partim quia etiam si in Scriptura hoc legèretur, de hac ipsa tamen assertionè rediret quæstio, an ea sit in textu fundamentali & fonte, an tantum allata à malevolo versore. Si recurrant ad Spiritum internum, infame illud omnium errorum Monopolium, videantur dicta p. 86. 93.

25. Demonstratur 2. positivè ostendendo, versionem, quam habent, jure esse suspectam. Cum primis ab auctoribus versionum, quas habent; isti enim 1. fuerunt homines privati, qui erroribus sunt obnoxij, ut ipsimet semper clamitant. 2. non satis periti linguarum Hebrææ & Græcæ; qui eam ex fundamento & perfectè ex una lingua in aliam transfere vult aliquem librum, utramque linguam perfectè intelligat necesse est, atque idiotissimos, axiomata, & proprios loquendi modos call eat; quod nemo facillè assequetur, nisi per multos annos exercitium sedulum cum peritis talium linguarum habuerit: atqui nullus ex istis modernis versoribus hujusmodi exercitium

R. P. Pichler Theol. Polemica,

habuit in lingua Hebræica & Græca &c. imò Lutherus de se falsus est, se has linguas non perfectè calluisse; & tamen ex ijs se suam versionem Germanicam fecisse gloriatur. 3. Fuerunt homines inconstantes, votifragi, Apostata, perfidi, odiò & invidia erga Romanum Pontificem inflammati, ut nihil dicam de alijs eorum vitijs superbia, luxuria &c. An in tam malevolis animas introijisse putas veram sapientiam, & Spiritus S. peculiarem illustrationem, quæ ad tam grande opus summopere necessaria est? Deinde quis credat, eas versiones, quæ repugnant versioni per mille & amplius annos ab Universali Ecclesia receptæ, usitata, & approbata, ab uno vel altero scdisfrago & rebelli Monacho vel Sacerdote factas, esse bonas, legitimas, authenticas? Atqui versiones omnes Lutheranorum, Calvinistarum &c. repugnant in multis Versioni *Vulgata*, quæ ab Universali Ecclesia, scilicet Romana, utpote cum qua omnes Ecclesie Christianæ particulares tanquam filie cum Matre communicabant, dum isti Novatores insurrexerunt, fuit recepta, usitata, & approbata: ergo.

26. Demonstratur 3. adducendo aliquos manifestos errores, quos continent Versiones Novatorum. Lutherus vertens illa verba Apostoli 1. Cor. 9. 5. *nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi*, adjecit de suo, *in uxorem*, vertens textum S. Pauli ad Rom. 3. *arbitramur enim justificari hominem per fidem*, apposuit de suo *solum*. Vertens verba *agite poenitentiam* in Germanico sic exprimit:

N

mit?

mit: *Bessert euch*. Vertens c. 1. ep. 2. Petri in v. 10. hæc verba, *magis satagite, ut certam vestram vocationem & electionem faciatis*, omittit *per bona opera*. Vertens verbum *tollit peccata* Jo. 1. reddit Germanicè *trägt*. Vertens verba Pl. 132. *adorabimus scabellum pedum ejus*, alluit præpositionem *für coram* scabello, contra textum Hebraicum. Vertens verba Pauli Rom. 3. *per legem cognitio peccati* addit *nur* tantum, quasi Lex tantum serviret ad hoc, ut in ea tanquam in speculo cognoscamus peccatum, non verò servanda sit. Vertens verba, *esto perfectus*. Gen. 17. in Germanico sic ponit: *sey fromb*. Beza & alij omittunt illum totum versiculum Act. 15. v. 41. *præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum*. Kekermannus, quamvis & ipse Sectarius l. 1. Syst. Theol. Versionem Tremelli longè præfert versioni Lutheri, licet in singulis ferè versiculis dissentiat à versione Lutheri Veteris Testamenti. In versione autem Novi Testamenti ab eodem Luthero facta ferè mille errores notantur, ut habet Bellarm. l. 2. de Verbo DEI c. 11. Et M. Lomer Præco Augustanus tribus abhinc annis publicò typò factus est, quòd Lutherus initio sua Biblia fecerit Germanica juxta Exemplar Hebraicum corruptum. At dices, nec ipsi Lutherani versionem Lutheri esse *authenticam*, sed ad fontes Hebraicos & Græcos esse examinandam, ut expressè docet Gerardus in Locis Theol. l. 1. n. 524. Vah miserum effugium! Versio Lutheri non est authentica, adeoque non infallibilis: Lutherani ferè nulli

callent perfectè Hebraicam & Græcam linguam, ut corrigere possint versionem Lutheri, & etiam si scirent perfectè has linguas, tamen singuli deberent esse judices in textibus Scripturæ legitime vertendis, homines fallibiles, mendaces, & suum Spiritum privatum sequentes! Quid quod ipse fontes Hebraici & Græci non sint puri, cum Autographa non existant? Quid facient miseri? ubi purum DEI Verbum scriptum infallibiliter invenient, cui unice inniti volunt, & in suis principijs debent? Unde ulterius

Dico 2. Neque sufficienter probare possunt puritatem Scripturæ, etiam in lingua Hebraica, Græca (ex quibus se fecisse ajunt versiones in linguas vulgares) & Latina editæ. Demonstratur ferè eodem modo, quo priorem assertionem probavimus. 1. quia deberent id probare ex Scriptura, & quidem certò incorrupta: atqui hoc evidenter non possunt, partim quia Hebraica, Græca, & Latina Scriptura nullibi dicit, se esse incorruptam quoad omnes libros, capita, & sententias, partim quia etiam si id diceret, infallibiliter tamen certi propterea non essent, an hoc ipsum assertum non esset per fraudem adjectum, & sic esset maxima corruptio Scripturæ. Si confugiant iterum ad ineptum Spiritum internum, videantur rursus disputata p. 86. & 93. superius. Demonstratur 2. Ipsa Autographa, seu exemplaria à Moyse, Prophetis, Apostolis, & Evangelistis manu propria exarata non habent Adversarij: ergo tantum transumpta, & hæc varè versa, item vel à Judæis, vel Hæreticis, vel certè Catho-  
licis

licis ( ab his enim immediatè habent suam Scripturam, quam postea truncarunt, mutilarunt, veterunt, tractarunt, & vitiarunt pro libitu ) descripta, & edita. Unde sciunt infallibiliter, istos tanto tempore, quo habuerunt & tractarunt Scripturam, eam non corrupisse vel ex malitia vel ex infirmitate? praesertim cum in alijs rebus fidei non tantum Judaeos & Haereticos, sed etiam Romano-Catholicos gravissimorum errorum reos agant.

Si dicant, ad DEI Providentiam spectasse, ut Biblia conservet incorrupta tanquam fundamentum Fidei Christianae, & ne omnino tollatur è Mundo omnis fides Divina; tunc deserunt sua principia, quia argumentum hoc non est ex Scriptura, & totam suam causam penitus jugulant. Si enim ad Providentiam DEI spectat, semper conservare Biblia incorrupta tunc Catholici, penes quos utique ipsis fatentibus aliquando fuerunt incorrupta Biblia, semper habuerunt incorrupta: ergo Adversariorum Biblia, ubi dissentiant à Catholicis Biblijs, sunt adulterata & corrupta. Item si Biblia debent conservari pura, ne tota Fides Divina pereat de Mundo, multò magis Ecclesia debet conservari pura & incorrupta; id enim si fieret, periret fides omnis Divina de Mundo: ergo Ecclesia illa, quae aliquando fuit vera, semper debet conservari vera & pura: atqui etiam juxta Adversarios Ecclesia Romano-Catholica aliquando saltem fuit vera & pura: ergo adhuc est.

28. Dico. 3. Editio *vulgata*, qua utuntur Catholici, est Authentica, hoc  
R. P. Piehler Theol. Polensica.

est, nullum continet errorem contra fidem, bonos mores, & originales textus S. Scripturae. Probatum infallibiliter ex auctoritate verae Ecclesiae, quam DEUS necessarìo debet reddere infallibilem in declarandis fidei articulis, & vel maximè in proponenda Scriptura sacra, supposito, quòd velit in Mundo conservare fidem veram & Divinam; & quidem non tantum debet reddere infallibilem pro aliquo tantum tempore, sed pro omni; quamprimum enim vera Ecclesia incideret in errorem, mox desineret omnis Ecclesia Christi, & omnis fides Divina cessaret. Proinde sicut Ecclesia Romano-Catholica antiqua, definiens res fidei, fuit infallibilis, ita & moderna debet esse infallibilis; quia haec sola est vera Christi Ecclesia, ut ostenditur ex notis verae Ecclesiae proprijs in tractatu de Ecclesia. Id quod etiam Adversarijs innegabile est ex eo capite, quia Romano-Catholicam olim fuisse veram Christi Ecclesiam fatentur: veram autem Christi Ecclesiam nunquam posse errare clarum est, cum alias cessaret omnis vera & Divina fides, quod DEUS permittere non potest: adeoque si aliquando fuit vera, adhuc est, semperque erit vera & infallibilis. Quòd autem Romano-Catholica Ecclesia definiat, Versionem *Vulgatam* esse authenticam, probatur clarè ex Concil. Trident. sess. 4. ubi sic habetur: *Sacrosancta Synodus statuit & declarat, ut haec ipsa vetus & vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus, & expositionibus pro Authentica*

ca habeatur; & ut nemo illam rejicere quovis prætenu audeat, vel præsumat.

29. Opponitur 1. Editio Vulgata in multis locis dissentit ab Hebræo & Græco: ergo non est Authentica. Confirmatur: Clemens VIII. in multis locis correxit lectionem Vulgatæ à Sixto. V. editam. Imò nec hodie Vulgata, jussu Clementis correctæ, est purgatissima, ut fateatur ipsius Clementis præfatio Biblijs præfixa: ergo. R. D. A. dissentit ab Hebræo authentico & quoad sensum N. A. quoad litteras & characteres, & à non authentico. C. A. & N. C. S. Hieron. sæpe non respexit ad verba, sed ad sensum, ne translatio fieret torta nimis & obscura. Hebræa & Græca Biblia, quæ hodie extant, non sunt Autographa, sed transumpta, modo scribendi & diversis mendis variata, & vitata, ut passim docent Auctores rerum istarum peritiores. Ad Confirmationem dico, Clementinam lectionem à Sixtina non differre formaliter & quoad sensum principaliter intentum à Spiritu S. sed solum materialiter & quoad verba quædam, & expressionem majorem quoad Græcos & Hebræicos fontes. Dein fatentur etiam Adversarij, in uno textu posse reperiri plures sensus, vel eundem textum in uno sensu propter suam fecunditatem posse habere plures accommodationes: si ita est, cur in varijs lectionibus non possit diversus sensus & accommodatio ejusdem cæteroquin sententiæ exprimi sine ullo præjudicio S. Scripturæ, cum Spiritus S. intenderit hos sensus in verborum

suorum fecunditate? Quod spectat ad præfationem Biblijs præfixam, cuius hæc sunt verba: *accipe Christiane lector veterem & vulgatam S. Scripturæ editionem, quantum fieri potuit diligentia castigatam, quam quidem fieri omnibus numeris absolutam pro humana imbecillitate affirmare difficile est, ita ceteris omnibus, quæ ad hunc usque diem prodierunt, emendatiorum puriorumque esse minime dubitandum, quæ satis indicant, ab Ecclesia non definiti, editionem vulgatam omnibus mendis, etiam accidentalibus, ita esse purgatam, ut emendari amplius nequeat; quod Ecclesiæ quoad puritatem doctrinæ non interest. Pariter neque Sixtus V. dixit, suam editionem esse puram ab omni errore accidentali, multò minus eam emendatissimam esse definivit, cum aliquoties repetat, editionem suam fuisse correctam, quoad fieri potuit: adeoque potuit adhuc emendatior proferri in lucem à Clemente. Adde, quod Sixtina editio nunquam fuerit plenè promulgata, ut ostendit Tannerus to. 4. D. 1. q. 4. dub. 6. ergo nondum locutus erat Sixtus ex Cathedra. Quia tamen Clemens eandem Vulgatam declarat esse authenticam, saltem definivit eam esse puram ab omni errore substantiali, nempe contra fidem, bonos mores, & originarios textus; quod requirit puritas Ecclesiæ. Cæterum Scriptura quatenus est in corde Ecclesiæ, nunquam indiget correctione, neque indigebit, cum Ecclesiæ circa Verbum DEI errare repugnet, licet quoad voces externas possit reperire error.*



30. Opponitur 2. Si vulgata, quæ hodie existit, authentica est declarata à Concilio Trid. tunc declaravit pro authentica editionem non existentem, quia tam Sixtina quam Clementina editio primum post Tridentinum facta est: atqui hoc est absurdum, & est baptizare infantem in utero matris: ergo. R. Concil. Trid. illam editionem declaravit esse authenticam, quæ jam olim *Verus & Vulgata* dicebatur, & *longo sæculorum usu probata*, adeoque juxta sensum Ecclesie mediante vivo fidei verbo per Traditiones Apostolicas jugiter propagato. Approbavit igitur editionem existentem, quæ à Sixto V. & Clemente VIII. de novo postmodum edita est, nihil in ea quoad substantiam mutantibus, sed errores accidentales, quos vel preli vel describentium vitio, vel alia infirmitate humana irrepsisse deprehenderunt, corrigentibus.

31. Quæres, an & quibus apud Catholicos prohibita sit lectio S. Scripturæ? R. 1. Lectio Bibliorum ab Hereticis editorum omnibus est prohibita tum propter periculum manifestum pervertionis, tum in detestationem Auctorum.

R. 2. Lectio Bibliorum Catholicorum in aliqua lingua Sacra, & non vulgari, editorum nemini est prohibita; quia qui callent has linguas, censentur habere tantam peritiam, ut ipsis lectio Scripturæ non sit noxia propter occurrentes in ea intelligenda difficultates. R. 3. Lectio Bibliorum Catholicorum in lingua vulgari aliquibus, non omnibus, est prohibita, ijs scilicet, qui *plus damni quam utilitatis* ex hac lectione capere possent ob imprudentiam vel temeritatem suam: an autem periculum sit, judicare penes Episcopum est. R. 4. Hodie in Germania & alijs regionibus Septentrionalibus permessa est omnibus, etiam laicis & illiteratis, lectio Bibliorum Catholicorum in lingua vulgari, quia vel index librorum prohibitorum, quoad lectionem Scripturæ in lingua vulgari, in Germania nunquam usu receptus est, vel quia Romanus Pontifex, sciens praxim & morem legendi Biblia vernacula in his terris, dissimulat & sic tacite consentit: quæ posterior ratio magis placet P. Adamo Burghaber Nobili *Controversista*.

## S. IV.

*lidem in suis principijs non possunt sufficienter probare genuinum sensum Scripturæ S.*

32. Sciendum 1. nequaquam satis esse ad aliquid probandum ex Scriptura S. si infallibiliter coniter, an & quanam Scriptura sit sacra & incorrupta, sed vel maxime requiri, ut etiam infallibiliter

constet de genuino sensu & interpretatione legitima Scripturæ. *Non puremus*, ait S. Hieron. in c. 1. ep. Gal. *in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu &c. interpretatione enim*

*perversa de Evangelio Christi fit hominis Evangelium, aut, quod pejus est, diaboli.* Si nimirum homo perverse interpretatur Scripturam, fit verbum hominis; si diabolus, fit verbum diaboli. Sic ista verba, *Pater major me est.* Jo. 14. prout intellecta ab Ario, sunt verba hominis hæretici, non DEI; & illa verba, *Angelis suis DEUS mandavit de te: & in manibus tollent te.* Pl. 70. in sensu, quem allegavit diabolus Mat. 4. volens, ut Christus se ageret præcipitem, fuerunt verba diaboli, non DEI. Unde si quis velit esse liberalis erga Sectarios, & gratis dare Existentiam, Canonem, Versionem legitimam, & Puritatem Scripturæ actextus illius, quem pro se adducunt, adeoque omnem ipsorum partum non statim præfocare in utero, uti posset; petat ab ipsis, unde infallibiliter certi sint, se ritè intelligere Scripturam, & sensum textus certo esse eundem, quem ipsi adstruunt? si enim hoc non possunt infallibiliter docere (ut in suis principijs in æternum nunquam poterunt) in casum laborant, frustra sunt, & nunquam elicere possunt actum fidei Divinæ, qui ex merito motivi infallibiliter cogniti debet esse certissimus ex prudenti imperio voluntatis, omnem formidinem de opposito voluntariam excludentis.

33. Sc. 2. Sensum Scripturæ alium dici Verum, Accommodatitium alterum: *Verus est, quem DEUS in Scripturis loquens intendit: Accommodatitius, quem homines præter DEI mentem ad res aliquo modo similes accommodant, v. g. quod Eccli. 44. v. 17. dici-*

*tur de Noë, nimirum, inventus est justus, id Ecclesia in Breviario accommodat omnibus Sanctis Confessoribus. Dixi præter, non contra, DEI mentem; si enim esset contra mentem DEI, sensus omnino esset falsus & erroneus: si verò est præter tantum, sensus manet verus, licet non sit ille, quem Spiritus S. directè & primariò intendit: sic à Patribus, Concionatoribus, & Interpretibus plurima accipiuntur in sensu accommodatitio ad informandos mores, v. g. quæ dicuntur in Canticis, in libris Regum, in Evangelio &c. accommodant ad animam hominis vel sanctam, vel peccatricem, vel penitentem &c.*

34. Sc. 3. Sensum verum Scripturæ dividi in Litteralem & Mysticum. *Litteralis, qui etiam Historicus dicitur, est, quem verba immediatè significant ex intentione Spiritus S. sive de in verba sunt propria sive metaphorica. Mysticus, qui etiam Spiritualis appellatur, est, qui aliò refertur quàm ad id, quod verba immediatè significant: sic, quæ ad litteram dicuntur de egressu Judæorum ex Ægypto, de transitu maris rubri, de Manna, de aqua, quæ fluxit ex petra &c. Mysticè seu Spiritualiter referuntur ad Christianos, ad bona, quæ reperiuntur in Ecclesia Christi &c. Utrumque sensum, Litteralem & Mysticum, clarè docuit S. Paulus, dum Gal. 4. dixit: *Abraham duos habuit filios, unum de ancilla, alterum de libera, in sensum Litteralem! postea pergit: quæ sunt per allegoriam dicta: hæc enim sunt duo Testamenta, Vetus & Novum; Servile & Liberum, en-**

*sen-*

*sensum mysticum!* Præter alia etiam hoc discrimen inter hos duos sensus reperitur, quod sensus Litteralis datur in omni prorsus sententia, quin subinde plures sensus Litterales in eadem sententia: sensus verò Mysticus non inveniatur in omni prorsus sententia; quem enim sensum præter Litteralem erues ex illo Decalogi præcepto: *Diliges Dominum Deum tuum?* Porro sensus Mysticus subdividitur in Allegoricum, Anagogicum, & Tropologicum, qui respondent tribus Virtutibus Theologicis, Fidei, Spei & Charitati; nam *Allogoricus* est, quando Verba Scripturæ mediante sensu Litterali referuntur ad res *cedendas*, seu dogmata fidei: *Anagogicus*, quando referuntur ad res *sperandas*, præcipuè Cælestem gloriam: *Tropologicus*, qui etiam *Moralis* appellatur, quando referuntur ad res *agendas*, seu mores ritè formandos, quod ad Charitatem spectat.

35. Sc. 4. Sensum Litteralem, præsertim quando inquiruntur dogmata fidei, præcipuè inquirendum & attendendum esse: quamquam subinde etiam sensum Mysticum indagare & attendere deceat, quin & oporteat, non tantum ad informandos mores, sed etiam ad stabilienda fidei dogmata, scilicet tunc, quando vel ex Scriptura ipsa, vel ex Patrum & Ecclesiæ testimonio constat, sensum talem mysticum circa aliquod mysterium esse à Spiritu S. intentum. Imò ipsi Sectarij, licet alias semper clamitent, allegorias non parere firmas probationes, & Theologiam mysticam non esse argumentativam, sui immemores perpetuis ac ineptissime ad-

ductis allegorijs, ex Daniele & Apocalypsi petitis, probare nituntur, Romanum Pontificem esse Antichristum.

36. Sc. 5. Scripturam non solum propter fecunditatem suam pati varios sensus in plerisque textibus, sed etiam in *oppositos* sensus trahi solere, prout affectus vel Sectæ alicujus studium voluntatem inclinaverit, etiam circa primaria fidei Christianæ dogmata, ad salutem valde necessaria. Pro exemplo sint illa verba Mat. 26. quibus conficitur Sacramentum Evcharistiæ: *hoc est Corpus meum*, quæ licet in speciem sint admodum clara, & clariora, quam plerique alij textus Scripturæ; nihilominus illa alio modo accipiunt Lutherani, alio Calvinistæ cum Zwingliani; his enim ista verba ita significant: *hic panis significat corpus meum*: Illis verò: *in & cum hoc pane erit corpus meum*, scilicet in sumptione actuali. Quamquam Lutherani inter se non conveniant, sed jam pridem aliqui ultra ducentas dictorum verborum varias interpretationes excogitarint ad evitandam Transsubstantiationem. Catholici econtra accipiunt verba, prout jacent, in sensu proprio, & docent, Corpus Christi verè & realiter esse præsens sub speciebus panis, quamprimum hæc verba à Sacerdote legitime pronuntiantur. Tres istæ interpretationes adeò inter se pugnant, ut omnes à Spiritu S. esse manifestè repugnet. Quæstio igitur est, quinam habeant genuinum sensum horum verborum! item unde infallibiliter probare possint, se potius, quam alios, accipere hæc verba juxta mentem Christi?

sti? nisi enim *infallibiliter* constet de genuino sensu, nulla fides Divina, & ex motivo suo certissima ac firmissima, circa Mysterium Eucharistiæ elici potest, cuius tamen fides iuxta Adversarios etiam vel maximè necessaria est ad salutem.

37. Sc. 6. Lutheranos, Calvinistas &c. ne debeant agnoscere Romanum Pontificem & Ecclesiæ interpretationem, cuius jugum rebeli spiritui excusserunt, duo manifesta absurda & falsa admittente. 1. Solam Scripturam esse adequatam normam omnium credendorum, atque iudicem omnium controversiarum fidei, etiam quando lis est de ipsius Scripturæ sensu. 2. Eam esse claram & perspicuam, saltem ijs, qui sunt pii & fideles, ac attentè, devotè, & sine pravis affectibus eam legunt, item in ijs saltem rebus, quæ sunt ad salutem necessaria creditu; si tamen circa hujusmodi etiam dogmata alicubi fortè obscura sit, alibi scilicet ipsam rursus clarissimè explicare. Ita Protoparentis sui Lutheri universale nimis pronuntiatum, asserentis, *nul- lam Scripturam partem volo obscuram dici*, limitant Brentius & Jo. Gerardus Lutherani, Molinæus & Amelins Calvinista; clarè enim viderunt, in Scriptura plurimos occurrere textus obscuros, & intellectu difficiles, præsertim in Prophetis v. g. Ezech. de visione 4. animalium, Daniel. de 7. hebdomadibus, Isa. &c. Item in Psalmis, Apocalypsi, Epistolis S. Pauli &c. quis enim clarum & intellectu facilem dicat hunc textum S. Pauli 1. Cor. 15. v. 29. *quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis, si mortui omnino non resur-*

*gunt? ut quid baptizantur pro illis?* An unus potest baptizari pro altero, & quidem pro mortuo? an baptismus aliquis est salutaris Defunctis? Nonne subinde textus ipsi videntur inter se pugnare, v. g. dum David Ps. 1. v. 5. dicit: *non resurgent impij in Judicio.* & Paulus loc. cit. v. 51. *omnes quidem resurgetur, sed non omnes immutabimur?* Nunquid ipsa Scriptura, nimirum Ep. 2. S. Petri c. ult. v. 16. apertè fatetur, aliquam Scripturæ partem esse intellectu difficilem, dum de Epistolis S. Pauli, quibus tamen plurimum tribuunt Adversarij, sic ait: *in quibus sunt quedam difficulta intellectu, quæ indolli & instabiles depravant, sicut & ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem?* Certum igitur & innegabile est, Scripturam in aliquibus saltem locis obscuram & intellectu difficilem esse. Jam contra limitationes Adversariorum

Dico 1. Scriptura neque pijs, fidelibus, prædestinatis, reverenter, attentè, & sine pravo affectu legentibus clara ubique & perspicua est. Prob. 1. S. David, Apostoli, SS. Patres, Hieron. August. &c. utique fuerunt homines pii, fideles, prædestinati, attentè, devotè, & sine pravo affectu Scripturam tractantes; atqui etiam isti experti sunt difficultatem in intelligendis Scripturis, consequenter ipsis non ubique Scriptura fuit clara & perspicua: ergo. m. P. David saepe petijt lumen à DEO, ut intelligeret Scripturas, dicens Psal. 118. *revela oculo meo, & considerabo mirabilia de Lege tua. Da mihi intellectum, ut discam mandata tua.*

*INA.* Apostolis teste D. Luca c. 24. v. 45. *Christus aperuit sensum: ut intelligerent Scripturas.* SS. Patres summo cum labore conati sunt assequi Scripturæ arcana, & in suis commentarijs populo explicare, atque S. Augustinus in super ep. 119. c. 21. falsus est, se in Scripturis longè plura nescire, quàm sciat. Et quæso, cur Sæctarij tot scripserunt commentarios in S. Scripturam, si hæc omnibus pijs, fidelibus, ritè legentibus &c. per se clara & perspicua sit? illi enim, qui tales non sunt, nunquam intelligent, nec ipsis proderit legere Scripturam; ad legendos autem commentarios, verba hominum, quis adstringet? multò magis in Adversariorum principijs quis obligabit ad credendum his interpretationibus? Prob. 2. Incertum est, quinam ex ijs, qui Scripturam legunt & diversimode interpretantur, sint veri fideles, prædestinati, quinam sint magis probi, docti, magis reverenter & attentè legentes &c. ergo etiam incertum est, quinam ritè intelligant: ergo cum plures dicunt, sibi Scripturam esse claram, v.g. Lutheram, & Calvinistæ; licèt eam diversimode intelligant, imprimis saltem dicunt, quia Scriptura non potest clarè opposita docere, deinde singuli reliquos omnes sine sufficienti ratione damnant impietatis, imperitiæ, negligentia, infidelitatis, imò & (quod prorsus stultum est, & temerarium) reprobationis, cum reprobatio penitus lateat.

59. Dico 2. Neque in ijs omnibus, quæ sunt necessaria ad salutem, clara est Scriptura pijs, & devotè &c. legentibus. Prob. 1. Prorsus incertum, & in Scri-

R. P. Fichler Theol. Polemica.

ptura nullibi clarè expressum est, quinam determinatè scitu & factu necessaria sint ad salutem; assignent Adversarij ea, & locum Scripturæ, si sciatur ergo nec in rebus necessarijs ad salutem clara est, cum clarum non sit, quinam sint illæ res necessariae. Prob. 2. adducendo ex plurimis duo tantum exempla, unum ad fidem, alterum ad mores pertinens. Utrique tanquam articulum necessariò credendum consententur, Spiritum S. esse verum DEUM, tertiam in Trinitate Personam, à Patre Filioque procedentem; item parvulos rectè, utiliter, & (juxta multos) necessariò baptizari, quamvis Evcharistia non necessariò ipsis danda sit. Haud dubiè. Jam probent hæc ex claris Scripturæ verbis; ubi legunt, Spiritum S. esse verum DEUM, & Personam realiter distinctam à Patre & Filio, atque ab utroque procedere? Certè SS. Patres, qui utriusque fuerunt probi, & diligenter scrutati sunt Scripturas, ex his non potuerunt convincere erroris Macedonianos & Græcos, sed ex Verbo DEI non Scripto & auctoritate Ecclesiæ. Rursus probent contra Anabaptistas claro textu, parvulos esse baptizandos, non verò præbendam ipsis Evcharistiam, cum Scriptura eodem modo videatur loqui de Baptismo & Evcharistia, dicens: *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in Regnum DEI.* Jo. 3. v. 5. Et: *nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Jo. 6. v. 54. Imò Scriptura insinuare videtur, parvulos non esse baptizandos, dum ante baptismum requirit fidem actualem,

cujus infantes non sunt capaces; dicit enim: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*; infantes autem credere nequeunt.

40. Dico 3. Neque se ipsam clarè explicat alibi Scriptura, si alicubi loquitur obscurè circa res ad salutem necessarias. Prob. 1. In nullo loco clarè explicat, Spiritum S. esse Personam Divinam realiter à Patre & Filio distinctam, & ab utroque procedentem, parvulos bene utiliter & necessariò baptizari, & alia complura, quæ etiã juxta Adversarios sunt necessariò vel credenda vel facienda. Imò subinde textus aliquis, qui videtur esse satis clarus per se, accedente alio fit obscurior & difficilior: sic iste textus: *ego & Pater unum sumus*, multùm obscuratur per alium textum, quo idem Christus dicit: *Pater major me est*. Prob. 2. Ut unus textus explicetur per alterum, debet priùs constare certò clarè & infallibiliter, quisnam ex duobus sit clarior, & uter explicandus per alterum, an textus A. per textum B. vel vicissim textus B. per textum A. Sed de his ex Scriptura certò clarè & infallibiliter non constat, v. g. an iste textus, *Pater major me est*, explicandus sit per alterum, *ego & Pater unum sumus*. Item quisnam ex his duobus textibus: *arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus*. Rom. 3. v. 28. Et: *Factores Legis justificabuntur*. Rom. 2. v. 13. explicandus est per alterum, vel potiùs ad alterum?
41. Dico 4. Lutherani, Calvinistæ, Zwingliani, & ceteri Apostatae omnes non possunt in suis principijs sufficien-

ter probare genuinum sensum Scripturæ S. seu quòd habeant verum sensum Scripturæ S. demonstratur 1. si possent, id possent vel ex Scriptura ipsa, vel ex Spiritu interno, & conscientia propria sensu ex neutro capite possunt: ergo. M. est Adversariorum, qui contendunt, vel solam Scripturam ( seu DEUM præcisè in Scriptura loquentem ) vel unã cum Spiritu interno, seu conscientia propria sensu, esse judicem controversiarum, unicam credendorum normam, & optimam interpretem sensus Scripturæ. m. quoad primum membrum probatur evidenter 1. Scriptura in multis locis, etiã circa res ad salutem necessarias, est obscura: ergo ex ipsa sola non potest sufficienter probari genuinus Scripturæ sensus. Etiam si centies interrogaveris Scripturam, semper eadem tibi verba obscura & ambigua interpretationis dabit, neque clarè suum tibi sensum aperiet, neque infallibiliter certum reddet. Dicite, quaeso, unde certi sitis, quòd hæc verba Christi, Evcharistiam instituentis, *accipite & comedite; bibite ex hoc omnes*. Mat. 26. contineant præceptum: nullum verò præceptum contineant ista Jo. 13. *Et vos debetis alter alterius lavare pedes?* cum tamen verbum *debetis* ex sua institutione longè expressiùs significet præceptum, quam verba *comedite, bibite*, quæ ex se abstrahunt, an sint invitantis, vel rogantis, vel suadentis, vel præcipientis. Ex Scriptura itaque sola non potest certò cognosci, an non necessarium sit lavare pedes antè Evcharistia sumptionem &c. Prob. 2. Ineptum & in nulla Republica usitatum est

Legum

Legum Codicem constituere Judicem, præsertim quando lis est de ipso Codice ritè intelligendo : sed in Republica Ecclesiastica Scriptura S. est legum Divinarum & fidei Dogmatum Codex: ergo non potest simul constitui Judex, præsertim quando lis est de ipso sensu Scripturæ, Legum, & Dogmatum Divinorum.

Alterum membrum, quod nempe nec Spiritus internus unà cum Scriptura sufficiens sit ad infallibiliter cognoscendum genuinum Scripturæ sensum, pariter probatur evidenter 1. Spiritus internus Adversariorum est spiritus privatus, seu privatorum hominum: atqui omnis spiritus privatus, seu privatum judicium, potest falli & fallere; præsertim cum ipsi dicant, etiam spiritum publicum seu judicium totius Ecclesiæ posse errare: ergo. 2. Spiritus internus privatorum hominum non est Divinus, cum id ex nullo capite infallibiliter probari possit, imò oppositum constet, quia diversis dicat diversa & contradictoria: ergo est humanus: atqui omnis spiritus humanus, sicut omnis homo, est mendax, fallibilis, & errori obnoxius, ut ipsimet semper clamitant: ergo. 3. æquè incertum ac dubium est, an ille spiritus & testimonium internum sit à DEO interiùs docente, quàm incertum ac dubium est, an hic vel ille sit sensus Scripturæ à DEO intentus: ergo existo interno spiritu nihil certi potest innotescere. 4. Iste spiritus internus non est aptus ad componendam controversiam de sensu Scripturæ: ergo non potest esse legitimus judex. A. P. qui

R. P. Pichler Theol. Polemica.

libet ex Partibus litigantibus æquali jure dicere potest, se experiri in se testimonium Spiritus S. sicut v. g. Lutherani dicunt, Spiritum S. interiùs sibi dicere, quòd per verba ista, *hoc est Corpus meum*, significetur realis præsentia Corporis Christi unà cum pane in Eucharistia, ita Calvinistæ & Zwingliani possunt dicere, Spiritum S. interiùs sibi dicere, quòd non significetur realis præsentia, sed solum figurata, & in signo. Catholici verò possunt dicere eodem jure, Spiritum S. interiùs sibi dicere, quòd significetur realis præsentia sine panis substantia &c. Quomodo igitur Lutherani, vel Calvinistæ, convincant suos Adversarios aliter sentientes? Si dicant, se inde convincere, quia ipsi sunt verè fideles, quos Spiritus S. docet; cur idem non possunt dicere ceteri? deinde redit quæstio, unde probent, se esse verè fideles? quippe nemo verè fidelis est, nisi qui ritè intelligit Scripturam: de hoc autem est quæstio: ergo dicendo, se esse verè fideles, dant pro responsione, quod vel maximè est in quæstione. Si dicant, se inde convincere ceteros, quia ipsi sunt prædestinati, non autem ceteri, tunc asserunt aliquid pro argumento, quod in hac vita est profus absconditum, & quod ceteri omnes æquali jure possunt dicere, asserendo, se interiùs experiri Spiritum S. sibi revelantem, quòd sint prædestinati. Si replicent, se diligenter priùs orasse DEUM, qui non est tam crudelis, ut neget *Spiritum bonum petentibus se*, item se attentè & nullò judicìo fascinatos &c. legisse Scripturam: sed quomodo probant hoc?

O 2

hoc? an non id ipsum possunt dicere omnes reliqui? Adde, quod spiritus internus non possit percipi ab utraque Parte litigante, sed tantum ab una, quae illum experitur; & quod nulla prorsus polleat auctoritate in Partes litigantes, cum privatus in privatum non habeat potestatem: quomodo ergo poterit esse iudex legitimus de sensu Scripturae? Prob. denique 5. In nulla Republica Civili rite constituta unquam permittitur legum humanarum & compositio litium: ergo multo minus in Republica Ecclesiastica debet permitti iudicio privatorum hominum interpretatio legum Divinarum, & compositio controversiarum, quae de ijs oriuntur. Quislo quid fieret, si furibus daretur potestas interpretandi leges Caesareas? Certè simplex foret, qui non benigna interpretatione collum suum eximeret laqueo.

42. Demonstratur 2. à posteriori. Adversarij jam saepius aperte errarunt in intelligendis Scripturis: ergo possunt adhuc errare: ergo nunquam sunt infallibiliter certi de genuino scripture sensu. A. P. ab inductione: Lutherus to. 2. Jen. f. 440. dicit, sensum horum verborum, *fac hoc, esse, crede hoc*, & to. 43. Witt. f. 143. in Pl. 5. hanc interpretandi regulam ponit: *ubi Scriptura mandat, ut fiant bona opera, sic intelligas, quod prohibeat, ne facias opera bona, cum non sit in tua potestate opera bona facere.* Calvinus, uti & Adversarij passim, etiam ex Lutheranis, dicunt, illa verba Christi Mat. 19. v. 17. *Si vis ad vitam*

*ingredi, serva mandata*, non seriò, sed ironicè esse dicta, adeoque in opposito sensu intelligenda. Taceo alias manifestè ineptas & falsas interpretationes, cum ex his jam satis pateat, quòd meritò suspecte sint Novatorum glossae, & nullatenus infallibilem certitudinem de genuino Scripturae sensu pariunt, aut parere possunt.

Confirmatur. Notum ubique & certum est, quod Zwinglius, inter primos Lutheri Sectatores non ultimus, mox autem ex discipulo novus Magister, in multis Lutherò contrarius, de se ipso narrat in libello, quem inscripsit, *substitutum de Eucharistia*. Cum enim in sua opinione circa Eucharistiam ad Sacramentarios accederet, & à Scriba quodam Tigurensi adhuc Catholico multum & moleste impugnetur, dicit, sibi in somno visum esse monitorem, is tamen *ater fuerit, an albus* (verba ipsius sunt) se non meminisse. Zwingliani quidem absolute pronuntiant, hunc suggestorem fuisse album, seu bonum Angelum, alij tamen meliore jure contenti fuisse nigrum, seu malum daemone. Id evidens est ex relatione ipsius Zwinglij, quòd ipsèmet dubitaverit; consequenter haerit dubius, an sua doctrina de Eucharistia sibi à bono vel malo genio inspirata sit. Si Zwinglius dubitavit, à quo Spiritu doctrinam suam acceperit, etiam Zwinglianos, qui eam à Zwinglio hauserunt, dubitare necesse est, & consequenter an illorum verborum, *est enim Phasè (hoc est transiens) Domini*. Exod. 12. v. 11. interpretatio sit legitima, ex quibus Zwinglius probat



dat suggerente illo Spiritu, in verbis consecrationis Eucharistiae, *hoc est Corpus meum*, tō est sumi pro significat, sicut in allegato textu, *est enim panis Domini*, tō est sumitur pro significat. Quomodo igitur Zwingliani poterunt infallibiliter certos se dicere de genuino Scripturæ sensu circa Eucharistiam, ferè præcipuum suum dogma, in quo ab alijs dissentiant?

43. Ob. 1. Scriptura S. dicitur Lux, Lumen, Lucerna. v. g. Psal. 118. *lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*: ergo est clara & dilucida. R. D. A. Scriptura ritè declarata & intellecta est lucerna, lumen &c. C. A. antequam ritè declararetur & intelligatur. N. A. & C. Est igitur quidem lux, quæ illuminat, non tamen nisi ponatur in candelabro Ecclesiae, eam legitima auctoritate declarantis: id quod ipse David ps. cit. v. 130. insinuavit dicens: *declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis*. Res ferè se habet eodem modo, quo Logica dici potest obscura & clara: obscura est, antequam illius Regula à perito magistro declarentur, & capiantur à discipulo: clara autem, ita ut recte appelletur fax aliarum scientiarum, postquam ritè explicata & intellecta est. Sic Scriptura ritè declarata & intellecta illuminat, docet, & dirigit optimè nos & nostras actiones, quamvis, antequam declaretur, in multis obscura sit.

44. Vergebis. S. Paulus 2. Cor. 4. ait: *quod si etiam opertum est Evangelium; in ijs, qui pereunt, est opertum: in quibus DEUS huius saeculi excaecavit*

*mentes infidelium &c.* Ergo Scriptura non omnibus, sed solum reprobis & infidelibus obscura est. 2. Scriptura in Veteri Testamento erat quidem liber signatus, in Novo autem est liber apertus, quia *Agnus occisus aperuit librum*. Apoc. 5. ergo post Adventum Messiae Scriptura est aperta & clara. R. ad 1. C. textum. N. C. ratio negandi est 1. quia Paulus non loquitur determinatè de Evangelio scripto, sed potius de *predicatio* ore tenus; subiungit enim: *non enim nosmetipsos predicavimus, sed Jesum Christum*: cur igitur ad Evangelium scriptum, imò ad totam Scripturam, detorquent Adversarij verba Pauli? 2. quia Paulus ibi non loquitur de omnibus Mysterijs necessariò credendis, sed solum de Christo & Passione ejus; præter quos articulos utique etiam alij sunt necessarii ad salutem, uti de Spiritu S. de Eucharistia &c. in quibus Scripturam etiam Fidelibus & Prædestinatis obscuram esse factis monstravimus suprâ. Adde, quòd Evangelium totum, & ab omnibus Evangelistis, tunc nondum fuerit conscriptum, quando Paulus hæc scripsit. 3. quia Paulus loquitur de ijs, qui malitiosè non audiunt Evangelium, ac proprijs peccatis & à diabolo excaecati aures suas & oculos ocludunt, ne videant veritatem, quales erant quidam ex ijs, quibus prædicabat Paulus: cæteris autem infidelibus, qui applicabant animum, non magis opertum erat Evangelium, quàm Fidelibus. Ratio autem à priori, quòd Scriptura sit in multis locis obscura, potest esse tura mysteriorum; quæ in Scripturis com-

Q. 3. pre-

prehenduntur, sublimitas, tum stylus & modus, quo proponuntur; cum multa occurrant verba ambigua, phrasæ Hebræis & Græcis propriæ, figuratæ orationes, nimirum tropi, allegoriæ, hyperbata &c. Ad 2. Scriptura in Novo Testamento ideo dicitur liber apertus, quia nunc aperta & impleta sunt mysteria ac figura Veteris Testamenti, non quòd omnis obscuritas sit adempta Scriptura, ut vel ex allegatis textibus, quibus Adversarij Scripturæ claritatem probare nituntur, satis etiam colligitur. Minime enim clarum est, quid S. Joannes intelligat per librum signatum & apertum, & Paulus per Evangelium &c. An totum, an partem, an scriptum, vel verbo prædicatum, an solum Evangelium, vel etiam epistolas & alias Scripturæ partes &c.

45. Ob. 2. Si Scriptura esset obscura, videretur DEUS studio voluisse decipere homines, cum talem modum loquendi adhiberet, quem sciebat ab eis non facile intelligi posse: sed hoc vel cogitare impium, & eloqui blasphemum est: ergo. R. 1. retorq. argum. in illis Scripturæ partibus, quas ipsimet Adversarij non negant obscuras esse & difficiles intellectu, uti sunt Prophetiæ, Psalmi, Apocalypsis &c. Item in Veteri Testamento, quod fuit solum Umbra respectu Novi; atque in parabolis Evangelicis, quarum explicatio & sensus non ubique est obvius. An DEUS & Christus in his voluerunt nos studio decipere? R. 2. DEO & Christo utique fuit liberum nobis hoc vel alio modo, magis vel minus clarè, loqui in Scripturis; præsertim cum in ipsa Scriptura sufficien-

ter nobis indicaverit modum & viam ritè intelligendi Scripturam, jubendo nos audire Ecclesiam & Ecclesiæ Prælatos: *labia Sacerdotis custodiens scientiam, & legem ex ore ejus requirent.* Malach. 2. *qui vos audit, me audit.* Luc. 10. *qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Mat. 18.

Dices. Nulla est ratio, cur Deus obscure potius quam clarè nobis loquatur in Scripturis: ergo. R. N. A. Præcipua ratio nobis esse debet ipsius adoranda voluntas & sanctissimum beneplacitum. Dein etiam sequentes non malè assignantur. 1. ut in Ecclesia servetur ordo inter Doctores & Discipulos, inter Presbyteros & Laicos, juxta illud Pauli: *nunquid omnes Doctores? nunquid omnes interpretantur?* Viderint Adversarij, an hoc Pauli monitum sequantur, cum apud ipsos quilibet caupo, sutor, & sartor, imò & muliercula garriant multa de Scripturis, & suam sententiam in controversijs fidei interponere non erubescant, arrogantes sibi protervè donum interpretandi, & suum sensum præferentes suis præconibus & integris Ministerijs. Quod quidem ipsis permittere debent Prædicantes, si suis principijs velint insistere, sed tamen simul cultrum præbent ad sese jugulandos. Quid enim opus est Doctoribus, Magistris, Pastoribus, Præconibus, Specialibus, Superintendentibus, & integro Ministerio, ut vocant, Ecclesiastico, si quilibet docere se ipsum, & interpretari Scripturas possit, nec suam mentem suis Pastoribus conformare teneatur? Quid tantis sumptibus aluntur tot Præcones cum appendicibus suis?

ARTI-

## ARTICULUS II.

## De Verbo DEI non Scripto.

## SUMMARIUM.

1. Verbum DEI non scriptum sunt Traditiones Divinae & Apostolicae.
2. Divinae proveniunt à DEO & Christo: Apostolicae ab Apostolis primitivis: Ecclesiasticae sunt consuetudines & ritus ab Ecclesia introducti.
3. Aliae Traditiones ratione materiae sunt Doctrinales, aliae autem Morales.
4. Unde dignosci possit, an aliqua Traditio sit Divina, Apostolica, aut Ecclesiastica, Doctrinalis vel Moralis.
5. Divina & Apostolica, si existant, sunt ejusdem auctoritatis, cujus sunt sacra Littera.
6. Existere tales, & necessario admittendas esse, ostenditur.
7. Et ipsi Aversarij re ipsa admittunt multas, tam circa res credendas, quam faciendas.
8. Quam faciendas.
9. In Lege Naturae tota Fides, & in Lege Scripta saltem ex parte nitetur Verbo DEI non scripto seu Traditionibus.
10. Ipsa Scriptura utriusque Testamenti commendat Traditiones.
11. Eisdem supponunt & docent generalia Concilia.
12. Ac adstruunt Patres Graeci & Latini,
13. Ut tamen Traditio sit certa credendorum vel faciendorum regula, debet de ea certo ac infallibiliter constare, quod sit Divina &c. aliunde autem id infallibiliter constare nequit, nisi ex Auctoritate Ecclesiae.
14. Unde falsum est, nihil esse credendum aut faciendum sub obligatione, nisi explicitè & particulatim in Scripturis expressum vel praeceptum sit.
15. Aut nisi ex Scriptura per claram, necessariam, aut pronam consequentiam deductum.
16. Cur Aversarij tantopere oderint Traditiones seu Verbum DEI non scriptum.
17. Per Ecclesiam nobis clarior loquitur DEUS quam per Scripturam.
18. 19. Catholici facillimè, optimè, & infallibiliter probant Existentiam, Canonem, Veritatem, Puritatem, & Sensum Scripturae S. ex Verbo DEI non scripto, seu ex Traditione, vel declaratione Ecclesiae.
20. Nam Traditiones non sunt verbum hominum, nisi instrumentaliter tantum, sicut ipse Scripturae.
21. Scriptura S. etsi non sit aequa regula omnium credendorum, pro-

- propterea tamen non est manca & imperfecta.
22. Injuria fit Catholicis, dum eos vilipendere & contemnere Scripturam mentiuntur Tradicantes.
23. Ad Providentiam DEI spectat, ut Traditiones serventur incorrupta, sicut ad eandem spectat incorruptas servari SS. Litteras.
24. Scriptura non rejicit Traditiones veras, sed solum spurias, mere humanas, & repugnantes mandatis DEI.
25. Nec eas rejiciunt Patres.
26. Ecclesia docendo nos de Scriptura & genuino ejus sensu non tribuit auctoritatem SS. Litteris, neque se extollit supra Scripturam, sed supra judicium hominum privatorum auctoritatem à DEO ipsi datam exercet.
27. Male, imprudenter, & cum ingenti suo & suorum præjudicio aliqui ex Protestantibus admittunt aliquas Traditiones rejectis cæteris, quas eadem Ecclesia custodit & proponit.
28. Ratiocinium irrefragabile, & Adversarij gulam frangens, deducitur ex disputatis.

## §. I.

## Necessario admitti debet Verbum DEI non Scriptum seu Traditum.

1. Sciendum 1. per Verbum DEI non scriptum ordinariè intelligi Traditiones Divinas & Apostolicas, quas Ecclesia custodit & fidelibus proponit. Quamquam sensus & vox Ecclesie, declarantis ac definiensis aliquem fidei articulum, in Scripturis non clarè contentum, etiam rectè vocetur Verbum DEI non scriptum, vel Traditio Ecclesie. Appellatur hoc DEI Verbum Traditio ideo, quia non per Scripturam, sed quasi per manus ab uno traditur alteri, & de aure in aurem transit per continuam narrationem, aut famam communem: Verbum DEI scriptum in charta, non scriptum verò in cordibus fidelium asservatur. Cæterum ad Traditionem seu Verbum DEI non scriptum non requiritur, ut sit doctrina nullibi scripta, etiam in Concilijs, Patrum monumentis, Historijs, & alijs libris Ecclesiasticis, in quibus utique pleræque traditiones consignatæ reperiuntur; sed hoc tantum requiritur, ut non sit scripta in aliquo libro Canonico S. Scriptura.
2. Sc. 2. Traditiones ab Auctore alias dici Divinas, alias Apostolicas, & alias Ecclesiasticas. Divinae sunt, quæ ab ipso DEO vel Christo proveniunt, quales sunt, quas habemus de materia & forma Sacramentorum, quæ in SS. Litteris non sunt clarè expressæ, institui autem à nemine nisi à solo DEO aut Christo potuerunt. Apostolicæ sunt, quæ proveniunt ab Apostolis, non tamen sine assistentia Spiritus S. eos dirigentis, nobis aliqua relinquentibus non scripta; veluti ab eodem Spiritu S. directi reli-

querunt nobis Scripturas Sacras à se exaratas, item jejunium Quadragesimale, jejunium quatuor temporum &c. Hæ Traditiones Divinæ & Apostolicæ non rarò confunduntur, & sunt ejusdem auctoritatis infallibilis; sicut ipsa Scriptura S. subinde vocatur Divina; & subinde Apostolica. Præterea tam Divinæ quam Apostolicæ Traditiones nonnunquam appellantur Traditiones Ecclesiæ, non quòd ab Ecclesiâ ortæ sint, sed quòd ab Ecclesiâ conserventur, & nobis infallibili auctoritate proponantur. Præter enim *Ecclesiastica* Traditiones Morales, seu Traditiones Ecclesiæ, nihil aliud sunt, quàm consuetudines quædam & ritus antiqui ab Ecclesiâ introducti, scilicet vel à Prælati, vel à pòpulo consentientibus Prælati, vel ab utrisque simul, & paulatim tacito eorum consensu vim Legis obtinuerunt; quales sunt jejunium Sabbathinum, recitatio Breviarij &c. Has Traditiones Ecclesiasticas, inter quas numerat omnia Ecclesiæ præcepta, identidem arrodit Augustana Confessio, atque vocat præcepta, traditiones, & observationes *Humanas*, easque culpat tanquam Libertati Evangelicæ contrarias. Easdem quoque omnes Lutherani & Calvinistæ averfantur, utique quia carni inimicæ. Verùm de his non est hic differendi locus, sed de illis tantum, quæ ad fidem pertinent tanquam revelatio Divina, docens, quæ credenda, vel facienda sint ex revelatione vel præcepto Divino aut Apostolico, aut etiam ex definitione Ecclesiæ; quia & hujusmodi definitio-

R. P. Pishler Theol. Polemica.

nes rectè vocantur Verbum DEI non-scriptum.

Sc. 3. Traditiones à *Materia* ulterius dividi in Doctrinales & Morales. *Doctrinales* vocantur, quæ ad fidem, & dogmata credenda spectant v. g. quòd sint quatuor Evangelia, quòd B. Virgo MARIA etiam post partum permanferit Virgo &c. *Morales*, quæ ad mores pertinent, & ad actiones faciendas v. g. quòd signum Crucis formandum sit in fronte, quòd certis diebus jejunia & quædam festa sint celebranda &c.

Sc. 4. Ut constet, an aliqua Traditio sit Divina, vel Apostolica, vel Ecclesiastica, aut Doctrinalis vel Moralis, sequentes regulas esse observandas. 1. Quando Ecclesiâ Universâ aliquid recipit ut *dogma fidei*, creditque ab Apostolis ad nos usque pervenisse, cense-ri debet Traditio Divina vel Apostolica Doctrinalis. Ratio est, quia illud, quod totius Ecclesiæ, quæ in rebus fidei errare non potest (ut alibi ostenditur) sensus & judicium satis docet, aut credit fide Divina, utique à DEO profectum, & vel per Prophetas vel per Apostolos nobis est revelatum; cum nihil possit credi fide Divina, quod non est Divinitus revelatum: talis traditio est esse septem Sacramenta. 2. Quando Ecclesiâ aliquid *facit & observat*, quod nemo constituere potuit, nisi solus Deus aut Christus, cense-ri debet Traditio Divina Moralis per Apostolos delata ad nos; talis est praxis baptizandi parvulos. 3. Quando Ecclesiâ aliquid *facit & observat* ab omnibus retro temporibus, ita ut initium talis praxeos

non sciatur, licet absolute institui potuisset ab Ecclesia, tamen censenda est Traditio Apostolica Moralis; talis est jejunium Quadragesimale. 4. Quando constat, aliquid primum post tempora Apostolorum vel à Concilijs, vel à Prælati, vel his consentientibus à populo esse introductum, est traditio Ecclesiastica; quæ potest esse duplex, *Necessaria*, quæ scilicet traditur per modum præcepti obligantis, uti certa festa, celebratio Pasche die Dominico post decimam quartam Lunam Martij; & *Libera*, quæ traditur per modum consilij sine ulla obligatione, uti est asperio aquæ lustralis &c. Ex quibus patet calumnia, quam quidam tum Lutherani tum Calvinistæ Catholicis impingunt, dum dicunt, apud nos non esse ceremoniam, quam non habeamus pro *Traditione Apostolica*, alij contra asserunt, nos niti unice Traditionibus *merè humanis*; siquidem nec Divinæ, nec Apostolicæ, nec Ecclesiasticæ Traditiones sunt *merè humane*, sed majoris auctoritatis, utpote profectæ vel à DEO, vel ab Apostolis immediate, vel ab Ecclesia infallibiliter directæ à Spiritu S.

Sc. 5. Supposito, quod Traditiones Divinæ & Apostolicæ dentur, non posse vel ab Adversarijs prudenter negari, eas esse ejusdem auctoritatis, cuius sunt SS. Litteæ, adeoque fundare assensum fidei firmissimum, ac esse regulam credendorum non minus, ac illas. Ratio est clara; quia Verbum DEI manet Verbum DEI, sive scriptum sit, sive traditum, sive quocunque alio modo nobis intimatum, quod ipsi est

per accidens; utique enim non minus infallibile fuit testimonium DEI, dum in monte Thabor sensibili voce testatus est Divinitatem Christi, quam dum Moyfi Legem dedit lapideis incisam tabulis. Quæstio igitur in eo versatur, an defacto præter DEI Verbum scriptum etiam detur aliud non scriptum, atque de eo ita constet, ut prudenter dubitari nequeat, quin sit Verbum DEI, & mereatur assensum firmissimum non minus, ac S. Scriptura. Lutherani, Calvinistæ &c. negant cum Eutychete, Nestorio, Eunomianis, Pelagianis, Manichæis, Donatistis &c. antiquis Hæreticis, qui teste Basilio M. & Basilio Ancyano, Augustino, & alijs Patribus solam scripturam admittere volebant pro regula credendorum, rejectis Traditionibus. Nos Catholici affirmavimus semper, & adhuc affirmamus, assentes, hos Hæreticos similes fuisse illis, qui uno pede conarentur ambulare, vel unâ alâ volare per aëra. Quod ut demonstrum,

Dico 1. Necessariò admittendum est Verbum DEI non scriptum, seu Traditio, eandem habens auctoritatem cum Verbo DEI scripto. Probatum ad hominem evidenter 1. Non potest ex solo Verbo DEI scripto seu ex Scriptura sola nobis certò & infallibiliter innotescere 1. quòd detur aliqua Scriptura S. 2. quænam sit illa, & quibus libris comprehensa. 3. quæ sit legitima Versio Bibliorum. 4. An Biblia sint incorrupta circa res fidei. 5. Quomodo intelligenda, & quisnam sit genuinus Scripturæ sensus, uti hætenus demonstravimus: ergo necessariò admittendum est

est aliud DEI Verbum præter scriptum, scilicet non scriptum, seu Traditio Divinam & infallibilem habens auctoritatem, propter quam & ex qua certi sumus de 5. memoratis punctis; aliàs enim, nisi de his certò & infallibiliter nobis constet per Revelationem Divinam nobis intimatam, nunquam potest elici fides Divina, infallibiliter certa, & firmissima de ullo articulo.

7. Probatur 2. Ipsimet Lutherani & Calvinistæ &c. multa credunt, & necessariò credenda iudicant, quæ tamen in Verbo DEI scripto non sunt clarè, particularim, & distinctè expressa: ergo necessariò admittendum est Verbum DEI non-scriptum ab ipsismet; quidquid enim creditur, credi debet propter aliquam Revelationem Divinam, seu propter aliquod Verbum DEI, nobis sufficienter propositum: aliàs enim non esset fides Divina, sed merè humana. A. P. Lutherani & Calvinistæ &c. credunt, & necessariò credendum existimant 1. tres esse Personas in Deitate, contra Sabellianos. 2. Divinitatem Christi & æqualitatem eum Patre, contra Arianos. 3. Processionem Spiritus S. à Patre & Filio, ejusque Divinitatem, contra Macedonianos. 4. Unam Personam in Christo, contra Nestorianos. 5. Duas tamen Naturas in eodem Christo, Divinam & Humanam, sine transfusione, contra Euty-chianos. 6. Perpetuam Virginitatem B. V. Mariæ, contra Helvidium &c. Sed hæc & similia clarè, particularim, & distinctè non sunt expressa in Verbo DEI scripto, seu in Scriptura; ubi enim?

R. P. Pichler Theol. Polemica,

rè & per pronam consequentiam deducuntur ex Scriptura; agite enim & adducite textum, ex quo contra Sabellianos clarè inferatur Trinitas Personarum & unitas Naturæ in DEO, cujusmodi DEUM unum & Trinum Sabelliani dicunt chimericum.

An fortè id evincere vos putatis ex illo S. Joannis: *Tres sunt, qui testimonium dant in celo: Pater, Verbum, & Spiritus S. & hi tres unum sunt?* 1. Jo. 5. v. 7. clariorem enim textum in tota Scriptura non invenietis. At imprimis iste textus à Luthero in suis Biblijs expunctus est, & pro Verbo DEI non agnitus. Deinde excipient Sabelliani 1. tres quidem esse, non tamen realiter, sed tantum ratione nostra distinctos, & tantum diversa nomina ejusdem DEI propter diversas operationes, sicuti anima rationalis propter diversas operationes sortitur diversa nomina, & intellectus, voluntas, & memoria nuncupatur, quæ tamen tres potentia secundum id, quod important in Recto, juxta meliorem Philosophiam non distinguuntur inter se realiter, ut loquimur, sed tantum ratione nostra, seu secundum nostrum concipiendi modum. 2. Si hi tres unum sunt unitate & identitate reali in Natura, necessariò etiam sunt unum in Personis, est enim imperceptibile, quòd eadem res identificetur cum tribus realiter distinctis: quippe quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt idem inter se. 3. Si tres sunt Personæ, tres pariter erunt Naturæ Divinæ, sicut à posteriori nobis patet, ubi tres sunt personæ humanæ, ibi etiam tres esse naturas humanas realiter di-

P 2 tin-

distinctas; & tamen possunt esse unum, scilicet unitate morali per consensionem voluntatum. 4. S. Joannes citato textui immediatè subjungit hæc verba v. 8. *Tres sunt, qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt.* An etiam inferetis, spiritum, aquam, & sanguinem esse unum unitate reali naturæ, subsistere tamen in tribus realiter distinctis subsistentijs, sicut inferetis de Patre, Verbo, & Spiritu S. ? Taceo plures alias exceptiones, quas Sabelliani opponere possunt, ut aded neque per claram & pronam consequentiam ex Scriptura (sine auctoritate & Traditione Ecclesiæ interpretantis, seu sine Verbo DEI non Scripto) deduci possit Mysterium SS. Trinitatis, qui tamen articulus etiam apud Adversarios præcipuus est & fundamentalis. Idem possunt facere alij Hæretici contra alios suprà recitatos fidei articulos, quos Lutherani & Calvinistæ credunt.

8. Quod hætenus dictum est de rebus *credendis*, quæ non alio modo infallibiliter innotescunt nisi per Traditiones *doctrinales*, facillè extenditur etiam ad res *faciendas*, quæ aliunde non sufficienter innotescunt nisi per Traditiones *Morales*: quod sic ostenditur. Lutherani & Calvinistæ &c. 1. baptizant parvulos, & baptismum non repetunt. 2. Evcharistiam non dant parvulis, apud adultos autem eandem repetunt. 3. Evcharistiam sub utraque specie distribuunt. 4. comedunt de animalibus suffocatis, & sarcinina ex sanguine. 5. non Sabbathum, sed diem Dominicam cele-

brant. 6. formam, seu verba, quibus conficitur Baptismus & Evcharistia, pronuntiant ore tenus, & non tantum mente cogitant. Hæc & similia faciunt & observant, & tamen in Scriptura clarè, determinatè, & particulatim non sunt expressa, nec inde per claram & pronam consequentiam deducuntur. Imò in Scripturis subinde videtur contrarium præcipi, uti ut abstineant à *suffocato & sanguine* Act. 15, ut observent diem Sabbathi Exod. 20. ut communionem dent parvulis Jo. 6. *nisi manducaveritis &c.*

9. Prob. 3. à pari. In *Lege Natura*, quæ ab Adamo usque ad Moysen, item in *Lege Scripta*, quæ à Moysè usque ad Christum duravit, Verbum DEI non scriptum necessariò fuit admittendum: ergo & in *Lege Gratia* post Christum admitti necesse est, saltem non inconveniens. A. quoad *Legem Naturæ* est certum, quia tunc nullum prorsus existit Verbum DEI scriptum, & Moyses cepit primus Scripturæ libros exarare. Quoad *Legem Scriptam* facillè probatur, quia 1. sine Traditione seu Verbo DEI non scripto non poterant Judæi infallibiliter cognoscere, an & quinam libri essent verè Divini, seu Scriptura S. 2. Sine eodem non poterant scire, quale remedium contra peccatum originale apud semellas fuerit adhibendum. 3. sine Verbo DEI non scripto pariter ignorassent, quòd cruenta ipsorum Sacrificia significaverint mortem Christi, & propter hanc significationem conduxerint ad remittenda peccata, nimirum ex virtute illius, cujus mor-



mortem & Passionem significabant hæc sacrificia. Et hæ Traditiones in Lege Mosæica fuerunt præcipuæ, atque seculi (si non omnibus explicite, saltem Sacerdotibus & Doctoribus) necessariæ confirmatur ex consuetudine omnium gentium, quarum Respublica partim scriptis partim non scriptis gubernari legibus semper consueverunt. Hinc & Jura (Civile & Canonicum) Consuetudini parem cum scriptis legibus auctoritatem tribuunt.

10. Prob. 4. ex ipsa S. Scriptura utriusque Testamenti. Moyses remisit Judæos ad Traditiones Majorum dicens: *memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas, interroga patrem tuum, & enuntiabit tibi, Majores tuos, & dicent tibi.* Deut. 32. v. 7. Paulus 2. Thessal. 2. ita monet: *scire & tenere Traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram.* Notetur disiunctiva particula *sive*, per quam Paulus clarè distinguit sermonem ab epistola, doctrinam ipsius æquè non scriptam, ac scriptam, se communicasse inuenit. Confirmatur: manus primarium Apostolorum fuit *predicare* Verbum DEI, & hoc jussu tunc à Christo, non autem scribere, quod fuit tantum secundarium & arbitrium, nec absolute necessarium; nunquam enim Christus ad Apostolos dixit: *Scribite Evangelium, epistolas &c.* sed: *predicate* Evangelium omni creaturæ. Marc. 16. Certè si Apostoli fuissent jussi predicare & promulgare Evangelium *scriptis*, plerique detulissent suo officio, quia nihil reliquerunt scriptis; imò, cum nullus ex

Evangelistis integram doctrinæ Christi seriem pertexat, etiam hi redargui possent alicujus negligentia in suo munere. Unde gratis & frivole dicitur ab Adversarijs, Apostolos postea scriptis omnia comprehendisse, quæ prius docuerant sermone. Dein quis scriptis nobis reliquit ea omnia, quæ Christus post Resurrectionem suam manifestavit discipulis suis, *per dies quadraginta apprensus eis, & loquens de regno DEI?* Act. 1. hoc est, de Ecclesia, ejusque gubernatione, Sacramentis &c. Ubi scriptis comprehenditur in SS. Litteris Symbolum Apostolorum sub illa verborum formula, sub qua etiam Adversarij recipiunt, & necessariò credendum asserunt? uti nominatim in Catechismo Tigurino asseritur anno 1529. & in Summaria Instruct. a. 4. Ubi scriptum legitur, hoc Symbolum ab Apostolis fuisse collectum, & compositum?

11. Prob. 5. ex Concilijs Generalibus. Nicænum I. ex Traditione damnavit hæresim Arii, ut disertè testatur Theodoretus l. 1. histor. c. 8. Nicænum II. act. 2. & 6. venerationem imaginum stabilivit ex Traditione Apostolica, & act. 7. sic definivit: *siquis Traditionem Ecclesie, sive scripto sive consuetudine valentem, non curaverit, anathema sit.* Quid ad hoc fulmen Lutherani & Calvinista, à Primitiva Ecclesia, quam ab errore puram plerique fatentur, in se intortum? Conformiter antiquis Concilijs se declaravit Tridentinum sess. 4. in hunc modum: *Traditiones, tam ad fidem, quam ad mores pertinentes, tanquam*

oretenus à Christo, vel à Spiritu S. per Apostolos dictatas, pari pietatis affectu ac reverentia veneratur Sacra Synodus.

12. Prob. 6. ex PP. tum Græcis tum Latinis, unanimiter Traditiones admittentibus. S. Basil. l. de Spiritu S. c. 27. ait: *dogmata, qua in Ecclesia prædicantur, quedam habemus è doctrina scripto prodita, quedam rursus ex Apostolorum Traditione &c. Quorum utraque parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit, quisquis sanè vel tenuiter expertus est, qua sunt iura Ecclesiastica.* Origenes in proem. l. 1. de Principijs: *servetur Ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & usque ad præsens in Ecclesijs permanens; illa sola credenda est veritas, que in nullo ab Ecclesiastica discordat Traditione.* S. Epiphanius hæresi 61. *oportet autem & Traditione uti; non enim omnia à Divina Scriptura possunt accipi.* S. August. l. 4. de baptismo c. 24. contra Donatistas: *quod universa tenet Ecclesia, nec Concilij institutum, sed semper retentum est, non nisi ab auctoritate Apostolica traditum veltissimè creditur.* Similia habent alibi frequenter, ac alij Patres passim.

13. Dico 2. Ut Traditiones sint certa fidei & morum regula (seu Verbum DEI non scriptum, obligans ad aliquid credendum vel faciendum) debet certò ac infallibiliter de ijs constare: de illis autem certò & infallibiliter constat per communem sensum, auctoritatem, vel declarationem Ecclesie. Prima pars est clara, cum fides debeat esse certif-

lima: certissima autem esse nequeat, nisi motivum infallibile cognoscatur infallibiliter: ergo. Altera pars facile probatur; quia Universalis Ecclesia propter assistentiam Spiritus S. sibi promissam circa res fidei & morum errare non potest, quod hic ruto supponitur, & irrefragabiliter probatur in tractatu de Ecclesia, & à me nuper in Opusculo. cui titulus, *Una & vera fides.* Alia autem sensibilis & simul infallibilis Auctoritas, ex qua sufficienter nobis constare possit, præter Ecclesiam non est assignabilis. Notandum tamen est, non semper requiri expressam & specialem definitionem Papæ vel Concilij Generalis, sed sufficere etiam tacitam & generalem declarationem Ecclesie, qua habetur vel per communem Patrum & fidelium sensum, aliquid pro fidei dogmate habentium, vel ex universali Ecclesie praxi. Ex dictis

Colligitur 1. Falsum evidenter esse illud principium Lutheranorum, Calvinistarum &c. *Nihil credendum, aut faciendum ex obligatione, nisi explicitè & particulatim in S. Scriptura expressum, aut præceptum sit.* Dico explicitè & particulatim; nam implicitè & generatim omnia in SS. Litteris contineri non malè admittitur, quatenus nimirum illæ jubent audiri Ecclesiam, & Traditiones recipi, ex quibus postmodum discendum est, quid in particulari & explicitè credere vel facere oporteat. Quamvis hoc cotollarium sufficienter pateat ex dictis, confirmatur tamen adhuc inde, quia utique homines, quibus Evangelium prædicabatur ab Apostolis, antequam Evangelia fuerint con-

conscripta, & ceterilibri Novi Testamenti, tenebantur & poterant credere, etiam si nullam Scripturam prius viderint, vel legerint. Et quaso! quomodo Adversarij convertent Paganos & Gentiles obrudendo sola Biblia? certe risu erunt, & nihil efficient, uti etiam ab experientia constat. Prius igitur hujusmodi infidelibus innotescere & persuaderi debet ex notis vera Religionis, quam sit vera Religio, nimirum non alia, quam Christiana, seu Christum agnoscens, & quod vera Religionis ac Ecclesie Christiane essentia sint infallibilia, & Verbum DEI; atque sic ex isto Verbo DEI non-scripto, quod ipsis reddi potest evidenter credibile & credendum, primum eò permoveeri poterunt, ut etiam Verbum DEI scriptum seu Scripturam amplectantur, quod alias nunquam serio facient, neque prudenter possunt, nisi DEUS prodigioso & extraordinario quodam lumine id doceret interius; quod ordinariè non facit.

15. Confirmatur 2. Idem principium, etiam si ei addatur hæc cauda, *aut ex Scriptura per claram, necessariam, & pronam consequentiam deductum sit*, clarè falsum esse 1. quia Lutherani, Calvinistæ &c. multa necessariò credenda & facienda censent, uti DEUM esse unum & Trinum, parvulos esse baptizandos, & nunquam rebaptizandos &c. licet per claram & pronam consequentiam deduci hæc non possint ex Scriptura. 2. quia consequentia, deducta ex Verbo DEI scripto, non est Verbum DEI scriptum, sicut fructus non est arbor: quod autem non est

Verbum DEI, non potest obligare ad fidem ipsi præbendam &c. 3. quia consequentia, utur videatur legitime deducta, tamen potest esse fallax, quia deducitur per rationem & intellectum humanum, qui potest falli, & in rebus Divinis constanter dicitur esse cæcus ab Adversarijs. 4. Quia ad hoc, ut aliqua consequentia legitime deducatur ex Scriptura, debet prius certò constare de legitimo sensu Scripturæ: atqui de hoc sufficienter constare Adversarijs non potest sine explicatione Ecclesie, adeoque sine Verbo DEI non-scripto: ergo debet prius admitti Verbum DEI non-scriptum: ergo falsum est principium ipsorum. 5. Quia consequentia deducta vel est Verbum Dei, vel non? si non est, falsum est, quod illud debeat credi & fieri, quod per pronam & legitimam consequentiam deducitur: si est Verbum DEI, hoc ipso admittitur Verbum DEI non-scriptum, quia consequentia ista non sunt scripta in SS. Litteris. 6. Si bonæ consequentiæ pariunt obligationem credendi & faciendi, hoc ipso debent admitti Traditiones ab Ecclesia custoditæ; quia ista pronissimè & clarissimè deducuntur ex Scriptura v. g. ex illo textu Mat. 18. *qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*, item ex illo Lucæ 10. *qui vos audit, me audit*.

Colligitur 3. quare Adversarij tantopere horreant, & extreme oderint Verbum DEI non-scriptum. Ratio enim est, quia vident, claram eò admissio suis Sectis perniciem imminere, quippe Traditio, sensus, & demum

16.

Ecclesie clarè pronuntiat, quid credendum, quid faciendum, & omnes hereses apertè detegit ac damnat. Hinc omnes Hæretici spretò Ecclesie iudiciò ad solam Scripturam se receperunt,

probè gnari, eam in varias interpretationes trahi posse, ac proinde ex Scripturæ abusu asyllum sperârunt, & ad tempus apud imperitos aut impios etiam invenerunt.

## §. II.

*Ex Verbo DEI non scripto optimè probant Catholici Existentiam, Canonem, legitimam Versionem, Puritatem, & genuinum sensum Scripturæ.*

17. **S**ciendum 1. per Verbum DEI non scriptum, ut jam dictum est, intelligi Traditiones Divinas & Apostolicas, ab Ecclesia custoditas, quin & ipsius Ecclesie communem sensum, aut definitionem, siquidem per os Ecclesie non minùs loquitur nobis DEUS infinite verax, quàm per Scripturæ voces & characteres, nec minùs firmam meretur à nobis fidem, siquid per Ecclesiam, quàm si per Scripturam aliquid revelet, cum sit profus eadem infinita Veracitatis auctoritas, fallere nescientis & falli. Imò per Ecclesiam non modò clariùs nobis loquitur quàm per Scripturam (cum hæc ab & per illam explicari debeat) verùm etiam magis nobis manifestat & immediatius, se nobis loqui Verbò non scriptò, ab Ecclesia vel custodito vel proposito, quàm Verbò scriptò, siquidem evidentioribus longè signis conspicuam reddidit Ecclesiam, quibus vera à falsis discerni possit (ut demonstrabo in Controv. seq. de Ecclesia) quàm criticis Scripturam, quibus vera & pura dignosci valeat, ejusque genuinus sensus deprehendi; cum hæc

critiria, etiam sumpta cum Spiritu interno, non sufficiant ad prædicta probanda, ut hæctenus evidenter ostensum est.

18. Sciendum 2. Supposita necessitate admittendi Verbum DEI non scriptum, quàm §. precedente satis superque demonstratam vidimus, facillimum esse Catholicis certò ac infallibiliter probare quinque illa puncta, in titulo exposita, & per consequens omnes fidei articulos, etiam in Scriptura S. comprehensos, cum sine Verbo DEI non scripto sicut de ipsa Scriptura, ita nec de genuino sensu illius (nam sensus, non nuda verba, facit articulum fidei) sufficienter, id est, infallibiliter constare possit, ita ut aliquis prudenter dicat ex merito motivi, se falli non posse, ac proinde sibi imperet *prudenter firmissimum* assensum. Unde

19. Dico. Catholici optimè & infallibiliter probant Existentiam, Canonem, Versionem, Puritatem, & sensum Scripturæ ex Verbo DEI non scripto, sive ex Traditione, vel Declaratione Ecclesie. Probatum manifestè: Verbum Dei non,

non-scriptum, quod recipiunt Catholici, omnes autem Sectarii & Hæretici rejiciunt, est infallibile, hoc ipso quod sit Verbum DEI: ergo ex illo optimè & infallibiliter Catholici probant præfata 5. puncta, circa quæ nunquam certi esse possunt Adversarij. Sed unde probant Catholici, Traditionem ab Ecclesia custoditam, vel ipsius Ecclesiæ declarationem aut sensum, esse Verbum Dei? R. ex infallibilitate Ecclesiæ veræ; hanc enim Deus (supposito, quod aliquid nobis revelaverit, & fidem prudenter firmissimam exigit) necessariò debet reddere infallibilem, ita ut, quidquid proponit Ecclesia tanquam Verbum & Revelationem Dei, etiam sit Verbum Dei. Id quod partim ex ratione contra Paganos, partim ex Scriptura contra Hæreticos (Scripturam aliunde, quam ex Ecclesiæ proponentis auctoritate admittentes) Catholici demonstrant, & ego in Controv. seq. præsertim c. 1. & c. 4. de Infallibilitate Ecclesiæ & Pontificis acturus. Veritatem autem Ecclesiæ Romanæ clarè demonstrabo ex notis seu signis, quibus Deus vocam Christi Ecclesiam adeò illustravit, ut facillimè discerni possit à falsis Sectis, imò evidentè præferenda sit: quas notas deducam in Controv. seq. c. 2. per totum. Interim pro certo habe, Verbum Dei scriptum conservari in Ecclesia incorruptum non solum secundum litteram, sed etiam secundum spiritum, & verum ipsius sensum fide Divina receptum, seu viva fide fidelium expressum, & quasi in corde. Pontifex autem ex Cathedra (seu ex officio suo Pastoralis erga

R. P. Pichier Theol. Polemicæ.

Universalem Ecclesiam) loquens non ex privato suo spiritu, sed Divino Magisterio edoctus, & ex Verbo Dei intra fidelium mentes sub viva fide propagato, præsertim in æcumenicis Concilijs, interpretatur Scripturam infallibiliter, ita tamen, ut suam auctoritatem non adæquet auctoritati Divinæ, memòr, se esse præcisè instrumentum indignum, per quod nobis loqui dignatur infallibiliter infinitæ auctoritatis Deus. Contra hujus, & simul etiam præcedentis §. doctrinam

Ob. 1. Traditiones sunt Verbum hominum, scilicet Patrum, Pontificum &c. qui sunt meri homines: ergo non sunt Verbum DEI, nec habent auctoritatem infallibilem, & parum cum Scripturis. R. 1. retorquendo argum. Scripturæ SS. sunt litteræ & characteres hominum, scilicet primitus Prophetarum & Apostolorum, postmodum describentium vel typis imprimantium, qui sunt meri homines: ergo SS. Scripturæ non sunt Verbum Dei. R. 2. aliter retorquendo: verba Præconum, quibus instruunt rudes, Biblia legendi vel intelligendi imperitos, vel cæcos, legendi incapaces &c. sunt verba hominum, & quidem privatorum hominum, quibus nulla infallibilitas promissa est (sicut tamen promissa est summo Pontifici Christi Vicario, Petri Successori, præsertim cum cæteris Prælati in Concilio Congregatis definiti) ergo non sunt Verbum Dei: ergo Prædicantibus non credendum in rebus fidei; quod omnino probat objectio; quamvis non probet apud Patres & Pontifices.

Q

fices.

fices, Christi Vicarios, quibus promissa est perpetua assistentia Spiritus S. ut Controv. sequente ostenditur. Unde R. 3. in forma N. A. vel D. sunt Verbum hominum instrumentaliter, hoc est, per homines pronuntiatum, custoditum, & ad nos tanquam per instrumenta translatum. C. A. principaliter & originaliter, hoc est, non habent Deum pro Auctore principali, aut sine revelatione & directione Divina proponuntur N. A. & C. Sicut Scriptura juxta Adversarios tantum instrumentaliter provenit ab hominibus, principaliter autem à Deo, per Scripturam nobis loquente, & ratione causæ instrumentalis, scilicet scribentium &c. dici potest humana, tamen ratione causæ principalis, nimirum DEI dictantis, & ratione objecti seu veritatis, quam proponit, est & rectè dicitur Divina, & Verbum DEI scriptum: ita etiam Traditio ratione causæ instrumentalis, scilicet hominum, per quos proponitur & propagatur, dici potest humana: at ratione causæ principalis, nempe DEI per Patres & Pontifices loquentis, & ratione objecti seu veritatis, quam proponit, est & rectè dicitur Divina, & Verbum DEI non-scriptum, fide actuali receptum & propagatum in cordibus fidelium. Et hoc Verbum DEI per os Ecclesie propositum non minoris auctoritatis esse debet, quam per Scripturam propositum: quippe Verbum DEI est Verbum DEI, sive scriptum sive traditum sit, & per accidens ipsi est, si scribatur.

21. Ob. 2. Scriptura S. est unica norma & Regula omnium credendorum: er-

go non opus est ullis Traditionibus. A. P. 1. si non esset unica regula omnium credendorum, & non omnia ad salutem necessaria complecteretur, esset manca & imperfecta: quod admitti nequit. 2. Summa totius doctrinae Christianae, ad salutem necessaria, consistit in Decalogo, Symbolo Apostolico: Oratione Dominica, & Institutione Sacramentorum: sed hæc omnia perspicuè traduntur in S. Scriptura, scilicet partim in *Lege*, partim in *Evangelio*; in *Lege* quidem traditur Decalogus, & præsertim præcepta Moralia, in *Evangelio* autem cetera: ergo. R. 1. Adversarij solam Scripturam (exclusis Traditionibus & auctoritate Ecclesie) statuendo pro unica regula omnium credendorum conspirant cum Antiquis Hereticis, Arianis, Pelagianis, Sabellianis, Nestorianis, Donatistis &c. qui solam Scripturam jactabant, quam pro libitu interpretabantur, prout ipsorum erroribus commodabat, ut facillimum foret demonstrare ex tomis Conciliorum, & Historiographis, præsertim Baronio. Et hanc ob causam Scriptura, etiam à Luthero, jam sæpius appellata est *liber Hereticorum*, quia nempe omnes ex hac suam tueri causam nitentur. Quin & ipse diabolus, Christum tentans, S. Scripturæ textibus usus & abusus est. Videant igitur, in quavis navi navigent Adversarij. R. 2. N. A. quod falsissimum esse, hætenus demonstratum est, cum nec de ipsius Scripturæ existentia, puritate, & genuino sensu, nec de alijs Mysterijs fidei, nimirum SS. Trinitatis, Processio-

no & Divinitate Spiritus S. &c. ex sola Scriptura constare possit, quia hæc in illa nec explicitè continentur, nec per pronam & legitimam consequentiam clarè deducuntur. Hoc concedo, quòd Scriptura, postquam semel de illa, & illius genuino sensu (quod tamen sine Verbo DEI non scripto fieri nequit) infallibiliter constituit, regula infallibilis sit quoad aliquos fidei articulos, in ea clarè contentos: proinde regula credendorum inadaequata dici possit. Ad probationem 1. N. sequelam; sicut enim imperfectus non dicitur homo, quia non habet alas, eò quòd Deus noluerit hominem habere alas: ita & Scriptura dici debet imperfecta, licet non omnia, nec sãdò credenda & facienda, contineat, eò quòd Deus non omnia nobis innotescere voluerit per Scripturam, sed multa per Ecclesiam, & per Verbum non scriptum, ut clarè evincitur ex nostris probationibus. Item sicut pars non ideo dicenda est aliquid imperfectam, quia non est totum: ita nec Scriptura ideo imperfecta dicitur, quia non est tota & adequata Regula omnium credendorum. Adversarij admittendo solam Scripturam pro Regula adequata videntur similes homini, qui uno pede ambulare, aut volucris, quæ unã alã volare niteretur. Ad 2. probationem Transmissã M. quam falsam esse patet ex dictis. N. m. non enim perspicuè exprimitur Mysterium Trinitatis, Baptismus parvulorum, Sacramentum & usus legitimus Eucharistiæ &c.

32. Dices. Hoc dudum merito displicuit Protestantibus, quòd Catholici  
R. P. Pichler Theol. Polemica.

ad eò vilipendant, imò & contemnant Scripturam; non enim desuerunt, qui eam vocarent omnium heresum causam, litium materiam, nasum cereum, ænigma sphingis, folia Sybillæ, regulam Lesbian & plumbeam, quæ cuivis figuræ aptari possit. R. nequaquam Catholici vilipendant aut contemnant Scripturam, sed venerantur, uti revera est, tanquam Verbum Divinum; sed hoc dicunt, eam solam non sufficere, nec certò & infallibiliter ejus sensum genuinum in multis haberi posse sine altero DEI Verbo, nimirum non-scripto. Ille non vilipendit aut contemnit epistolas S. Pauli, qui dicit, eas solas non esse totum Verbum DEI, sed dari & requiri etiam quatuor Evangelia &c. Ita nec ille, qui dicit, præter Verbum DEI scriptum dari & requiri aliud non-scriptum. Caterùm Catholici non ita nudè ipsam Scripturam hujusmodi titulis afficiunt, sed per abusum Hereticorum, Scripturam juxta suam privatum spiritum interpretantium, dicant Scripturæ affingi nasum cereum, eamque fieri causam heresum, litium materiam, regulam Lesbian &c. Siquidem res optimæ per abusum depravantur, & cedunt in perniciem, quæ per se ordinate sunt ad salutem: sic utique Sacramenta sunt res optimæ, & ad hominis salutem instituta, tamen per abusum vertuntur sæpe in majorem suscipientis indignè damnationem, ut Judæ Iscarioti contigit, Eucharistiam indignè sumentem.

Ob. 3. Quæ de aure in aurem tran-  
seunt, & quasi per manus traduntur,  
magno temporis lapsu interire solent.

Q. 2.

val

vel corrupti, ob humanae memoriae imbecillitatem, vel ob hominum concordiam: sed Traditiones de aure in aurem transeunt, & quasi per manus traduntur: ergo intereunt, vel saltem corrumpuntur cum tempore. Igitur Verbum DEI, quod manet in aeternum, debet esse scriptum, & nullum datur praecise traditum. R. 1. retorquendo argum. in Scripturam S. quia etiam haec, si humana solum providentia attendatur, magno temporis lapsu facile interire aut corrupti potest vel ex infirmitate describentium, vel malitia infidelium. R. 2. dist. M. Nisi DEUS specialem curam gerat talium rerum. C. M. si gerat. N. M. DEUS non minorem curam gerit Traditionum, & Verbi sui non scripti, quam Scripturae, ne intereant, vel corrumpantur; & Verbum DEI, sive scriptum sit sive non scriptum, manet in aeternum, atque Deus illius curam gerere debet. Nunquid Ecclesia vera in lege Naturae ante Moyse tempora per bis mille annos existit, & quidem sine erroribus in fide, quamvis nullam Scripturam habuerit, sed meras Traditiones, & Verbum DEI non scriptum? Igitur non est absolute necessarium, ut Verbum DEI scribatur. Accedit, quod Traditiones Ecclesiae Christianae, quamvis in SS. Litteris scriptae non sint, scribi tamen consueverint in libris Ecclesiasticis, Concilijs, & Veterum monumentis (quae est humana industria) ne pereant vel corrumpantur. Imò continuo usu & viva fide optime custodiuntur, tanquam in cordibus fidelium descriptae.

Ob. 4. In Scriptura S. rejiciuntur, & reprehenduntur Traditiones tanquam inventa & doctrinae hominum: ergo non sunt admittendae. A. prob. ex varijs textibus. Deuteron. 4. v. 2. dicitur: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo, Et c. 12. v. ult. quod tibi praecipio, hoc tantum facito: nec addas quidquam, nec minuas.* Isaias c. 29. v. 13. inducit Deum populo exprobatem, quod se coluerit *mandato hominum & doctrinis.* S. Paulus Coloss. 2. monet: *videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam secundum traditionem hominum.* Et ad Gal. 1. *si quis vobis evangelizaverit prater id, quod accepistis, anathema sit.* Denique Christus ipse in Evangelio reprehendit Phariseos propter Traditiones; nam Marc. 7. v. 7. 8. ait: *in vanum me colunt docentes doctrinas & praecepta hominum.* Relinquentes enim mandatum DEI tenent traditiones hominum. Idem facit Mat. 15. R. 1. absolute N. A. tū quia in probationibus nostris p. 117. vidimus, quod Scriptura approbet Traditiones, tum quia Adversarij male impugnant Traditiones ex Scriptura, quia istam nec habent nec rite intelligere possunt sine Traditionibus, & Verbo DEI non scripto, ut demonstratum est art. 1. serè toto. R. 2. D. A. Rejiciuntur & reprehenduntur Traditiones merè humanae, repugnantes mandatis Dei, fidei Christianae, bonisque moribus, item Traditiones vanae Phariseorum aut Gentilium C. A. Traditiones omnes N. A. & C. Nos Catholici non detendimus Traditiones vanas Gentilium. Pharisaeas.



cas, merè humanas, Dei mandatis, fidei Christianæ, bonisque moribus repugnantes, sed Divinas, Apostolicas, ab Ecclesia propositas & approbatas, quæ non tantùm non rejiciuntur aut reprehenduntur à Scriptura, sed etiam approbantur & commendantur, imò necessariæ prorsus sunt, & semper fuerunt, præsertim ante tempora Moysis.

Ad probationem explicò textus. In 1. notetur imprimis verbum *loquor*, quod indicat potius Verbum DEI ore tenus traditum, quàm scriptum, præsertim quia Moyses v. 32. subjungit: *interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te ex die, quo creavit DEUS hominem*; ubi autem interrogatione & narratione opus est, non omnia plenè sunt scripta, sed aliqua saltem tradita tantùm. Deinde ibi est sermo de præceptis Judæorum Judicialibus & Ceremonialibus, cur igitur Adversarij non ampliùs observant hæc præcepta, cum textus dicat, *nec auferetis ex eo*? cur *addere* non liceat, si liceat *auferre*? Præterea hujusmodi textus tantùm volunt, ut in Libris Canonicis nihil immutetur addendo vel demendo, & sic corruptatur Scriptura, item ut omnia, quæ præcipiuntur, integrè & ad litteram observentur; non verò excludunt aliud Verbum DEI; aliàs malè fecissent etiam Prophetæ & Apostoli, quæ post Moysen integros libros Canonicos scripserunt, & sic *addiderunt* libris Moysis. In 2. sermo est de præcepto aliquo Ceremoniali in specie, nimirum de præcepto sacrificandi, quo Deus volebat nihil addi de ritu Gentilium, nihi minui de illa ratione, quam ipse

præscripsit in offerendo Sacrificio. Deinde cur Adversarij non retinent modum hunc sacrificandi, & immolandi DEO oves, boves, hædos &c. si nihil liceat *minuere* de illo præcepto? Denique si nihil huic præcepto licet *addere*, malè fecerunt Apostoli novum præceptum imponendo, ut fideles abstineant à *suffocato & sanguine* Act 15. malè fecit Paulus prohibendo bigamos ordinari &c. In 3. Isaias loquitur de præceptis & doctrinis hominum, quæ repugnant mandatis DEI & Scripturis Divinis, ita enim explicavit Christus Marc. 7. v. 8. ubi, postquam citavit Isaiam c. 29. his verbis, *bene prophetavit Isaias de vobis hypocritis*, subjungit: *relinquentes enim mandatum DEI, tenetis traditiones hominum*. In 4. Paulus loquitur de traditionibus tum vanis Gentilium, tum superstitiosis Judæorum, tum merè humanis, ab Ecclesia nec approbatis nec receptis. In 5. Paulus intelligendus est de utroque Verbo Dei, scripto & non scripto, ab utroque enim abstrahit tò *evangelizavimus*: præter quod utrumque utique nihil aliud doceri debet. Dein Paulus ibi anathema dicit falsis Doctoribus, qui volebant, præter fidem in Christum requiri etiam circumcisionem & observationem Legum Mosaicarum. Denique tò *præter* sumitur ibi pro *contra*, nam Græcum *παρά* significat tam *contra*, quàm *præter*; utriusque autem *contra* doctrinam Pauli nihil docere licet, bene tamen *præter*, quia Paulus in suis epistolis non omnem doctrinam Christianam complexus est. In 6. Christus reprehendit Traditiones Pharisaicas, mandato DEI

repugnantes, ut patet ex citato *in*tegro textu. Deinde Christus reprehendit Phariseos etiam ex eo capite, quia in observatione traditionum ab hominibus introductarum (cujusmodi erant, 1. antefumptionem cibi lavare manus. 2. lotionem manuum inter comedendum sepius reperere. 3. cum peccatoribus non sumere cibum. 4. in Sabbatho agris non sanare &c.) querebant vanam gloriam, & opinionem sanctitatis apud plebem, negligentes interim internum animæ cultum & virtutes solidas. Cæterum nec Synagoga ponit ullam falsam Traditionem recipere ut Canonicam, sicut non potuit ullam falsam Scripturam recipere ut Canonicam, & propter quam causam DEUS debuit ipsam reddere infallibilem in hoc, propter eandem debuit & in illo, ne scilicet tota Ecclesia erraret, & sic omnis fides Divina periret in mundo.

Ob. 5. Patres rejiciunt Traditiones, nominatim S. Hieron. in Matth. c. 23, ubi sic ait: *quod de Scripturis auctoritatem non habet, eadem facilitate contemniunt, qua probatur.* Et S. August. de doctr. Christi l. 2. c. 9. sic pronuntians: *in his, que aperte posita sunt in Scriptura, invenuntur illa omnia, que continent fidem, moresque vivendi.* Item S. Chrysost. in c. 2. Matth. *quidquid quaritur ad salutem, totum jam impletum est in Scripturis: ergo sola Scriptura est sufficiens, nec opus est Verbo DEI non-scripto.* R. 1. generatim, si Patres videantur asserere, omnia ad fidem & mores pertinentia contineri in Scri-

pturis, vel intelligendi sunt 1. quod omnia in ijs contineantur generatim, contusè, mediatè, & consecutivè, quatenus nimirum ipsæ SS. Litteræ approbant Traditiones, & nos ad audiendam Ecclesiam hortantur. 2. vel intelligendi sunt de ijs tantum rebus, de quibus ipsi peculiariter disputabant cum hæreticis, quibus, quia nihil nisi scripturam admittere volebant, sese accommodant, etiam ex sola Scriptura argumentantes ad hominem. 3. Vel loquuntur de Scripturis ritè intellectis, quæ tamen ritè intelligi nequeunt sine Traditione, vel declaratione Ecclesie. 4. Vel intelligendi sunt, quod sola *contra*, non vero *propter*, vel *extra* Scripturam nihil admitti debeat. R. 2. quid sentiant Patres de Traditionibus, satis liquet ex dictis p. 118. Unde si fors auctori loquantur ita obcurius, explicari debent juxta alios ipsorum textus clariores, quibus approbant Traditiones indubitatè, ne tibi contradicant. Allati textus ex Patribus nihil probant contra nos; nam S. Hieron. loquitur de aliqua sententia particulari, qua quidam volebant ex libro quodam apocrypho probare, Zachariam, quem Judæi occiderunt inter templum & altare, fuisse patrem Joannis Baptiste: ex particulari autem aliquo factò, præsertim si id aliunde non satis probari poterit quam ex Scriptura, malè infertur, universaliter omnia contemnenda esse, quæ scripta non sunt. S. August. imprimis tantum loquitur de ijs dogmatibus, quæ simpliciter & explicitè crediti sunt necessaria, deis non dicit, etiam hæc inveniri in Scripturis.

pturis clarè, & sine interpretatione Ecclesie, sed tantum inveniri absolute, quod etiam nos admittimus, scilicet vel generatim & confusè, vel particulatim & clarè. Quòd S. Augustinus non voluerit omnia contineri *clarè & particulatim* in Scripturis, quæ continent *fidem morèsq; vivendì*, manifestè colligitur ex alijs ejus textibus, uti ex ep. fundamenti c. 5. *Ego Evangelio non crederem, nisi me Catholice Ecclesie commoveret auctoritas.* Et l. 10. de Genesi ad Litteram c. 23. *consuetudo Matris Ecclesie in baptizandis parvulis nequaquam spernenda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset Traditio.* Denique S. Chrysostr. loquitur de vitijs, ad quæ sananda afferit in Scripturis inveniri remedia: ergo iterum de aliqua materia particulari; insuper non dicit, hæc remedia pro omnibus vitijs clarè reperiri in Scripturis.

26. Ob. 6. Si Ecclesia debet nos certificare, quantum sit vera Scriptura, tunc Scriptura suam auctoritatem obtinet ab Ecclesia, & sic Ecclesia erit supra Scripturam, quod dici nequit; cum nihil possit esse supra Verbum Divinum. 2. si Ecclesia interpretatur Scripturam, & declarat ejus sensum, tunc judicat Scripturam, & sic se iterum statuit supra Scripturam. R. ad 1. N. M. Ecclesia enim non facit, ut Scriptura fiat Verbum Divinum, sed tantum declarat, quantum Scriptura sit Verbum Divinum, & auctoritatem divinam habeat: sicut Monetarius vel Trapezita non tribuit auro vel gemma suum valorem, sed illum præcisè declarat ignorantibus. Ad. 2. impri-

mis retorqueo argumentum: si Præco, vel alius homo privatus, apud Sectarios interpretatur Scripturam, & ejus sensum declarat, tunc judicat Scripturam, & sic se statuit supra Scripturam. Deinde Ecclesia Scripturam interpretans non examinat, an id, quod Scriptura dicit, verum sit: sed tantum examinat, utrum hoc vel illud dicatur à Scriptura; & sic declarando sensum non Scripturam, sed de ejus sensu judicat, nec auctoritatem exercet in Scripturam, sed potius in iudicia hominum, quæ dirigit vel corrigit.

27. Ob. 7. Kemnitius, Brentius, Molinæus, & alij tam Lutherani quam Calvinistæ admittunt aliquam Traditionem, nempe illam, per quam constat quoad nos, quinam libri sint Canonici & incorrupti, quin & ipse Calvinus ait: *quarunt enim, quis nos faciat certiores, à Moyse & Prophetis hæc fuisse Scripta, quæ sub eorum nominibus leguntur &c. Verum ut de omnibus simul loquar, certo certius est, ipsorum Scripturam non aliter pervenisse ad posteros, quam de manu ad manum, ut ita loquar, perpetua annorum serie à Patribus tradita.* Ergo falsò imputamus Protestantibus, quòd rejiciant Verbum DEI non-scriptum. R. 1. Transeat A. N. C. quamvis enim unam Traditionem admittant, bene tamen arguuntur, quòd ceteras, pariter necessarias, rejiciant cum alijs Protestantibus. R. 2. admissa unica Traditione jam ruit præcipuum Sectariorum fundamentum, in eo consistens, quòd nihil aliud pro Verbo DEI habendum, nisi Scriptura, ni-

uihilque credendum, aut necessariò faciendum, nisi scriptum sit. R. 3. admittà una Traditione non prudenter amplius negari possunt ceteræ, ab Ecclesia propositæ; si enim Ecclesia agnoscitur esse infallibilis in custodienda & proponenda una Traditione, cur non etiã infallibilis agnoscitur in custodiendis & proponendis reliquis? Cur necessariò credendum est Ecclesie proponenti Evangelium, non autem proponenti verum Evangelij sensum? Has difficultates viderint alij, qui absolute negant omnes Traditiones, propterea tamen non feliciores; quia sic ignorant, vel saltem certi non sunt, an habeant aliquam Scripturam, & quinam libri sint Canonici. Aliqui dixerunt, illos esse Canonicos, qui præferunt in titulo unum ex Prophetis vel Apostolis. Sed contrà est 1. quia de ipsis titulis redit quæstio, unde con-

ster, eos non esse ab hominibus nequiter assutos. 2. quia multi libri Canonici non præferunt Prophetam vel Apostolum, uti Genesis &c. 3. quia multi præferunt titulum Apostoli, ut Evangelium S. Bartholomæi, S. Thomæ, S. Andreæ &c. & tamen sunt Apocryphi. 4. quia ex titulo nondum constat, an omnia & singula capita & sententiæ pertineant ad talem librum. Alij dixerunt, illos esse libros Canonicos, qui allegantur à libris Canonicis. Sed contrà est 1. quia de libro citante alium redit quæstio, an sit Canonicus. 2. quia non omnes libri, multò minùs omnia capita & sententiæ librorum citantur ab alijs libris &c. Sequitur nunc Corollarium ex dictis, gulam omnibus Adversarijs frangens.

Objectionem de circulo vitioso vide infra de Infallibilitate Ecclesie

n. 17.

## COROLLARIUM

*Bene notandum.*

28. **E**X hæcenus disputatis manifestè deducitur hoc vel simile ratiocinium.

Illa Secta, quæ solam Scripturam agnoscit pro unica regula omnium credendorum; interim tamen nec de ipsa Scriptura ejusque puritate, nec de genuino illius sensu infallibiliter certa esse potest in suis principijs; nullum prorsus articulum infallibiliter certum, adeoque nullam fidem Divinam habet.

Atqui Sectæ Lutheranorum, Calvinistarum, Zvving.

Zvvinglianorum, & aliorum ab Ecclesia Romano-Catholica Apostatarum agnoscunt solam Scripturam pro unica regula omnium credendorum; interim tamen nec de ipsa Scriptura ejusque puritate, nec de genuino illius sensu infallibiliter certæ esse possunt in suis principijs.

Ergo Sectæ Lutheranorum, Calvinistarum, Zvvinglianorum, & aliorum ab Ecclesia Romano-Catholica Apostatarum nullum prorsus articulum infallibiliter certum, adeoque nullam fidem Divinam habent.

Ubi autem nulla est fides Divina, & ex motivo infallibili infallibiliter cognito certissima, ibi nulla est vera Ecclesia, nulla Salus.

Ergo in his Sectis nulla est vera Ecclesia, nulla Salus.

Propositio prima, seu *Major*, est evidens penetranti terminos; cum usque regularum nequeat esse certius & rectius, quam ipsa regula, nec voluntas intellectui prudenter impetare possit assensum certissimum & firmissimum alicui objecto præstandum tanquam infallibiliter certo, si motivum, propter quod imperari deberet assensus certissimus & firmissimus, sit incertum & dubium. Quomodo enim prudenter impetare sibi quis poterit assensum indubitatum & firmissimum de aliquo objecto v. g. de reportata ab hoste victoria, si aliud motivum non habeat, nisi aliquam scripturam ignoti Auctoris, & dubiæ interpretationis; si de Auctore non certo constet, an sit verax & fide dignus, an verò impostor & mendax; nec de ipsa scriptura, an sit ritè & pure

R. P. Fichler Theol. Polemica.

descripta; an hoc vel alio modo ipsius verba, quæ variam patiuntur interpretationem, sint intelligenda? Certè nemo prudens.

Alterâ propositio, seu *Minor*, hucusque evidenter demonstrata est potissimum eo ex capite, quia hæc Sectæ rejiciunt Verbum DEI non-scriptum, & Ecclesiæ definiens auctoritatem, nihilque aliud nisi Scripturam pro Verbo DEI admittunt, & idcirco Scripturam, de cujus existentia puritate & integritate dubitatur, probare debent per ipsam Scripturam, ejusque sensum dubium per textum dubium, adeoque ignotum per ignotum. Item semper hoc pacto dare coguntur pro responsione, quod est in questione, & aliunde probari deberet, nunquam autem potest, si aliud DEI Verbum præter

R.

Sci-

scripturam non admittatur. Si Scripturæ suppetias ferre nitantur per internum spiritum & conscientiam suam sensum, pro agnoscenda veritate adhibent patronum omnis fallitatis, architectum omnis erroris & contradictionis, istum enim spiritum & sensum internum à DEO potius esse & infallibilem an verò mendacem & à diabolo vel propria pertinacia ortum, unde Adversarij infallibiliter constat? An ex Scriptura? (aliud enim DEI Verbum, ex quo aliquid intallibiliter probari posset, non admittunt) at sic supponunt Scripturam ejusque sensum certum, de quibus tamen lis est & controversia; imò manifestè cum impijs eunt in circulum, dum Scripturam (idem est de ejus sensu) probant esse Divinam ex spiritu interno, & spiritum internum probant esse Divinum ex Scriptura, atque adèd incertum per incertum, dubium per dubium, ignotum per ignotum, idem per idem. Vid. præcipue §§. 1. & 5. art. 1. à p. 86. & p. 92. Tertia propositio, seu *Consequens*, est legitime deducta ex Præmissis atque dispositis, adèdque *formaliter bona*, & innegabilis ab intellectu sano, ut norunt boni Dialectici omnes.

Quarta propositio, seu *subsumpta Minor*, clara est omnibus, qui sciunt, formam essentialem veræ Ecclesiæ esse *fidem* infallibiliter veram & Divinam, quod nec Adversarij negant; cum Ecclesiæ vera sit cæteris *vere fidelium*, seu infallibiliter veram certam & Divinam fidem habentium, sine qua fide impossibile est placere DEO, & salvari, ut ipsi nec contendunt.

Ultima deique illatio irrefragabiliter sequitur ex precedentibus, ut nemo non videt, qui aliquid videt.

Iste discursus omnibus Adversarijs non modò artè constringit, sed & penitus frangit galam. Quamdiu enim infallibili argumento non probaverint Existentiam, Canonem, Versionem, Puritatem, & Genuinum Sententiam Scripturæ (cui unice inniti, & ex qua sola cæteros articulos probare volunt) quod eos prestare impossibile est in suis principijs, ut luce clariùs ostensum est, hærent & errant in primis fidei principijs, nec ad alias controversias circa Religionem nobilicam ventilandas progredi possunt, utpote in cunis statim suffocati, & quasi saucinati, dum semper ipis negari potest suppositum, nempe textus, & textuum sensus, quos merà conjecturâ humanâ possident. Unde, quia Christi Vicarium, legitimum Controversiarum Judicem, abjecerunt, dati sunt in reprobum sensum, in tenebris ambulat sine Duce, sine Pastore, sine Rectore, velut oves errantes vagantur destituta pascuis veræ ac salutaris doctrinæ, atque *velut parvuli fluctuantes circumferuntur omni vento doctrina in nequitiâ hominum, in astutiâ ad circumventionem erroris.* Eph. 4. v. 14. quod dolendum & sanguineis lacrymis deplorandum. Sed nunc ad Ecclesiam, ad infallibilem Controversiarum Judicem, nos progredi oportet, unde de prædictis omnibus intallibilem hauriunt certitudinem & securitatem Catholicæ.

CONTROVERSIA FUNDAMENTALIS ET GENERALIS

III.

De Ecclesia.

**D**emonstrata ac solide firmata necessitate præter Scripturam admittendi aliud Verbum DEI non scriptum, ordo doctrinæ nunc postulat, ut illud Oraculum sensibile, per quod DEUS ex tra Scripturam loquitur fidelibus suis, qui utique, tanquam homines in cognoscendo dependentes à sensibus, sensibilibus doceri exigant, exhibeamus legentibus: quod haud dubie aliud non est quam vox veræ Ecclesiæ, de Scripturæ Canone, Puritate, & legitimo sensu pronuntiantis, auctoresque fidei articulos, de quibus forte controversia oritur, infallibili auctoritate declarantis, utpote quæ columna & firmamentum veritatis est 1. Tim. 2. cui promissa est assistentia perpetua Spiritus S. eam doceri omnem veritatem. Jo. 14. & 16. Sed quoniam Ecclesiâ constat ex omnibus omnino verè fidelibus, hi autem omnes & singuli nec docere nec audiri possunt, officium docendi ad solos Prælatos & Pastores devolvitur, quibus commissæ sunt oves Christi Jo. 21. Act. 2. quos audiri ut seipsum iussit Dominus Luc. 10. & quibus obe-

R. P. Pichler Theol. Polesiana,

diri præcepit Apostolus Hebr. 13. Hi igitur Pastores & Ecclesiæ Prælati, præsertim supremus, qui est Pontifex Romanus, & Papa dicitur, erit illud os DEI, Fideles instruens circa ea, quæ vel de ipsis Scripturis controversa, vel in Verbo DEI scripto particulatim & clarè non sunt comprehensa. Itaque Ecclesiâ definiens, vel potius Papa definiens (sive cum cæteris Prælati in Concilio congregatis, sive sine his, ex Cathedra tamen loquens, de quo hic abstraho, in decursu mentem meam explanaturus) est legitimus, & ille sumè necessarius fidei Controversiarum Iudex.

Controversiam hanc de Ecclesiâ rectè vocaveris *Tugnam Decretoriam*, eò quòd ultimato decernat, penes quem ex diversis, qui Christiano gloriatur nomine, Cæteribus melior sit causa, & certa victoria. Cum enim veram Christi Ecclesiâ in proponendis fidei dogmatis oporteat esse infallibilem, eo ipso, si de hac constituerit, simul de omnibus fidei dogmatis constabit. Ac proinde inventa verâ Christi Ecclesiâ, eaque infallibili in suis decisionibus, brevi compendio omnes con-

R. 2

trover-

groverſa quaſtiones complanantur, & uno quaſi icu debellatum eſt contra omnes adverſarios; quidquid enim illa definiat, infallibiliter veram, & quidquid reproberit, certo falſum ſit necesse eſt. Unde quatuor mihi ſumpſi enucleanda. 1. Veram Chriſti Eccleſiam, ſicut perpetuo viſibilem, ita pariter infallibilem eſſe. 2. Hanc veram Chriſti Eccleſiam nullatenus eſſe Lutheranam, aut aliam ex Apoſtatarum Sectis, ſed Romano-Catholicam. 3. Nihil omnino valoris in eſſe ijs, quibus ſua eſſe Chriſti veram Eccleſiam probare nituntur Lutherani, argumentis. 4. Caput Eccleſiae, videlicet Romanum Pontificem eſſe legitimum Controverſiarum Fidei Judicem. Itaque in Capite 1. Diſſeram de natura, membris, & proprietatibus veræ Chriſti

Eccleſiae. In 2. De Notis, quas vera Chriſti Eccleſia habere debet, & Catholici adducunt. In 3. De Notis, quas Lutherani perperam adſtruunt. 4. De Romano Pontifice. Itaque hæc quatuor Capita erunt velut totidem trophæa Catholice veritatis contra omnes ejus deſertores & hoſtes, præſertim Lutheranos, quos directè, immediatè, & nominatim aggredi & devincere animus eſt; alios, verò hujus avi Sectarios indirectè, mediatè, & tacitè. Quæ enim contra Lutheranos diſputari continget, pleraque mutato nomine etiam Calviniſtas aliòſque ab Eccleſia Romana Apoſtatas op- & expugnabunt, iſque facilè applicari poterunt à rerum perito, eò quòd omnes iſdem ſerè telis & clypeis utantur in pugna Polemica.

## CAPUT I.

De Natura, Membris, & Proprietatibus Eccleſiæ.

### ARTICULUS I.

*Quid ſit Eccleſia, & quanam illius membra?*

#### SUMMARIUM.

- |   |  |
|---|--|
| 1. Quid nominis ſit Eccleſia?   | 5. Quomodo Sectarij definiant Eccleſiam.   |
| 2. Tripliciter accipi ſolet.  | 6. Antequam ſtatuantur definitio Eccleſiæ legitima,                                  |
| 3. Dividitur in Univerſalem & Particularem &c.                        | 7. Statuitur, etiam peccatores & reprobos inter vera membra Eccleſiæ ſenſendos eſſe. |
| 4. A Sectarijs in Viſibilem & Inviſibilem, ſeu in Externam & Inſeram. |  |



8. Quod probatur 1. ex scriptura S. ac multipliciter confirmatur.
9. 2. Ex communi & constanti fidelium, & infidelium sensu.
10. 3. Ex ratione.
11. 4. Ad hominem.
12. Quid Al. ersarij reponant.
13. Ponitur definitio Ecclesie.
14. Membra Ecclesie non sunt Gentiles, Judæi, Turcæ, Hæretici aperi, Apostata, & Schismatici non pure tales.
15. Quid sentiendum de Hæreticis ve-

- cultris, Excommunicatis, & Catechumenis.
16. Ecclesia merè invisibilis repugnat etiam ex principijs Adversariorum.
17. Quomodo definitio Ecclesie conveniat etiam synagoga.
18. Solvitur Obiectio ex Scriptura S. desumpta.
19. Solvitur illius multiplex appendix.
20. Obiectio ex Patribus.
21. Iterum ex Scriptura.
22. 23. 24. 25. 26. 27. Occurritur M. Renzio.

Sciendum 1. Nomen Ecclesie derivari à verbo Græco ἐκκλησίαν, quod significat *evoco, extra voco*. Proinde Ecclesia juxta etymologiam suam est evocatio hominum, vel cætus è mundo evocatorum. Et rectè quidem sic appellatur, quia nemo ad Ecclesiam pervenit, nisi evocatus à Deo, & præventus vocatione Divina, quod est primum & ineffabile Dei beneficium, ad veram Religionem ex tot falsis cæribus hominem perducens. Rectè siquidem hic su, ponitur ex alibi demonstratis, quod detur aliqua Religio revelata & grata Deo, eaque unica tantum in Mundo, in qua obtineri possit salus, & felicitas æterna. Vide à pag. 36. & 60. seqq.

Sciendum 2. Nomen Ecclesie tum in Scriptura, tum in communi loquendi usu accipi præcipuè tripliciter. 1. pro loco, ubi convenire solent evocati; quo sensu templa nostra vocamus Ecclesias, & Judith 6. v. 21. di-

citur: *Convocatus est omnis populus, & per totam noctem intra Ecclesiam oraverunt.* 2. Pro casu seu congregacione hominum quacunq; tam fidelium quam infidelium. Sic Psalmista Psal. 149. v. 1. ait: *Laus ejus in Ecclesia Sanctorum.* Et Psal. 25. v. 5. *Odium Ecclesiam malignantium.* 3. Pro casu fidelium tantum, quæ acceptio huic loco propria est, & recepta inter Doctores tam Orthodoxos quam Heterodoxos multos, quando tractant de Ecclesia. Atque in hoc sensu locutus est Paulus Rom. 16. v. 16. *Salutant vos omnes Ecclesia Christi,* nimirum Ecclesie Particulares; nam

Sciendum 3. Ecclesiam dividi in Universalem & Particularem. *Universalis* est, quæ complectitur omnes omnino fideles totius Mundi, & conflatur ex Ecclesijs particularibus. *Particularis* est pars tantum Ecclesie Universalis, & complectitur fideles unius duntaxat provincie, & loci. Ulterius dividitur Ecclesia in Militantem, Par-

gantem, & Triumphantem. *Militans* est cæcis adæm, a iante in cæcis degentium. *Purgans* est cæcis defunctorum iustorum, qui detinentur in Purgatorio ad aliquod tempus. *Triumphans* est cæcis Sanctorum, qui in cælis iam triumphant cum Christo.

4. Sciendum 4. à Lutheranis & Calvinistis Ecclesiam dividi in Ecclesiam Visibilem, & Invisibilem. *Visibilem* vocant cæcum fidelium, in quo etiam hypocritæ & mali continentur præter veros Fideles, Sanctos, & Electos, qui soli verè & propriè sunt membra Ecclesie; mali autem (juxta Calvinistas reprobi) & hypocritæ juxta ipsos non sunt vera membra Ecclesie, sed tantùm impropriè, eò quòd vera fide interna, sanctitate, & electione destituti sint, quamvis exteriùs eandem cum Sanctis & Electis fidem profiteantur, iisdemque Sacramentis utantur: propter quam externam societatem eos ad Ecclesiam visibilem tantùm pertinere dicunt. *Invisibilem* appellant cæcum verè fidelium, seu Sanctorum, & verè credentium (nam juxta Lutheranos, qui verè credunt, hoc ipso sunt sancti & iusti, scilicet iustitiâ Christi sibi imputatâ) si ve electorum, qui scilicet per fidem internam specialem apprehendunt iustitiam Christi, spiritualiter regenerantur, Spiritu DEI aguntur, & vinculo Spiritus ac interna societate colligantur, qui proinde, cum soli DEO sint noti, à Mundo verò conspici nequeant, Ecclesiam Christi invisibilem constituunt, & dilectam ejus Sponsam, utpote in qua nullus est nisi sanctus & electus. Porro Ecclesiam visibilem vocant etiam

Ecclesiam Externam, & Ecclesiam Peccatorum; Invisibilem verò vocant etiam Internam, & Ecclesiam Electorum. Nomine autem *Electorum* non intelligunt Lutherani illos, qui absoluto DEI decreto sunt electi seu prædestinati (quod Calvinistæ aiunt) sed verè credentes, interna regeneratione præditos, & fræna non laxantes peccatis, hoc est, Sanctos. Videatur Joan. Gerardus in Academ. Jenensi Professor, & serè præcipuus ex DD. Lutheranis, quem passim modò sequuntur, in LL. Theol. tit. de Ecclesia n. 15. n. 50. & alibi sæpius. Quàm mala autem & coacta sit hæc divisio Protestantium (ex dira enim necessitate eam excogitarunt, ne ostendere debeant, uoi fuerit vera Christi Ecclesia per mille & amplius annos ante Lutherum) patebit ex dicendis tum in hoc, tum in 3. articulo, ex quibus constabit, etiam malos, peccatores, & reprobos esse vera Ecclesie membra & propriè dicta, neque possibilem esse Ecclesiam Christi mere invisibilem, quæ externa fidei professione, sensibili Verbi Divini prædicatione, & visibili Sacramentorum participatione penitus destituta sit, & Mundo incognita. Præter tamen

Sciendum 5. A. Lutheranis & Calvinistis conformiter suæ divisioni sequentem in modum definiri Ecclesiam. Gerardus loc. cit. n. 79. sic ait: *Definimus Ecclesiam, quòd sit Cæcus hominum doctrinam Divinam profitentium, & Sacramentis divinis instituta utentium, in quo Casu sunt sancti, hoc est, verè credentes & electi, quæ sunt vera & viva Ecclesia membra, quæ*

quibus in hac vita mixti sunt non  
 deus, sed tamen in doctrina consen-  
 tientes, qui ad externam duntaxat  
 Ecclesiam societatem pertinent. Con-  
 fessio Augustana art. 7. ita definit: Est  
 congregatio Sanctorum (Germanica  
 editio sic habet: Ein Versammlung  
 aller Glaubigen / non sine fraude  
 Compilatorum, qui in Germanico no-  
 luerunt Ecclesiam vocare ein Ver-  
 sammlung der Heiligen / utique ne  
 offenderent inasuetas novæ definitioni  
 aures Germanorum) in qua Evangelium  
 pure docetur, & recte administran-  
 tur Sacramenta. Art. vero 8. addit:  
 Quod in hac vita congregationi San-  
 ctorum, & verè credentium multi hy-  
 poerita & mali admixti sint. Fere  
 eodem modo Ecclesiam describunt  
 Calvinistæ in sua Confessione Gallica  
 art. 27. apud Maseonium in Conclusio-  
 ne Meditata Concordiæ c. 2. Est *Carus*  
*fideliū, qui in Verbo DEI sequendo,*  
*& pura Religione colenda consentiunt*  
*&c. minime tamen inficiamur, quin*  
*huic huiusmodi hypocrita & reprobi multi sint*  
*permixti. Illi tamen mali & reprobi,*  
 quos dicunt admixtos esse Ecclesie, jux-  
 ta Lutheranos & Calvinistas non sunt  
 vera membra Ecclesie, sed solum se-  
 cundum externam societatem, ut lo-  
 quitur Apologia Aug. Conf. hoc est,  
 secundum externam professionem Ver-  
 bi, & Sacramentorum usum. Aliam  
 adhuc definitionem (Ecclesie nimirum  
 Visibilis) asserunt Lutherani in Catechesi  
 Lutheri ex Dieterico apud cit. Maseo-  
 nium, dum dicunt: *Ecclesia est Carus*  
*hominum vocatorum visibilis ample-*  
*ctentium Verbum DEI, & recte usen-*

tium Sacramentis. In hac defini-  
 tione Ecclesie includunt omnes, qui  
 externis profitentur eandem fidem, &  
 iisdem utuntur sacramentis, in prio-  
 re excludunt: quidni ergo dicamus,  
 eos admittere duas Ecclesias realiter  
 distinctas, quarum una sit Invisibilis  
 Sanctorum, & formaliter excludat  
 improbos, altera Visibilis sit, & eos  
 includat! Quod tamen nullatenus pati  
 volunt, sed aperte protestatur contra  
 Gerardus n. 51. dicens: *Nequaquam*  
*statuimus duas Ecclesias. unam ve-*  
*ram & internam, alteram nomina-*  
*lem & externam, sed dicimus, Ec-*  
*clesiam unam eandemque, totum sci-*  
*litter Catum Vocatorum, dupliciter*  
*considerari, scilicet respectu vocatio-*  
*nis & externæ societatis in fidei pro-*  
*fessione &c. & respectu interioris re-*  
*generationis & internæ societatis in*  
*vinculo Spiritus consensentis.* Similia  
 habet Lomerus in *sermone* Bamer p.  
 141. ubi ait, quod Ecclesia visibilis  
 & invisibilis non tam sint duæ Ecce-  
 sie, quam diversæ considerationes &  
 status ejusdem Ecclesie.

Sciendum 6. Longè melius à nobis  
 poni definitionem Ecclesie, postquam  
 prius confiterit, utrum improbi, pec-  
 catores (reprobi) & non iusti, sint ve-  
 ra & proprie dicta membra Ecclesie,  
 etiam si careant internis virtutibus fidu-  
 ciæ in meritis Christi, charitatis &c. mo-  
 dò externis profiteantur veram fidem,  
 sint baptizati seu renati, & iisdem Sa-  
 cramentis utantur cum veris fidelibus,  
 debitamque obedientiam præstent Ca-  
 piti & Pastori visibili. Quo obstacu-  
 lo, quod hic nequiter ponunt Prote-  
 stan-

stantes ad complanandam viam Ecclesie suae Invisibili, remoto longè facilius erit accuratam Ecclesie definitionem ponere, & inde etiam colligere, quid sentiendum de Hæreticis tum apertis tum occultis, de Schismaticis, Excommunicatis, & Catechumenis, utrum sint membra Ecclesie, nec ne. Quippe de his, quia nihil adhuc ab Ecclesia decisum est, litigatur etiam inter Catholicos. De illis verò, nimirum de improbis & reprobis, quòd possint esse vera & propriè dicta membra Ecclesie (licet non sint membra viva, vitæ charitate perfectâ) est fidei doctrina, cum qua

7. Dico 1. Etiam peccatores, injusti, improbi, & reprobi sunt vera membra Ecclesie, modò non habeant peccatum infidelitatis. Pro majori intelligentia nostræ assertionis noto ex S. August. & alijs Ecclesie Patribus, atque Doctoribus, ex Bellarm. inò & ex Gerardo Lutherano in LL. Theol. de Ecclesia c. 6. n. 53. quòd Ecclesia sit *corpus vivum*, in quo est quasi anima & corpus; nimirum externa fidei professio & sensibilis usus Sacramentorum sunt quasi corpus, virtutes autem internæ, fides, spes, charitas, aliæque dona supernaturalia sunt quasi anima. Et sicut in corpore vivo aliqua membra magis, aliqua minùs participant vitam, & operationes vitales vel nullas, vel imperfectas exercent, uti ossa, medulla, unguis, capilli, & juxta probabilem sententiam Philosophorum etiam sanguis, qui, quamvis fortè vivat, nullas tamen elicit operationes vitales; quæ tamen imperfecta mem-

bra & partes corporis humani nihilominus sunt vera & propriè dicta membra ac partes, licet minùs participant de vita. Ita etiam in corpore vivo Ecclesie contingit, ut aliqua membra plus vitæ spiritualis participant, & nobiliores operationes spiritus eliciant, utpote vitam perfectam charitatis habentia; aliqua verò minus participant, & vel nullas vel non nisi tenues operationes sanctas eliciant, nimirum solius fidei, dum recipiunt ab Ecclesia & profitentur doctrinam Christianam, in fide proficiunt, & filios etiam spirituales per prædicationem veræ doctrinæ generant. In his itaque membris (secundum charitatem mortuis & aridis) invenitur tamen adhuc aliqua vita, licet non tam perfecta, uti est in Justis, Sanctis, & charitate instructis, invenitur tamen vita fidei & operationes ejus. Rursum sicut in corpore vivo v. g. in homine aliqua membra ac partes necessariò sunt visibiles & externæ, uti caput, oculi, aures &c. aliæ autem partes sunt internæ & non visibiles, uti anima, cor, hepâr, spiritus vitales &c. Ita ubi est vera Ecclesia, seu certus fidelium, debent in eo aliquæ partes necessariò esse externæ & visibiles, uti est prædicatio Verbi Divini & professio fidei externa, item sensibilis perceptio ac distributio Sacramentorum: aliæ autem debent esse internæ & non visibiles Mundo, ut ipsa vera fides, quæ est actus intellectus, spes, charitas, & aliæ virtutes. Quæ tamen virtutes internæ (excepta fortè fide, cum certum non sit, an non hæretici solùm interni sint membra Ecclesie) non necessariò insune

omnibus & singulis Ecclesie membris ac partibus; sicut cor, hepar, spiritus vitales &c. non necessario insunt omnibus & singulis membris ac partibus corporis vivi v. g. hominis. Peccatores igitur, injusti, & improbi non desinunt esse vera & proprie dicta membra ac partes Ecclesie, licet non sint membra tam nobilia & perfecta, qualia sunt Sancti & Iusti. Premissa & bene notata hac explicatione & paritate

Probatu assertio 1. ex S. Scriptura, in qua, fatentibus etiam Adversarijs, nominatim Gerardo n. 32. & alibi, consequenter etiam Lomero, qui id satis supponit in der Rettung seines Bruders Gemähl p. 31. In qua, inquam, Ecclesia Christi comparatur 1. *area*. Mat. 3. v. 12. in qua congregantur triticum & palea. 2. *sagens* & *reti*. Mat. 13. v. 47. pisces bonos & malos concludenti. 3. *agro* ibid. v. 24. in quo bonum quidem seminatur semen, sed ab inimico superfeminantur Zizania. 4. *decem Virgibus*, Mat. 25. v. 1. quarum quinque prudentes & quinque fatue. 5. *magne domui* 2. Tim. 2. in qua sunt non solum vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: quædam in honorem, quædam in contumeliam. 6. *corpori* Rom. 12. v. 4. quod habet multa membra, quæ tamen non eundem actum habent, sed diversas operationes. Hæc testimonia Scripturæ tam sunt luculenta, ut nemo refragari possit nisi pervicax. Adhibe hic comparatione deductam n. 7. cum corpore vivo.

Confirmatur 1. Ecclesia Christi etiam comparatur *Civitati* Mat. 5. atqui in Civitate sunt boni & mali cives;

R. P. Pichler Theol. Polemica.

nec ille, qui officium boni civis non facit, eo ipso desinit esse civis, & jure Civitatis privatus est (quamvis malus sit civis) nisi aperte deficiat, vel per sententiam ejiciatur. 2. *Arca Noë* Gen. 6. & 7. in qua omnis generis animalia continebantur, munda & immunda. 3. *Corpori*, 1. Cor. 12. in quo varia membra varias habent gratias & Charismata, & quidem aliqua tantum fidei: *alteri fides in eodem spiritu.*

Confirmatur 2. Gratis requiritur plus ad verum fidelem, quam Paulus requisivit Gal. 3. v. 26. dicens: *Omnes enim Filij DEI estis per fidem, que est in Christo JESU. Quisunque enim in Christo baptizatus estis, Christum induistis.* Et 1. Cor. 12. *Omnes nos in unum corpus baptizati sumus.* Qui igitur Christum proficetur per fidem, & baptizatus est, Christi Corporis membrum & fidelis efficitur. Quamquam alibi requiratur etiam Charitas, sine qua nec Baptismus nec fides sufficit, ad salutem, & ut aliquis sit *dilectus* Filius Dei. Ad hoc autem, ut aliquis simpliciter dicatur Filius Dei, aut Christum induisse, non requiritur justitia, Charitas, & Sanctitas; cum utique non omnes Galatæ fuerint sancti, quamquam omnes dicantur Filij Dei, & Christum induiti.

Confirmatur 3. Ex Corinthijs unus in talem fornicationem lapsus est, ut etiam haberet uxorem patris 1. Cor. 5. & tamen fuit adhuc membrum Ecclesie, quia Apostolus eum iussit expelli per excommunicationem, dicens: *Ut collatur de medio vestrum v. 2. Cum ejusmodi nec cibum sumere. quid enim*

S

*animi mibi de ijs, qui foris sunt, judicare? v. 22.* ergo gravissimi peccatores, modò non sint excommunicati & exclusi à cætu fidelium, sunt adhuc membra veræ Ecclesiæ. Sic pariter in antiqua Lege erant gravissimi peccatores, & tamen non legimus, quòd à Moysè, Samuele, & alijs Prophetis ac Justis fuerint separati à populo fidei, & exclusi à Templo, Altari, Sacrificio, & ijs rebus, quæ spectant ad Religionem.

Confirmatur 4. D. Petrus præcipit obedire Præpositis, etiam malis & dycolis 1. Petri 2. v. 18. Et Christi iussit servare & facere, quacunque dixerint, Mat. 23. v. 3. Atqui non decet, ut vera Ecclesiæ membra obediant ijs, qui non sunt de Ecclesiâ: ergo Præpositi mali sunt de Ecclesiâ. Et quis dicat, quòd Prelati Ecclesiæ, si peccent, uti in tanta infirmitate primum est, statim desinant esse in Ecclesiâ, & sic desinant esse Prelati Ecclesiæ, consequenter nemo sit obligatus ad ijs parendum? Quanta hæc foret confusio in Ecclesiâ Christi! quam Christus utique velle non potuit.

9. Probatur 2. ex communi atque constanti sensu fidelium, qui à temporibus Apostolorum usque ad nostra semper habuerunt pro fidelibus & veris Ecclesiæ membris illos omnes, qui fuerunt baptizati, nullique adhaerebant sectæ & novitati, nullo habito discrimine inter bonos & malos. Atque congregatio ex his utrisque sine discrimine ad sanctitatem, quæ exterius cognosci non potest, non solum ab ipsis Christianis censebatur esse Ecclesiâ Christi, verum etiam à non Christianis

& persecutoribus Ecclesiæ, qui eos duntaxat persequuntur, qui baptizati profitebantur Christum & doctrinam Catholicæ fidei, non attendentes an boni vel mali essent. Id quod hodie experimur à Sectarijs, qui nos Catholicos odisse solent propter solam fidem diversam, nec curant, an moribus boni vel mali simus.

Confirmatur ex PP. sensu, ex quibus brevitate causâ solummodo duos producam, S. Hieronymum, & S. Augustinum, qui etiam apud prudentiores Adversarios in magna sunt auctoritate. S. Hieron. in c. 1. ep. ad Eph. pronuntiat: *Omnes Sancti fideles, non omnes fideles sancti.* Cùm verò Bellarminus putet, Commentaria illa in omnes Epistolas S. Pauli non esse S. Hieronymi, quamvis inter illius opera tom. 8. reperiantur, subjungo alium textum ejusdem sancti Doctoris, quem habet in commentario certo & indubitato in idem Caput 1. ad Eph. in ro. 6. ubi sic in eundem sensum commentatur: *sunt quippe plures fideles, sed non in Christo Jesu. Quo modo enim caput plurima sibi habet membra subjecta, è quibus sunt nonnulla vitiosa & debilia; ita & Dominus noster Jesus Christus, cùm sit caput Ecclesiæ, habet membra eos omnes, qui in Ecclesiâ congregantur, tam sanctos videlicet quam peccatores sed sanctos voluntate, peccatores verò sibi necessitate subjectos. Atque ita fit, ut etiam inimici subjecti sint pedibus ejus.* Et in Dial. advers. Luciferian. *Arca Noë Ecclesiâ typus fuit &c. ut in illa omnium animalium genera, ita & in hæc*

hae universarum & gentium & morum homines sunt &c. iusti & peccatores, id est, vasa aurea & argentea, lignea & fictilia. S. Augustinus vero tract. 6. in Joan. circa medium ita docet: Nos fatemur, in Ecclesia Catholica & bonos & malos esse, sed tanquam grana & paleas. Quid clarius in rem nostram & terminis magis expressivis dici possit, non video. Dein in Brevic. Collationis cum Donatistis collat. tert. dici c. 8. & 9. sic narrat, & simul mentem suam explicat: Donatista (sicut nunc Lutherani faciunt) prolatis multis testimonijs Divinarum Scripturarum, quod Ecclesia DEI non cum malorum hominum commixtione futura praedicta sit, ostendere tentaverunt. Tamen postea, cum ad Evangelicam similitudinem venissent, quam Catholici in mandato suo posuerant, de retibus in mare missis, quibus congregari dixit Dominus omnia generapiscium, & bonos & malos in littore, hoc est, in fine saeculi separari: etiam ipsi fassi sunt, in Ecclesia esse permixtos saltem occultos malos. Et infra: Ipse (Cyprianus sic intellexit, sic scripsit, quemadmodum ea Catholici in suo Mandato posuerunt: quod & dominus Judam ad exemplum malorum in Ecclesia tolerandorum perculerit; & Paulus eos, qui Christum per invidiam annuntiabant, non extra sed intra Ecclesiam sustinuerit. Rursus: sic ostendentes (Catholici) Divina testimonia consonare, uti & illa, quibus commendaretur Ecclesia cum malorum commixtione, hoc tempus ejus significarent, qualis est in presenti saeculo, & illa testimonia, quibus com-

mendatur, non habere commixtos malos, illud ejus tempus significarent, qualis in aeternum venturo saeculo futura est: sicut nunc mortalis est, id est, ex mortalibus hominibus constat, tunc autem immortalis erit, quando in ea nemo morietur. Denique l. 4. contra Cresconium Grammaticum (ut alios quam plurimos textus praeferam) c. 59. sic ait: *frumenta sola in horrea recondentur, nunc Ecclesia tanquam area cum palea trituratur. Hoc est, quod vos urget ac premit, & nisi corrigamini, exstinguit. Capite vobis hoc o Lutherani & Calvinista!*

Probatum 3. ex ratione. Si solum iusti & electi sunt in Ecclesia, tunc dantur duae Ecclesiae Christi omnino diversae, quarum una sit vera & invisibilis, altera apparens tantum & visibilis, consistens in malis, hypocritis, & non electis: sed hoc est contra Scripturam, Symbolum Apostolorum, Concilia, Patres &c. qui tantum loquuntur de una Christi Ecclesia in terris adhuc militante, imò & contra Adversarios, uti vidimus sciendo 5. ergo. M. P. Vel Ecclesia invisibilis, constans ex meris Justis & Sanctis, est tota Christi Ecclesia, vel tantum pars? Si tota: admittitur duplex Christi Ecclesia, quia praeter hanc datur alia, quam vocant visibilem Ecclesiam, complectens simul peccatores, injustos, hypocritas, ceteri illi, in quo existunt iusti & sancti fidem internam exterius profitentes, sociatos, & immixtos, quam Ecclesiam honorant etiam titulo Ecclesiae Christi, quantumvis peccatores

cores simul cum sanctis complexam, compulsi à Scriptura, quæ Ecclesiam Christi comparat aræ congreganti triticum & paleas &c. Imò admittunt specialem definitionem Ecclesiæ visibilis, ut constat ex n. 5. Si verò dicant, quòd Ecclesia invisibilis Sanctorum sit tantum pars Ecclesiæ Christi, habemus intentum; altera enim pars erit Ecclesia visibilis, constans ex justis & peccatoribus eandem fidem profitentibus; & sic tam peccatores quam sancti erunt partes, seu membra Ecclesiæ constitutiva.

Confirmatur. Si soli boni & justus sunt in & de Ecclesia, sequitur 1. Neminem posse scire, ubi & quænam sit vera Christi Ecclesia; quia nemo scire potest certò, ubi & quænam determinatè sint revera boni, justus, & sancti. Sequitur 2. Frustra Christum instituisse Pœnitentiam, quia instituit pro ijs, qui sunt membra Ecclesiæ: nemo autem juxta Adversarios est Ecclesiæ membrum, nisi sit justus & sanctus: hujusmodi autem non opus habent pœnitentiã.

2. Probatur 4. ad hominem. Si soli justus & sancti sunt vera membra Ecclesiæ Christi, tunc nullus Lutheranus est in & de Ecclesia Christi, seu verum membrum: sed Consequens admittere renuunt Lutherani: ergo nec Antecedens debent admittere. M. P. Nullus Lutheranus est justus & sanctus: ergo. A. P. Juxta Lutheranorum principia, quæ refert & sequitur etiam M. Lomer Præco Augustanus in seiner fortgesetzten Abfertigung p. 19. 20. 123. 125. 126. 230. 265. 288.

406. Item 217. 429. 430. omnes, etiam Renati, sunt peccatores, tum propter peccatum originale, quod semper manet, tum propter actualia, quæ committuntur constanter etiam ab infantibus, fatuis, dormientibus, per motus concupiscentiæ etiam involuntarios, & indeliberatos, item per omnia opera etiam pia, quia juxta ipsos, sunt semper peccaminosa, & si DEUS secundum negotem ea judicare velit, æternò supplicio inferni digna; cum mandata DEI perfecte observari non possint, & negatio hujus perfecte observationis, quam DEUS exigit in se diligendo, & in vitandis concupiscentiæ motibus, sit ex se peccatum mortale; nam juxta Lutheranos omnia peccata sunt ex natura sua mortifera, & æternò gehennæ supplicio digna, etiamsi homo careat libertate arbitrij ad faciendum actum bonum spiritualem, & ad vitandum malum. Cum igitur juxta hanc doctrinam Lutheranorum omnes homines sint peccatores, injusti, æterna damnatione digni, quia semper peccant; quod etiam ex Scriptura probare volunt, quæ dicit: *in multis offendimus omnes.* Jac. 3. v. 2. *Septies enim cædet justus.* Prov. 24. 16. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* 1. Jo. 1. v. 8. Et quis est ex Lutheranis, qui utpote cupiditatibus carnalibus & terrenis implicatus, non quotidie imò singulis ferè momentis peccet cogitationibus vanis, carnalibus, invidis, vindicativis &c. verbis otiosis, scurrilibus, charitatem proximi ledentibus &c. sensuum oblectamentis, torpore in servitio & dilectio.



tionē DEI &c. ? Cū igitur, inquam, omnes Lutherani sint peccatores, & quidem inferno digni juxta propria dogmata; nullus ex eis erit verum membrum Ecclesiæ Christi, & consequenter nullus salvandus.

12. Dices 1. quamvis omnes sint peccatores, non tamen omnes sunt injusti, impij &c. præcisè peccatores sunt & dici possunt omnes, quia omnes habent peccatum, illud tamen non omnes permittunt regnare in suo mortali corpore; e contra qui faciunt peccatum, & iniquitatem operantur (nimirum deliberatè & deditâ operâ) illi peccatum in se regnare sinunt, & ideo sunt impij, injusti &c. Isti non sunt de Ecclesiâ, quamvis sint illi, qui præcisè habent peccatum. R. habere peccatum (nondum pœnitentiâ deletum & sublatum) constituit animam æquè peccatricem & injustam, ac operari & facere peccatum: nec aliter differunt, quàm quod in uno casu peccatum actu committatur, in altero autem jam sit antea commissum: utriusque dormiens post commissum peccatum furti vel adulterij manet injustus, impius &c. etsi actu non suretur &c. modo prius per pœnitentiâ non deleverit istud peccatum: juxta Adversarios autem nunquam deletur vel tollitur ullum peccatum per pœnitentiâ, sed tantum tegitur: ergo semper adest peccatum & iniquitas, quæ non potest non displicere Deo, ubicunque est, nec esse ignota: nunquid odio est Deo impius & impietas ejus? Sap. 14. Deinde nunquam non operantur peccatum Lutherani, si non committendo

aliquid contra legem Dei; & ex passione concupiscentiæ, saltem omittendo, ad quod obligat Lex æterna. At non liberè & deliberatè, replicabis. Datur ergo libertas ad peccandum? ergo etiam ad non peccandum (quod alibi totis viribus negatis) nam liberè & deliberatè peccare est ita peccare, ut aliquis posset non peccare.

Dices 2. Lutheranos justificari & resurgere à peccatis per fidem in Christum. Sed contra est 1. Quia non possunt credere, ut oportet, in Christum, utpote carentes libero arbitrio in rebus spiritualibus internis. Lomer p. 217. DEUS autem non remittit peccatum, nec justificationem operatur in homine, nisi homo se prius convertat ad DEUM per pœnitentiâ juxta illud: Convertimini ad me, & convertar ad vos. Zach. 1. v. 3. Si conversi egerint pœnitentiâ, propitiave peccato populi tui. 2. Paral. 6. v. 24. 25. 2. Quia non possunt amare DEUM, ut oportet, ex eadem ratione: fides autem sine charitate nihil prodest. 1. Cor. 13. v. 2. 3. Et fides sine operibus mortua est. Jac. 2. v. 29. Item nunquam potest amari DEUS, quantum amari se præcipit, juxta Lutheranos, & sic in omni dilectione peccant; quomodo ergo per & cum actu peccaminolo ex peccatoribus fient justis? 3. Quia sine pœnitentiâ non dimittitur peccatum, nec homo peccator sine illa fit justus: Nisi pœnitentiâ habueritis, omnes similiter peribitis. Luc. 13. v. 3. 5. Atqui in sola fide non consistit pœnitentiâ, quæ essentialiter involvit dolorem & detestationem peccati. 4.

Quia etiam si per solum fidem ( quod tamen est impossibile juxta presens Dei Decretum ) resurgerent, mox iterum relaberentur, & sic raris essent vera Ecclesiae membra, & quamvis per unum vel alterum momentum essent, mox iterum desinerent, & extra Ecclesiam morerentur, aeterna damnatione digni serè semper, nisi morerentur cum actu fidei, seu in ipso actu fidei.

Advertere hic placet consensionem, quae Lutheranis hac in parte intercedit cum Novatianis & Donatistis, pridem ab Ecclesia damnatis, quos & ipsi Lutherani pro Haereticis habent. *Novatiani*, ut tradit Bellarm. l. 3. de Eccl. Milit. c. 2. in suo cœtu omnes peccatores retinebant ijs exceptis, qui lapsi fuissent circa fidem: at qui Lutherani idem faciunt, dum docent, nullum peccatum excludere ab Ecclesia, nisi peccatum infidelitatis, eò quod omne peccatum deliberatè admissum tollat fidem; cætera autem peccata *infirmittatis*, ut vocant, nihil obesse. Dein *Donatista* iisdem argumentis impugnabant Catholicos, ut patet ex breviculo collationis cum Donatistis collat. tert. dici apud S. August. quibus hodie Catholicos impugnant Lutherani. Vid. n. 10.

13. Dico 2. Ecclesia Christi rectè definiti potest hoc modo: *est Cœtus vocatorum ad justitiam & salutem acquirendam per puram Verbi predicationem & fidem, legitimèque Sacramentorum usum, sub regimine Pastorum à Christo institutorum.* Ita P. Vitus Erbmann in suis Trophæis Troph. 1. juxta mentem & communem sensum Theologorum Catholicorum.

Quippe ipsa & in essentialibus convenit hæc definitio cum Bellarmini, qui sic definit: *Est Cœtus omnium ejusdem Christiane fidei professione, ac eorundem Sacramentorum Communionem colligatus sub regimine unius Christi in terris Vicarij, seu Romani Pontificis.* Item eum definitione, quam tradunt DD. à Wallenburch de Unit. Eccl. l. 1. cap. 1. *Est Congregatio hominum à Deo per Evangelicam doctrinam convocatorum, veram fidem Christianam sub legitimorum Pastorum regimine profitentium.* Idem exprimere volunt alij paucioribus verbis, dicentes: *Est Congregatio omnium Christi fidelium: Cœtus fidelium &c.* In Scripturis autem appellatur Corpus Christi, Sponsa Christi, Regnum caelorum, Civitas Dei, Domus Dei, Vineam Domini, Amica Christi, Hortus conclusus, Paradisus, Arca Noë, Ager, Granum synapis, Tacfarus, Sagena &c.

Colliges nunc ex dictis 1. Vera Ecclesiae membra esse omnes & solos, qui pura fidei professione ac debito Sacramentorum usu sub uno Pastore visibili, Christi vicario, Romano Pontifice non solum Deo, sed & hominibus innorescunt, sive deinde sint sancti & justii, sive peccatores aut reprobi. Econtra Ecclesiae membra non esse, qui non profitentur purè & integrè fidem Christi, nec Sacramento Baptismi initiati sunt, nec alijs Sacramentis à Christo institutis utuntur, nec Christi Vicarium, Universalem Pastorem, qui est Romanus Pontifex, agnoscunt, nec obediunt eidem. Unde membra Ecclesiae

certò non sunt infideles omnes, seu non baptizati, uti *Gentiles, Judaei, Turcae*. Item *Haeretici, saltem aperti, Apostatae, & Schismatici* non purè tales, sed qui simul, ut ordinariè fit, habent errorem in fide cum pertinacia. Si verò sint purè *Schismatici*, hoc est, præcisè inobedientes legitimo Pastori citra errorem in aliquo fidei articulo, probabilius sunt membra Ecclesiae, sicut civis inobediens suo Magistratui manet adhuc civis.

15. Quid autem sentiendum de Haereticis occultis, Excommunicatis, & Catechumenis, variant Doctores, etiam Catholici. *Haeticos occultos* simpliciter excludit Turcremata & alij apud Tannerum, non excludit Bellarminus & alij, utriusque non sine probabili ratione. Fortè sic conciliantur: Haeretici occultis apparenter & in foro externo sunt in Ecclesia, realiter & in foro conscientiae sunt extra. Id certum est, quòd Praelati, si sint occultis haereticis, retineant suam jurisdictionem in bonum Ecclesiae; non enim in moralibus necesse est, ut ille, qui caput est (praesertim si non sit sermo de supremo Capite) sit etiam membrum, & qui praest, etiam fidem interiùs habeat; nam similitudo Capitis respectu Ecclesiae non procedit in omnibus, sed solum quoad dignitatem, potestatem, & praeminentiam. Neque Christus fuit membrum Ecclesiae, nec fidem habere potuit, & tamen fuit Caput Ecclesiae olim visibile, nunc invisibile. *Excommunicati*, si non habeant errorem in fide, probabiliter sunt membra Ecclesiae ab-

solute, licet secundum quid, nempe secundum communionem cum fidelibus in bonis operibus & Sacramentorum participatione, sint ad tempus, donec resipiscant, relecti; excommunicatio enim est poena Medicinalis: sicut autem medicina corporalis non removel membrum à corpore omnino, sed affligit, ut sanet; ita hæc medicina spiritalis. *Catechumeni* denique, qui quidem jam profitentur fidem Christi, nondum tamen baptizati sint, sed Baptismum adhuc desiderant, possunt dici esse membra Ecclesiae in voto, & secundum quid, non tamen actu, absolute, & complete.

Colliges 2. Quid sentiendum de definitionibus Ecclesiae, & de visionibus ejusdem in visibilem & invisibilem, quas supra adduximus ex Lutherano- rum & Calvinistarum libris Symbolicis & Doctoribus. Quippe Ecclesia non solum complectitur Sanctos & Electos, sed etiam vocatos tantum, peccatores, improbos, & reprobos, si veram fidem retineant & profiteantur &c. Ecclesia autem invisibilis soli DEO cognita implicat, cum essentialiter requiratur fidei professio & Sacramentorum sensibilis usus, ac agnitio visibilis Christi Vicarij, quem suae Ecclesiae Christus constituit; cum ejus Ecclesia sit Regnum, Domus, Navis, Civitas &c. sed illa non sunt bene constituta sine Rectore, Patrefamilias, Navarcho, Governatore &c.

Colliges 3. Nostram Ecclesiae definitionem etiam convenire Ecclesiae Veteris Testamenti, seu Synagoga, quae proinde essentialiter non differt ab Ecclesia Christi, sed tantum accidentaliter,

ter, quia tunc in venturum, nunc vero in presentem creditur Christum Mundi Messiam, & presente figurato cessarunt figura; quia omnia, quae nunc creduntur, jam tum credita sunt implicite & generaliter, licet non distincte & explicitè, utpote nondum ita distinctè revelata. Propter majorem hanc Divinorum Mysteriorum revelationem & lucem Evangelicam, propter pauciora & nobiliora praecepta, propter abundantiores gratias, quas habemus

ex praesentia Christi, propter efficaciora & sanctiora Sacramenta clarior, facilius, nobilior, estimabilior, & sanctior est Ecclesia Christi, quam Ecclesia Judaica, quae propterea communiter non Ecclesia, sed Synagoga appellari consuevit; eum Synagoga significet *Congregationem* tantum, quae ex se hominibus & bestiis congruere potest, Ecclesia autem significet *Evocationem*, evocari autem solis hominibus proprium sit, ut notat Bellarminus.

*Solvuntur Objectiones.*

18. **O**B. 1. Ecclesia in Scripturis & Symbolis dicitur *sancta*, *tota pulchra*, *non habens maculam & rugam*, *redempta à Christo*, *vivificata*, *acta à Spiritu S.* &c. Sed haec praedicata honorifica non possunt convenire toti multitudini Christianam fidem profitenti, sed solum justis, sanctis, & electis: ergo Ecclesia non est congregatio omnium, tam peccatorum, quam sanctorum & justorum, sed solummodo sanctorum.

R. 1. N. m. vel dist. Non possunt convenire toti multitudini denominative sumptae. N. m. formaliter sumptae, ita ut singulis membris seorsum conveniant. C. m. Etiam si haec praedicata tantum aliquibus & principis membris Ecclesiae conveniant formaliter & inhaesive, tamen rectè dicuntur de tota Ecclesia: Sic totus exercitus rectè denominatur & dicitur gloriosus, victoriosus, fortis, licet in eo sint multi ignavi, imbelles, & ingens lixarum grex: Sic

totum regnum rectè denominatur & dicitur opulentum, licet multos habeat paupertate pressos: Sic tota civitas rectè denominatur optimè ordinata, prudens, laboriosa, negotiosa &c. licet in ea sint mali, turbulenti, pigri &c. scilicet denominatio sit vel à potiore numero, vel à praesentia praecipuorum membrorum. Sancti autem & justi sunt praecipua Ecclesiae membra. R. 2. Dist. aliter m. haec praedicata (*esse sanctam, totam pulchram* &c.) non conveniunt Ecclesiae ratione singulorum membrorum. C. m. Ratione quorundam. N. m. Dein conveniunt ipsi ratione Auctoris, doctrinae, finis, mediolorum, praecceptorum, Sacramentorum, quae omnia ex toto sancta sunt, immaculata, pulchra, & sine ruga. R. 3. Hoc argumento posse optime pro se uti, siquid valeat. 1. Pelagianos & Anabaptistas, juxta quos Ecclesia est *Congregatio perfectorum*. 2. Calvinistas, juxta quos Ecclesia est *Congregatio sanctorum*.  
Pra-

*Predestinatorum*, seu absoluto DEI decreto electorum; quod Lutherani nec volunt nec possunt admittere. 3. Novatianos & Donatistas juxta dicta n. 12.

19. Ob. 2. Ecclesia est Corpus Christi mysticum: ergo sicut ad verum membrum corporis humani requiritur, ut animetur & regatur à spiritu, ita etiam ad verum membrum Ecclesie requiritur, ut animetur à Spiritu S. & vivum sit vera fide & sanctitate. 2. Una & eadem manus non potest esse membrum duorum corporum: ergo neque idem homo potest esse membrum Christi Corporis propter fidem, & diaboli propter improbos mores. 3. Ecclesia est edificata super petram: sed impij non sunt edificati super petram, sed super arenam. 4. Non habebit DEUM Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem: ergo vice versa non habebit Ecclesiam Matrem, qui DEUM non habet Patrem: sed impij DEUM non habent Patrem. 5. *Qui Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Rom. 8. Sed impij non habeant Spiritum Christi, scilicet Spiritum charitatis &c. ergo.

R. ad 1. Sicut in corpore physico humano aliqua partes habent vitam perfectam, uti cerebrum, alia minus perfectam, uti caro, alia adhuc imperfectiorem, uti ossa, ungues, capilli, & alia probabiliter nullam, uti sanguis & reliqui tres humores, quæ tamen omnia nihilominus membra vera & partes integrantes sunt humani corporis: ita etiam aliqui fideles habent vitam valde perfectam, nimirum eximia charitatis in DEUM & homines, alij minus perfectam, nimirum gratia sanctificantis sal-

R. P. Pichler Theol. Polemica,

tem, vi cuius sunt justii, alij nimirum peccatores imperfectam, nempe fidei tantum, & externam illius professionem; & per hanc vitam recipiunt alimenta doctrinae Christianæ, in fide possunt proficere, & alios etiam fideles generare; nam & per hæc membra potest operari Spiritus S. tanquam per instrumenta utilia, licet aliquo modo, nimirum quoad charitatem & gratiam, mortua sint. Ad 2. D. A. non potest esse membrum duorum corporum Physicum. C. A. Morale. N. A. alias Job non potuisset dicere: *Oculus fui cæcus, & pes claudus.* Job. 29. v. 15. Sic idem homo potest esse membrum duarum communitatum, Congregationum &c. Ad 3. D. m. Sed impij non sunt edificati super petram, ratione morum C. m. Ratione fidei N. m. Ad 4. ex varijs titulis potest aliquis dici filius, & inter hos est etiam titulus doctrinae: ergo qui veram fidei doctrinam profitentur, sunt filij Patris æterni, licet sint peccatores, & non sint filij dilecti quoad mores. Ad 5. Impij, si verè credant & fidem profiteantur, habent Spiritum Christi aliquo modo, & aliquam vitam, licet non habeant vitam perfectam, & Spiritum charitatis.

Ob. 3. ex PP. Clemens Rom. ep. 1. 20. ad Jacob. frat. Dom. ait: *Sponsam Christi dico omnem Ecclesiam, id est, congregationem credentium, quæ si pudica fuerit inventa à Sponso suo, ingentibus ab eo donis & muneribus honorabitur &c. Si verò Sponsa hæc reperta fuerit commaculata peccatis, ipsa quidem tanquam indigna trudetur à regalibus thoris.* Clemens Alexand. Strom. 1. 7.

T

l. 7. non enim nunc locum, sed electo-  
rum congregationem appello. Et circa  
finem: Ex ijs, quae praedicta sunt, ma-  
nifestum esse existimo, unam esse veram  
Ecclesiam, eam, quae verè est antiqua,  
in cuius catalogum referuntur ij, qui  
sunt iusti secundum propositum. Et  
infra: per unum Dominum congregat  
eos, qui sunt iam ordinati, quos prae-  
destinavit Deus, cum eos iustos futuros  
cognovisset ante mundi constitutionem.  
Cyprianus de Simplicitat. Praetor. Ec-  
clesia spiritu animamur, adulterari  
non potest Sponsa Christi, incorrupta  
est, & pudica. Pacianus ep. 3. ad Sym-  
pron. peccator & penitens non est Ec-  
clesiae macula; quia quamdiu peccat &  
non penitet, extra Ecclesiam constitu-  
tus est. Ambrosius Orat. in Auxent. de  
Basilicis tradend. Non lex Ecclesiam  
congregavit, sed fides Christi, lex e-  
nim non est ex fide, iustus autem ex fide  
vivit. Hieron. ep. ad Rusticum, quae  
incipit. quod ignotus Sec. Eos plan-  
ge, qui per scelera atque peccata egre-  
diuntur de Ecclesia, & nolunt ultra re-  
verti ad eam damnatione victorum.  
Chrysost. serm. in Joseph de continen-  
tia. Audent fidelium quidam abscin-  
dere se à Christo, & se jungere me erri-  
sibus. Augustinus de salutaribus do-  
cumentis c. 52. quamvis diversa mem-  
bra diversa habeant officia, si charita-  
tis tamen unitate teneantur, omnia  
membra tunc merebuntur ire post ca-  
put. Et infra: caveamus, & per omnia  
caveamus, ne per invidiam, odium,  
detractionem, iram, & rixam, à ca-  
pite nostro Domino IESU Christo prae-  
sidamur. Item: cum patitur aliquis

tribulationem &c. si dolemus pro illo &  
compatimur, quantum possumus, in  
corpore Ecclesiae constituti sumus. Ex  
l. 2. contra Crescon. Grammat. propter  
malam corruptamque conscientiam  
damnati à Christo iam in corpore Chri-  
sti non sunt, quod est Ecclesia, quoni-  
am non potest habere Christus membra  
damnata &c. Omnia quippe ista mon-  
stra, absit omnino, ut in membris illius  
columba unica computentur, absint,  
ut intrare possint limites horti conclu-  
si. Gregor. M. in Exposit. Moral. l. 13.  
c. 4. membra ergo Ecclesiae ad nihilum  
rediguntur, quando ex imitatione pra-  
vorum in hoc mundo crescentium infir-  
mi quique deteriori infirmantur. Vi-  
dentes etenim felicitatem malorum sa-  
pe ab ipso fidei statu delabuntur &c.  
Hos & similes textus, praesertim ex S.  
Augustino coaccervant & corradunt plu-  
rimos Lutherani, sed irrito profusus  
molimine: Siquidem

Pro responsione notandum 1. hu-  
jusmodi textus saepe Catholicis favere.  
2. non raro servire Calvinistis magis  
quam Lutheranis. 3. frequenter sub-  
dole citari, verbis quibusdam, ad rem  
pertinentibus, omisiss &c. 4. subin-  
telligendos esse de tota Ecclesia col-  
lective sumpta, quae necessariò est &  
dicitur sancta, quamvis non totaliter,  
& in singulis membris. 5. intelligendos  
de ijs, qui moribus & vita ratione  
non implent opus fidei 2. Thess. 1. &  
pravis factis deficiunt à vocatione sua,  
dum non tales exhibent mores, quos  
fidei, quam profitentur, doctrina exi-  
git: tales enim quamvis participant  
essentialem formam Ecclesiae, non ta-  
men

men participant ornamenta & dotes, quibus illa refulget, & sub hac formalitate rectè negantur esse de Ecclesia, quamvis sint in Ecclesia, cum magis ei officiant, quàm profint. 5. & ideo sæpe intelligendos potius de fine, ad quem ordinati sunt fideles & vera membra Ecclesiæ, quàm de forma illius essentiali. 6. vel intelligendos de Ecclesia Triumphante, vel olim futura in Cælis. 7. vel de Unitate pacis, Charitate, Sanctitate Ecclesiæ, non de Forma constitutiva. 8. vel denique de peccatoribus non quibuscunque, quos excludunt ab Ecclesia, sed lapsis in hæresim vel infidelitatis peccatum. In his 8. fontibus sæpe invenire & haurire poteris unam vel plures responsiones sufficientissimas ad Patrum dicta, quæ videntur nobis contraria. Adde, quòd plerique textus, uti & reliqua Lutheranorum argumenta, si aliquid probarent, etiam pro Pelagianis, qui dicunt, Ecclesiam esse *catum perfectorum*, vel pro Calvinistis, qui dicunt, esse *catum Prædestinatorum*, probarent, adeoque in his adversus Lutheranos retorqueri possent solvenda.

In specie ad allatos textus R. sic. *S. Clemens Rom.* favet magis quàm præjudicat Catholicis, tum quòd Ecclesiam vocet congregationem *Credentium*, non *Sanctorum*, ut Lutherani definiunt, tum quòd vocet *Sponsam*, etiam peccatis commaculatam: quòd autem punienda sit propter peccata, libenter confitemur. *Clemens Rom.* longè magis Calvinistis, quàm Lutheranis favere videtur, ut patet ex verbis *electorum, justis secundum propositum*. *R. P. Pichler Theol. Polemica.*

*tum, quos prædestinavit DEUS &c.* Nobis non obstat, quia fatemur, omnes prædestinatos spectare ad Ecclesiam Christi saltè aliquando, quia quos prædestinavit, hos & vocavit: sed non tantum eos vocavit in Ecclesiam, quos prædestinavit. Dein notent Adversarij, unam Ecclesiam esse veram, & quidem illam, quæ *verè est antiqua*, & considerent, Ecclesiam suam non esse verè antiquam, cum ante 200. annos nullus uspiam hominum in omnibus talem doctrinam fidei professus sit aut docuerit, qualem ipsi. *S. Cyprianus* loquitur de tota Ecclesia totaliter sumpta, quam nos adulterari, & in errores fidei aut gravia peccata labi non posse fatemur, quin & totis viribus contendimus. *Pacianus* fraudulenter citatur, nam verba, quæ ad rem maxime faciunt, omittuntur, nimirum ista: *Ecclesia est non habens maculam neque rugam, hoc est, hæreses non habens &c.* Patet ex his, quos intelligat peccatores, nempe hæreticos, quos & nos pro membris Ecclesiæ non habemus. *S. Ambrosius* est pro nobis, si enim Fides congregavit Ecclesiam, non Lex; membrum Ecclesiæ erit, qui habet fidem, sive deïn servet legem sive non servet, hoc est, justus sit seu peccator: justus ex fide vivit, quamvis non solâ. *S. Hieronymus* eatenus verum dicit, quatenus peccatores egrediuntur de Ecclesia Triumphante, & excidunt sine fidelibus præstituto; de Militante enim non egrediuntur, per quodlibet peccatum, nec amittunt formam essentialiter constitutivam verorum fidelium,

nempe fidem. Quid sentiat S. Hieron. vidimus supra n. 10. quibus clarissimis textibus non præjudicare debet alius in speciem contrarius, sed explicandus est ad illos, ut evitetur contradictio. S. Chrysostomus rectè reprehendit illos, qui per peccata sua se abscindunt à charitate, & sanctitate Christi, qui ejus servicio se subtrahunt serviendo peccatis luxuriæ, & sic à Christo tanquam *sine suo* separantur, non tamen à Christo tanquam *capite Ecclesie*. S. Augustinus, cujus mentem evidentissimè à se ipso explicatam supra vidimus n. 10. hic loquitur de separatione, quæ fit per lesionem charitatis, quæ præciduntur crudelis in proximum à corpore Ecclesie ut dono. & dote charitatis ornata, non simpliciter sumptæ. Quod scribit ad Cresconium Grammat. intelligendum est de hereticis occultis, ut apparet ex precedentibus, dum S. August. allegat illud Christi Jo. 3. *qui non credit, jam judicatus est &c.* Dein intelligi potest de Ecclesia Triumphante; nam utique ibi non possunt cum Christo esse membra *damaata*, ubi unica columba jam fuerit translata in Hortum Conclusum Cælestis Paradisi. S. Gregorius, ut alias responsiones dissimulem, manifestè loquitur de lapsis in peccatum infidelitatis, ut patet ex ultimis verbis: hujusmodi autem etiam nos excludimus ab Ecclesie corpore.

21. Ob. 4. iterum ex Scriptura, de qua more solito cumulant textus, crinibus etiam attractos, ut multitudine obruant legentem, & vel numero (cum efficaciam nequeant) opinioni suæ auctoritatem

saltem apparenter concilient. Ad Rom. 12. v. 4. & 5. dicitur: *sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus (in Christo)*. Idem Paulus 1. Cor. 6. ait: *nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? An nescitis, quoniam qui adheret meretrici, unum corpus efficitur? Qui autem adheret (adglutinatur) Domino, unus spiritus est.* 1. Tim. 3. v. 15. *Ecclesia est domus DEI, columna & firmamentum veritatis.* Item in Canticis vocatur *Soror, Sponsa, Amica* Christi. Et Christus in Evangel. Jo. 15. *omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum &c.* Hi textus sunt, qui plus cæteris habent apparentiæ; nam alij adhuc minus huc quædeant. Quis autem non videt, nec istos vel à longe comparandos ijs in claritate, quos supra pro nostra sententia ex SS. Litteris adduximus. Ex primo non video, qualis conclusio pro Adversarijs deduci possit contra nos: etiam si corpus sit *unum*, tamen membra sunt diversa, & diversas operationes vitales, modo & non vitales elicientia, quod indicat ipse Paulus, dicens, *omnia membra non eundem actum habent.* Ad 2. Qui meretrici jungitur, tollit quidem & aufert Christo, quod ipsi debet, nempe conjunctionem per charitatem, & ideo efficitur membrum quoad vitam Charitatis mortuum, non verò quoad vitam fidei, secundum quam adhuc conjunctus manet Christo, & unus spiritus cum ipso. Ad 3. Est *Domus Dei*, in qua



qua tamen sunt vasa aurea & fictilia, in honorem & contumeliam. Est *columna veritatis*: ergo omnes, qui veritates fidei profitentur (quod etiam peccatores faciunt) inmittuntur huic columnæ. Ad 4. *Soror, Sponsa, Amica* Christi vocatur Ecclesia eatenus, quatenus per fidem est Christo desponsata & intimè conjuncta: dein quatenus complectitur multas animas, verè amantes, sponfas, & amicas Christi, per intimam charitatem conjunctas, sed tunc per synecdochen tribuitur denominatio toti, quæ tamen tan-

dum reperitur in quibusdam partibus. Demum de tota Ecclesia etiam secundum omnes partes hæc prædicata verificantur in altera vita. Ad 5. tollit eum, quando veniet tempus mellis, ubi etiam zizania tollentur, nempe post hoc sæculū: nunc verò tolerantur sicut zizania cum frumento, ita & palmites steriles cum frugiferis, saltem quoad conjunctionem per fidem. Denique his textibus aequè pro se uti poterant olim Donatista, Pelagiani, quin & nunc Calvinista.

*Auditor & expeditur M. Renzjus.*

22. Sciendum, per integrum quadrien-  
nium, quo verfabar Augustæ, ex  
septenis Opusculis Polemicis, quæ ibi  
edita nunc in unum librum redigo, nul-  
lum ab Adversarijs resutatam fuisse.  
Post meum verò indè discessum M. Jo.  
Bapt. Renz Lutheranus Pastor juxta  
Basilicam S. Udalrici Augustæ Vindel.  
calamum strinxit contra unum ex illis,  
cui Titulus *Vera Fides*, imò contra uni-  
cum tantum ejus Articulum I. præsen-  
tem, in quo duas assertiones pono,  
nempe definitionem Ecclesiæ: dein in-  
ter vera Ecclesiæ membra censendos. es-  
se etiam peccatores & improbos, modò  
baptizati sint, & peccatò infidelitatis  
non laborent. In hoc Tractatu Renz-  
ziano Germanico, duarum Propositio-  
num mearum impugnatore, pro palma  
certant Scriptoris inurbanitas (ut quàm  
urbanissime loquat) & malfitiosa simpli-  
citas, identidem sese objicientes legenti.  
Primum vitium ipse agnovit, dum

pag. ult. ita scribit: Sollte meine  
Herren Gegnere düncken wollen/ ich  
habe mich in diser Schrift hier und  
dar mit Hindansetzung der Liebe und  
Civilität etwas zu vehement gegen  
ihnen erweisen / so wollen sie es doch  
ja keinem Haß und Bitterkeit / son-  
dern allein dem Eysset zuschreiben /  
und glauben / daß / wann ich zu ge-  
nugsamer revidirung Zeit gehabt hät-  
te / gewiß noch ein uad die andere  
expression gemildert worden wäre.  
Wolte sich jemand vor la dirt ach-  
ten / so hat er von mir hiemit die auf-  
richtige Declaration, daß ich allhie  
nichts animò injuriandi geschriben.  
Siccine tempus non defuit ad scriben-  
dum: contra Urbanitatis & Charitatis  
leges, defuit tamen ad revidendum, &  
delendum, quod perperam scriptum  
est? siccine fervori dandum & astui,  
quod amarus exprellit calamus? siccine  
omnis statim calumnia, cavillus, in-  
juria

jurta sublata est, si calumnians &c. dicat, se non animò injuriandi id fecisse? An satisfactum tibi crederes M. Renzi, si quis te sacrilegum, adulterum &c. vocitasset, mox tamen subjungeret: si Dominus offensum se putet, deprecor: vel si quis tibi sonantem colaphum infringeret, cum protestatione tamen, se non ex odio, aut animò laedendi, infixisse? Ex quo etiam aliquatenus promicat malitiosa viri simplicitas, quod tamen vitium deinceps magis se proder, inter alia etiam, dum plurima coarcevat ad rem non pertinentia (quæ si omisisset, tempus ad revidendum & emendandum non defuisset) alia autem, quæ ad rem pertinere videntur, turpi tautologia ad fastidium usque repetere non cessat & recoquere. Statueram dissimulare responsum, tam quia parùm stringit, & cuius rerum perito in promptu est, quid opponat ejus cavillationibus, tum quia vernaculo idiomate scribit adversus opusculum Latini Sermonis; quod sanè turpe est & indignum. Quid horres, mi bone, in Latino Sermone, cum is tamen longè aptissimus sit ad breviter, clarè, & solidè docendum? an fortè eum non satis calles? at hoc Pastori tam Augustæ Civitatis probrosum foret. An energiam illius, & præsertim vim Syllogisticam, quæ in Germanico non ita elucet, declinare intendis? At hoc perverfi animi, non veritatis studium denotaret. Sed quidquid sit; cum recudi denuo contingat Opuscula mea Polemica, occasionem arripui ad potiora respondendi breviter, neglectis illis, quæ vel à scopo aliena sunt, vel

me non tangunt, vel ita cassa apparent, ut quilibet inanitatem palpate valeat.

Primum itaque, quod M. Renzio non probatur, est Ecclesiæ definitio, quam ex P. Vito Erbeimann in hunc modum posui: *Est cætus vocatorum ad justitiam & salutem acquirendam per puram Verbi prædicationem & fidem, legitimèque Sacramentorum usum, sub regimine Pastorum à Christo institutorum.* Quam definitionem dixi esse ad mentem communèque sensum Catholicorum Doctorum, & quoad substantiam atque rem ipsam convenire cum Bellarminiana ac aliorum definitionibus. Sed contrà

Objicit 1. *Istud regimen Pastorum* 23. est additamentum novum, ab Antiquis Catholicis ignoratum, nec positum in definitionibus Ecclesiæ. 2. allata definitio discrepat multum à Bellarminiana; quia Bellarminus addidit: *ac præcipue sub regimine unius Christi in terris Vicarij, seu Romani Pontificis.* 3. nec regimen nec modus Regiminis ad Ecclesiæ essentiam spectat, adeoque in definitione poni non debet. 4. Melior est antiquiorum Catholicorum opinio, Ecclesiam ita describentium: *est cætus hominum ad veram agnitionem & servitium DEI, nisi & ad societatem vera Religionis à DEO vocatorum.* 5. Sicuti ex Pontificiorum DD. definitionibus subscribere oporteret, præferenda esset, quam tradit Nicolaus Papa *Can. Ecclesia dist. 1. de Consecr.* ubi ait: *Ecclesia est collectio Catholicorum.*

R. ad 1. additamentum novum non est, sine quo juxta antiquorum

Catho-

Catholicorum, SS. PP. S. Pauli, & ipsius Christi doctrinam Ecclesia non subsistit, prout à Christo constituta: at qui sine regimine legitimorum Pastorum non subsistit Ecclesia, prout à Christo constituta, juxta antiquorum Catholicorum, SS. Patrum, S. Pauli, & ipsius Christi doctrinam: ergo. M. P. Catholici antiqui cum SS. Patribus agnoverunt & paruerunt legitimis Pastoribus, & vel maxime Romano Pontifici tanquam supremo, idque necessarium esse credebant, ut docui in *Papatu nunquam errante*. S. Paulus Act. 20. præcepit sic: *attendite universo gregei, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam DEI*. Et Hebr. 13. 17. *obedite Præpositis vestris*. Christus autem de Ecclesia sua à se fundata pronuntiavit: *siet unum ovile, & unus Pastor*. Jo. 10. 16. Quis ille Pastor? certe non alius, nisi ad quem dixit: *pasce oves meas* Jo. 21. nimirum D. Petrus, & ejus in supremo pascendi munere successores. Adde, quod Ecclesia sit Respublica bene constituta, ordinatus cætus hominum, & communitas hierarchica, non verò turba temerè, & sine ordine conflata: ergo ex natura sua exigit unionem cum aliquo Magistratu, cum Prælati, & tandem cum supremo Rectore, qua velut vinculo coalescat Respublica, coheræant membra visibilia cum capite visibili, subditi dependant à Rectore, oves dirigantur à Pastore &c. ergo regimen est de essentia Ecclesie, ut de facto constituta à Christo. Quod autem Antiqui illud non posuerint explicitè in suis definitionibus, inde conti-

git, quia vel non intendebant statuere definitiones Ecclesie ad omnem rigorem exactas, vel quia id opus non erat, eò quod olim non ita explicitè regimen Ecclesie ab antiquis hæreticis oppugnatum fuerit, ut à recentioribus factum est. Implicitè tamen & ipsi illud satis insinuarunt, Ecclesiam vocitando *cætum fidelium, collectionem Catholicorum, societatem* &c. Ad 2. Nec mea definitio unitatem alicujus supremi capitis, nec Bellarminiana Pastorum excludit pluralitatem, si utraque ritè intelligatur; liquidem etiam mea definitio loquitur de Pastoribus supremis successivè pluribus, eum Ecclesia semper sit duratura usque ad finem mundi Monarchica, ut adeò semper sit habitura aliquem supremum Rectorem, adeoque successu temporis non nisi unum: quamquam non ita Monarchica sit, ut excludat Episcopos, tanquam veros etiam Pastores, à summo tamen dependentes: ferè sicut videre est in regimine Politico Imperij Romani, in quo summus Princeps Imperator est, quamquam non desint alij veri Principes, uti Electores & alij, qui tamen à summo dependent. Unde si quis Romanum Imperium describeret per *regimen Principum*, nequaquam excluderet summum Principem, sed simul complecteretur etiam alios Principes subordinatos, pariterque innueret plures summos, sed successivè tantum. Bellarminus explicitè voluit denotare regimen Ecclesie Monarchicum, Aristocratico mixtum, exprimendo plures Pastores, & unum Supremum: id

id ipsum ego exprimere volui nomine *Pastorum* juxta datam explicationem, ut parcerem verbis, quod in definitionibus summopere curandum, ne nimirum ponatur aliquid redundans. Si verò putes, hanc verborum parsimoniam debere cedere claritati, addere potes mea pace cum Bellarmino illa verba: *ac precipue sub regimine unius* &c. quoad rem enim nihil diversi dices; quia uterque admittimus plures Pastores, Summos successivè, subordinatos simul. Ad 3. N. A. ratio negandi patet ex dictis. Ad 4. descriptio illa non est exacta definitio pro moderno tempore, quo totis viribus aperte impugnat Orcus Ecclesie regimen: tolerari tamen potest, quia illud indicat verbò *Societatem*. Ad 5. Si M. Renzius legisset vel intellexisset canonem, quem citat, utique vidisset, ibi potius de loco, in quo fideles conveniunt, quam de ipsamet fidelium societate sermonem esse: Ecclesia ibi sumitur pro Basilica construenda. Sed demus, Nicolaum Papam sumpsisse pro societate fidelium viva, nihilominus tamen illa definitio quoad substantiam non differt à nostra, partim quia per vocem *collelio*, partim per vocem *Catholicorum* insinuat unio ovium cum Pastore, membrorum cum Capite; quia sine hac unione nemo habebatur pro Catholico, nisi nimirum communiasset cum Romana Ecclesia tanquam cum Sede Apostolica; quod idem Pontifex innuit subjungendo, collectionem Catholicorum institui non debere *sine Apostolica Sedis nutu*. Cui itaque placet data Nicolai Papae

definitio, eidem placere debet Romanae Sedis auctoritas, adeoque regimen Ecclesie.

Alterum quod sibi impugnandum sumpsit M. Renzius, est societas peccatorum cum iustis in eadem Ecclesia: ego enim cum Catholicis omnibus defendi, etiam peccatores & injustos, modò peccatum infidelitatis non habeant, esse propriè dicta membra veræ Christi Ecclesie. Peccatum autem infidelitatis non habet, quisquis omnes fidei articulos profiteretur, & in nullo, sufficienter sibi proposito, ab Ecclesia Catholica dissentit. At longè aliter peccatum *infidelitatis*, & conditiones ad esse membrum Ecclesie requisitas, explicat cum suis M. Renzius; dicit enim à p. 29. sequentia. 1. infideles esse, qui vel totam fidei doctrinam, vel unum aut plures articulos fundamentales negant, ac errores tenent damnabiles. 2. pariter infideles esse, qui deliberatè ac dedita operâ peccant contra Charitatem, Spem, aut alias virtutes, & non vivunt secundum doctrinam Dei, quamvis ceteroquin omnes fidei articulos assentiendo profiteantur. 3. hos omnes esse injustos, impios, consequenter infideles, & eo ipso non vera membra etiam Visibilis Ecclesie tantum. 4. quamquam pro membris Ecclesie Visibilis haberi possint, quamdiu non fuerint excommunicati. 5. hinc questionem non esse de Ecclesijs visibilibus, utrùm impij earum sint membra, sed de Ecclesia Universalis vera. 6. duplicis generis dari peccatores: aliqui tantum habent peccata, non tamen ea regnare sinunt in suo morta-

li corpore, alij autem etiam operantur peccata, & ea in se regnare permittunt, obediendo nempe concupiscentijs suis. 7. illos esse vera membra Ecclesie Universalis veræ, non istos. 8. se admittere, impios, qui operantur & faciunt peccata, esse vera membra Ecclesie, si per hanc Papistæ non aliam intelligi velint, quam Visibilem suam Pontificiam.

Quid in hoc discepta, intra duas ferè paginas comprehenso, primò quid ultimò reprehenderem, dubius hæsi: sed postquam omnia, confusè & sparsim proposita, in hunc ordinem redégi, & pulsas tenebris elatiora reddidi, eundem in respondendo observare placet. R. itaque ad 1. & quarto ex te, Domine Magister quinam sint illi articuli *fundamentales*, in quibus errare *damnabile* est? Ubi Scriptura, ex qua sola eos ostendere debes, eorum mentionem & distinctionem facit? Dices fortè, articulos fundamentales comprehendendi Symbolo Apostolorum: sed quo fundamento hoc asseris? Fortè qui Symbolo Nicæno? sed quare hos tanto dignaris honore? Fortè qui Symbolo S. Athanasij? sed quam hujus reiterationem asseris? cur alios excludis? An fundamentalis articulus non est, Christum esse præsentem in Eucharistia, & quidem cum pane, in actuali tantùm manducatione &c. duo, nec plura nec pauciora, esse Sacramenta, nimirum Baptismi & Eucharistie, Baptismum reiterari non posse, Purgatorium non dari &c.? An DEUS & Christus aliquid revelare possunt, quod sufficienter propositum negari queat sine errore dam-

R. P. Fiebler Theol. Polemic.

nabili? An omnia, vel quædam in SS. Literis contenta, sunt articuli fundamentales, & absque errore damnabili repudiari nequeunt? Responde ad hæc & similia, si potes. Ad 2. Mirabilem sanè & inauditam Theologiam obtuditis vos Novatores, dum nullam inter peccata, quæ fidei, charitati, spei, aut alijs virtutibus opponuntur, differentiam statuitis in ordine ad inducendam infidelitatem. Cur aliquis non possit credere firmiter omnia à DEO revelata, interim tamen desperare, DEUM vel proximum odio habere, furari, fornicari &c. & sic *cognoscere DEUM* & Divina, *quin tamen glorificet ut Deum*? Rom. 1. 21. Talis peccabit contra alias virtutes, non tamen contra fidem, consequenter fidelis erit, quia retinet formam, nempe fidem, quæ denominat fidelem, quamvis gravissimus peccator sit, impius, & injustus. Cur Christus distinguit inter peccatores, & aliquos dicit judicandos, & alios jam judicatos? De ijs, qui peccant contra fidem, dicit Jo. 3. 18. *Qui non credit, jam judicatus est*, de ijs verò, qui peccant contra charitatem, ait Marc. 12. 40. *qui devorant domos viduarum &c. accipient prolixius judicium*: ergo qui peccant contra charitatem, aut alias virtutes, non hoc ipso peccant contra fidem, & infideles efficiuntur. Cur non vicissim dicitis, eum, qui peccat contra fidem, hoc ipso etiam peccato contra charitatem, spem, iustitiam, castitatem &c. consequenter omnem, qui negat aliquem articulum fundamentalem, esse blasphemum, sacrilegum, furem, adulterum, fornicato-

U

&c.

&c. sicut asseritis, istos peccare contra fidem & esse infideles? An non fides (uti tu p. 491. legis & interpretaris c. 1. v. 1. ad Hebr.) est *elenchus rerum, quæ non videntur*; hoc est, ut ais, *securitas mentis contra omnes objectiones firmiter fundata circa res, quæ corporeis oculis non videntur*? at cur talis actus seu tam firmum iudicium intellectûs, (aut *securitas mentis*) circa res obscuras mox amittatur, si quis pejeret, furetur, fornicetur &c.? certe ipsa experientia reclamatur. Si opponas, textum S. Pauli 1. Tim. 5. *qui suorum &c. curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*. Repono: fidem negavit, non per iudicium mentis, in quo formaliter consistit fides & infidelitas, sed non operando id, quod fides exigit, aut quod ratio etiam naturalis dicitur, & ideo addit Paulus, est *infideli deterior*, quia etiam infideles suorum, & maxime domesticorum, curam habere solent ex instinctu naturali. Ad 3. Qui habent veram formam denominantem veros fideles, sunt *vera* membra Ecclesie veræ; cur non & Ecclesie visibilis, si eam formam externa professione ostendant? Sed qui habent fidem, seu firmum iudicium de rebus occultis, à DEO tamen revelatis, habent formam verè denominantem fideles veros: ergo. Ad 4. Qui haberi possunt pro membris, debent esse membra; aliàs decipiuntur, & *dici sequi ut ad esse*; qui autem sunt membra simpliciter, sunt *vera* membra; sicut qui est homo simpliciter, est verus homo. Ad 5. Negatur suppositum, quod Ecclesie visibiles particulares, simul sumptæ, distinguantur ab Universali vera Ecclesia Christi,

pejorimè igitur in statu quæstionis formando supponis, quod vel maxime est in quæstione. Ut status quæstionis ritè formetur, debet sic poni: utrum peccatores & impij sint vera membra Ecclesie Christi veræ & Universalis, abstrahendo interim, utrum illa sit visibilis vel invisibilis. Ad 6. habere peccata & facere peccata juxta rectam Theologiam & ipsam etiam verborum etymologiam differunt, sicut habitus & actus, & nihil sunt aliud quam peccata habitualia & actualia: utraque autem, quamdiu existunt in anima, nec à Deo remissa sunt aut per Penitentiam deleta, maculant animam, Deoque exosam reddunt; *odio enim est Deo impius & impietas ejus*. Sap. 14. *Mundi sunt oculi ejus, nec poterunt respicere ad iniquitatem*. Habac. 1. 13. Intellige semper talem iniquitatem, quæ vel actu perpetratur liberè, vel aliquando fuit liberè perpetrata, obediendo pravis concupiscentis nam peccatum non liberè commissum repugnat. Tu quidem hic videris supponere libertatem in homine ad non peccandum: quid verò alibi & alio tempore sis facturus, an non eam cum Tuis intractitu de libero arbitrio negaturus, fortè nec ipse scis. Quod si autem per te peccata habere, uti conjicio, intelligis illa peccata, quæ appellatis peccata *infirmis*, seu non de liberatè commissa; iterum supponis libertatem, quam alibi negatis. Dein perperam vocas peccata; quia propriè & formaliter talia non sunt, de quibus Scriptura & Patres loquuntur; cum isti intelligant illa, quæ hominem reddunt culpabilem, Deo exosum, peccata ob-

obnoxium &c. cuiusmodi prædicata non insunt peccatis non voluntariè, non liberè perpetratis. Ad 7. Nec illi, qui deliberatè peccant, fidem formaliter negant, adeoque manent fideles, consequenter membra vera certis *fideliis*, seu Ecclesiæ, licet Deo invita, & aliquo modo mortua. Ad 8. Rectè quidem hoc admittis; malè autem dubitas, num Papiæ aliam habeant pro vera Christi Ecclesiâ, quam suam visibilem Pontificiam, quia hæc est aperta ipsorum Thesis, quam irrefragabiliter probant, & à me susè probatam invenies infra de Visibilitate & Notis veræ Ecclesiæ. Hæc de ingressu & statu quæstionis. Nunc videamus

24. Objicit autem 1. & principaliter. In comparatione Ecclesiæ cum *corpore vivo*, quam ego deduco n. 7. nulla fit mentio Capitis, cum tamen impossibile sit ritè intelligere vera membra Ecclesiæ sine perpetua reflexione ad Caput: ergo. 2. In hac deductione dona supernaturalia & virtutes internæ, fides, spes, charitas &c. dicuntur anima corporis Ecclesiæ; cum tamen S. Scriptura, pia Antiquitas, omnes Doctores Catholici, & Catechismus Romanus Spiritum S. asserant esse animam seu spiritum Corporis Mystici Ecclesiæ. 3. Pro membris Ecclesiæ adstruuntur res & actiones, partim visibiles, ut prædicatio Verbi Divini, externa professio fidei &c. partim invisibiles, uti vera fides, spes, charitas, & aliæ virtutes. 4. Fides in Dominum JESUM, Charitas Dei & Proximi, spes in Deum vivum non necessariò requiri dicuntur in omnibus

R. P. Pichler Theol. Polemica.

& singulis membris Ecclesiæ, bene tamen prædicatio, professio fidei ore facta, dispensatio & susceptio Sacramentorum externa: quod est confundere, non docere. 5. Internæ virtutes modò vocantur anima corporis Ecclesiastici, modò internæ partes & membra, quæ sunt cor, hepar &c. modò prædicatio, professio externa, usus Sacramentorum appellantur corpus, dona verò supernaturalia & virtutes internæ anima: modò personæ sunt membra hujus corporis: mox iterum membra dividuntur in visibilia & invisibilia, visibilia dicuntur esse professio externa &c. invisibilia fides interna &c. Sed qualis hæc est inconstantia? 6. De fide dubitatur, an necessaria sit ad constituendum verum Ecclesiæ membrum, & in omnibus reperiri debeat: imò propè tenetur negativa; siquidem etiam hæretici interni pro veris membris tolerari possunt: quod est contra sensum dilectæ Antiquitatis, Ecclesiam definiens esse *coram fidelium*. 7. Aliqua membra describuntur ut visibilia & imperfecta, alia ut invisibilia & perfecta: quænam illa? quænam ista? si invisibilia sunt perfecta, uti videtur dici, tunc visibilia hoc ipso erunt imperfecta, consequenter Ecclesiâ se nobis videndam præbet in sua imperfectione tantum. 8. Illi, qui habent externam professionem & usum Sacramentorum, sunt membra visibilia, qui verò ornati sunt fide interna &c. sunt membra invisibilia: ergo Ecclesiâ se nobis præsentat spectandam præcisè in suis hypocritis. 9. partes essentielles corporis vivi sunt corpus & anima: externa professio &

U 2

usus

us Sacramentorum sunt quasi corpus: dona supernaturalia & internæ virtutes sunt quasi anima: quid ergo in hoc corpore Ecclesiæ est Christus? quid ejus spiritus? quid sancti & justi? quid hypocritæ & impij? An ad corpus spectant vel ad animam? 10. Hypocritæ vi suæ professionis externæ & usûs Sacramentorum sunt merum corpus animâ destitutum: justî verò & sancti vi suarum virtutum interiorum sunt anima, & vi suæ professionis externæ sunt particulæ corporis, adeoque viva membra corporis: ergo Corpus Christi est partim vivum partim mortuum, habet membra partim viva partim mortua &c. Sed apage cum tanto absurdo, quod ex magna Christi Corporis parte facit putridum & fetens cadaver, Dei, Angelorum, & Sanctorum oculis abominabile. 11. denique, quod caput est, contradicitur S. Paulo, qui 1. Cor. 12. 27. dicit: *vos autem estis Corpus Christi in membris, & parte*: ergo non omnia membra Ecclesiæ visibilis particularis Corinthiorum, sed aliqua tantum, spectant ad corpus & membra Christi. Ita M. Renzius à p. 118. usque ad 126. insigniter prodens malitiosam simplicitatem suam, dum nescit, vel nescire se simulat discrimen inter partes & membra, sed ea constanter confundit, & patitur à me confundi supponit: *membrum* quæ tale dicit aliquam organizationem & ad integritatem corporis spectat: *pars* quæ talis abstrahit à certa organizatione, & utrùm constituat essentiam vel integritatem, sed est id, sine quo non habetur totum, vel aliqua denomina-

tio. Dein Adversarius non apprehendit, similitudinem ab eadem re, v. g. à corpore vivo, petitam diversimode institui, & alteri applicari posse. Unde fit, ut ferè singulis punctis mendacium inspergat, ut statim patebit.

R. ad 1. Unde hæc tanta necessitas perpetuæ & explicitæ reflexionis ad caput, ubi de membris agitur? cur non oblante relatione, quæ inter caput & membra intercedit, examinari nequeat, utrùm pes vel manus sit pars & membrum hominis, quin mentio fiat de capite? Ad 2. valde peregrinum te produs tam in Scientijs quam Scripturis, cum ignotes, eidem rei sub diversa consideratione diversam tribui posse denominationem, & sub diversa ratione diversam animam eidem corpori morali, vel caput &c. statui. Nunquid ejusdem civitatis quasi animam rectè dixeris bonas leges, & sub alia consideratione bonum Magistratum, vel etiam unum insigniter peritum virum? bonas leges animam dices, quia dirigunt ad bene operandum: Magistratum, quia urget executionem: egregium civem, quia consilij, facundiæ, dexteritate, & efficacia singulari promovet bonum publicum, & ceteros quasi animat ad faciendum officium suum. Nunquid Christus de se dixit: *ego sum lux Mundi*. Jo. 8. 12. Et idem ad discipulos: *vos estis lux mundi*? Mat. 5. 14. Cur igitur non pari modo pro anima corporis Ecclesiæ agnoscî possit Spiritus S. quod & ego profiteor, & simul sub alia consideratione etiam dona supernaturalia, virtutes

tes



tes internæ &c. ? Adde, quod Spiritus S. non tam quoad substantiam suam (quoad hanc enim est ubique, etiam in cœtibus infidelium) quam quoad dona sua & gratias supernaturales sit & vocetur anima Ecclesiæ. Quid ergo dico Scripturæ, Antiquitati, Doctoribus Catholicis, Catechismo Romano adversum ? Ad 3. hæc est calumnia; non aio ego, has res & actiones esse membra Ecclesiæ (quod solis personis tribuo) sed *partes* voco, quæ insunt membris, nempe personis, eisque diversas denominationes tribuunt, nimirum vel constituunt & denominant fideles tantum, vel fideles simul & sanctos: ex his partibus alia sunt externæ & visibiles, ad externam membrorum constitutionem requisitæ, ut professio fidei & usus Sacramentorum: alia internæ & invisibiles, uti fides, spes, charitas. Virtutes internas (saltem si fidem excipias) dico non necessario inesse omnibus & singulis membris, sicut spiritus vitales, & alia partes hominis internæ, non necessario insunt omnibus & singulis membris corporis vivi. Quid in hoc est absurdi? Ad 4. falsum est, quod simpliciter asseram (vel etiam inclinem) *fidem internam* in D. Jesum non requiri necessario ad constituendum verum Ecclesiæ membrum, sed præscindo, cum de hoc nihil adhuc certi definitum sit: reliquas virtutes non necessario requiri est thesis nostra, & per hoc differimus à Novatianis, Donatistis, Pelagianis, & Lutheranis. Quid ergo miraris, me hoc asserere, quod omnes Catholicos asserere non ignoras, vel saltem

ignorare non debes. Certe nisi confusum tibi cerebrum fuisset, confusionem non appellasses hanc doctrinam. Ad 5. pleraque iterum confundis, alia non intelligis, aliqua mihi affingis, sive ex imperitia, sive ex malitia, sive ex utraque: nam 1. nunquam internas virtutes voco *membra*. 2. nunquam dico, eas esse membra, qualia sunt cor & hepar &c. sed esse partes internas membrorum Ecclesiæ, sicut cor & hepar humani corporis sunt partes internæ, easque non necessario inesse singulis Ecclesiæ membris, sicut cor & hepar non insunt singulis membris humani corporis physici. 3. nunquam divido *membra* Ecclesiæ in invisibilia & visibilia (quod vos absurdissimè facitis, ut vestra invisibili Ecclesiæ latebras quaratis) sed virtutes & actiones, quæ reperiuntur in membris, divido in visibiles & invisibiles: illas propter sensibilitatem suam & minorem perfectionem in comparatione reliquarum *quasi corpus* appello, istas propter præstantiam suam, & quia immediatè in se visibiles non sunt, *quasi animam*: quæ, quamquam non necessario insunt omnibus & singulis membris, necessario tamen insunt corpori Ecclesiæ, nimirum saltem quibusdam membris. Nulla igitur in his apud me est inconstantia, sed apud te multa vertigo. Ad 6. imprimis iterum falsum est, quod ego inclinem in sententiam negativam, sed abstraho. Dein ratam habeo confessionem tuam, qua apertè testaris, Antiquos sensisse, quod Ecclesiæ sit *cœtus fidelium*, non *cœtus Sanctorum*, ut vos Novatores ex dita necessitate, ne omnibus primo sta-

tim intuitu novitia vestra religio appareat, eam esse fingitis. Denam etiam Ecclesia dicatur cæteris fidelium, unde probas, Antiquos respexisse ad fidem internam, quæ tamen ab ipsis non erat cognoscibilis, & non potius ad professionem fidei externam, quæ in sensus incurrit? Ad 7. Rursus falsum faciam invisibilia: aliqua imperfecta dico, scilicet respectu illorum, quæ perfectiorem participant vitam. Quænam illa sint, cur iterum vis audire, cum tamen sepius tibi nominaverim? Peccatores, injusti, improbi, quamvis sint vera seu propriè dicta membra Corporis Ecclesiæ, tamen imperfecta sunt eatenus, quatenus perfectam vitam & operationes nobilissimas Charitatis & aliarum virtutum non habent, quæ tamen reperiuntur in sanctis & iustis. Ergo Ecclesia in sua tantum imperfectione sese oculis nostris spectandam præbet? Si per imperfectionem intelligas actus & operationes externas, quæ respectu internarum, quæ formaliter liberæ sunt, minus perfectionis habent, transmittito; si verò intelligas membra ipsa, fidei & aliarum virtutum exercitio se manifestantia, nego illatum; siquidem non tantum improbi per fidei professionem, sed etiam sancti tum per ejusdem fidei, tum etiam per aliarum virtutum exercitium, sese oculis nostris obijciunt, adeoque tam in membris perfectis & imperfectis se nobis videndam præbet Ecclesia: quamquam nos sancta à non sanctis, perfecta ab imperfectis discernere non possimus, eò quod istud solus Deus

bi reservaverit, qui cor intuetur & rimatur occulta. Etiam in Corpore physico non videmus internam constitutionem membrorum, an perfectè valeant nec ne. &c. Ad 8. Nego & pernego, me dixisse, quòd illi, qui fide interna ornatì sunt, membra sint invisibilia. Diciturne homo invisibilis propterea, quòd dicatur habere animam invisibilem? quæso! aperi oculos, ut videas lucem meridianam. Ad 9. Christus caput est principale, & nunc invisibile: ejus spiritus sunt dona & gratia supernaturales, per quas influit, quasi per animam: sancti & iusti sunt membra nobiliora & perfectiora: peccatores, impij, & ( si fides interna non requiratur ) etiam hypocritæ sunt membra imperfectiora, vera tamen membra & partes corporis Mystici Ecclesiæ: utrique spectant ad corpus & animam, quia de utroque participant; de corpore quidem, quia sensibili professione fidei & communi Sacramentorum usû sensibilibus colligantur; de anima verò, quia utrique participant vitam, vel perfectam charitatis &c. vel imperfectam, nempe fidei, quam etiam impij profitentur. Intelligis? satis hæc esse clara existimo, neque supra captum tuum. Sed & tu aliquid mihi edisseras velim. Quo loco in hoc Ecclesiæ Corpore juxta te est Spiritus Christi? si dicas, quòd sit anima, uti videris dicere; duplicem in uno Ecclesiæ corpore animam admittis ( quod in me reprehendis acriter ) nam alibi pro anima Ecclesiæ statuitur Spiritus S. quamquam non explices, quid intelligas per Spiritum S. si intelligas tertiam SS. Trinitatis

tatis Personam, clarè admittis realiter distinctas animas, cum utique Personalitas Spiritus S. realiter distincta sit à Spiritu Christi: si verò intelligas dona Spiritus S. iterum admittis, quod in me seprehendis, & rursus duas animas adstruis, Spiritum Christi & dona Spiritus S. Ad 10. ineptire pergis. Quaso, si dicèrem: M. Renzius vi sensationis in pede, vel vi vegetationis in osse, est merum corpus animà destitutum, nunquid rideres? quomodo enim potest esse membrum inanimatum, & & merum corpus sine anima, ubi invenitur aliqua operatio animæ? Sic pariter si improbi (vel hypocritæ) eliciant aliquam operationem vitalem, nempe fidei, non sunt merum corpus omni animà destitutum, sed sunt corpus, vel potius membrum aliqua vitâ animatum in Ecclesiæ corpore. Dein putasne bene irasceris tu? Ego non dixi, corpus mysticum Ecclesiæ esse partim vivum, partim mortuum, sed, omnia ejus membra esse viva, quamvis vitâ inæquali; adeoque nullam illius partem esse foetens & putridum cadaver. Dein absurdum non est, in aliquo vivo corpore partes aliquas omni vitâ destitutas admittere, partibus tamen vivis aliquo modo unitas, ut plurimi faciunt, qui sanguini aliisque humani corporis partibus fluidis vitam denegant. Unde nec absurdum videri deberet, si quis transmitteret, aliqua Ecclesiæ, quæ corpus vivum est, membra nullam omnino vitam habere. Neque propterea corpus mysticum Christi esset dicendum partialiter foetens & putridum cadaver; sicut tale dicendum

non est corpus humanum physicum propter aliquas partes non vivas, eò quod, quamdiu manent partes reliquo corpori unitæ, præserventur à putredine & foetore ab anima, quæ reliquas partes informat. Cæterum si abominabile non sit corpus mysticum Christi ex meris peccatoribus ( ut tu & tui facitis ) constituere & compaginare, quorum tamen peccata tegat Christus; cur abominabile sit, aliqua membra adjungere corpori Christi non viva, quorum tamen vitâ defectus tegatur à Christo, ita, ut non computrescant vel foeteant, quamdiu unita manent. Ad 11. Nunc tandem vitum te probas, dum duas ex Græco voculas ( sine quibus nullam eruditionis laudem apud tuos habuisses ) eructas: *ex seipso*, ais, *ex parte* Corpus Christi vocat Corinthios Paulus. Sit ita, quid tum? Ergo non omnes, reponis, qui sunt in aliqua Ecclesiâ particulari visibili, sunt membra Corporis Christi. Sed negatur C. Si sermo sit de Ecclesiâ particulari communicante cum Universali; si enim non communicaret cum Universali, uti Lutherana, Calviniana &c. omnino nulla illius membra spectarent ad Corpus Christi, sicut nulla Secta Pelagiana, Novatiana, Donatiana &c. membra olim ad Corpus Christi pertinebant, intellige formali hæresi laborantia. Illud *ex parte* denotat, Corinthios fuisse partem Ecclesiæ, non totam Ecclesiâ Christi, quod verissimum erat: sicut utique Ecclesiâ v. g. Augustana, communicans cum Romana, non est tota Christi Ecclesiâ, sed tantum illius pars, non admodum magna.

Objicit

26. Obicit 1. Ex hoc, quod *Inuisibilis* Ecclesia Sanctorum sit tota Christi Ecclesia, nullatenus sequitur, dari duas Christi Ecclesias, sed potius unam tantum: ergo probatio n. 10. allata non fringit. 2. Licet Evangelici inuisibilem Ecclesiam iustorum habeant pro tota vera Ecclesia Christi, & cum Scriptura ac antiquis Ecclesiarum Doctoribus hunc honoris titulum etiam Ecclesiis visibilibus (in quibus præter injustos aliqui iusti reperiuntur, non tantum puram fidei doctrinam profitentes, sed etiam cæteris virtutibus præditi) tribuere soleant; non tamen eo ipso omnes & singulos cuidam visibili Ecclesiarum incorporatos pro membris vera Ecclesiarum agnoscunt, sed solos iustos, secundum puram doctrinam viventes: admixtos vero hypocritas & impios solummodo pro membris externæ societatis secundum prædicationem Verbi Dei & usum Sacramentorum, non secundum unitatem Spiritus & cordium cum Christo. 3. Non ideo, quia hypocritæ non sunt unum cum Christo & cæteris membris in spiritu, quamquam secundum externam societatem cum iustis & sanctis unum Ecclesiarum corpus constituunt, & pariter fruuntur titulo Ecclesiarum Christi (ob sie schon der äußerlichen Gemenschaft nach mit den Heiligen und Gerechten auf Erden ein Religions-Corpus machen) und des Prædicatæ der Kirche Christi mit genießen, duæ à se admittuntur Ecclesiarum, quarum una sit inuisibilis, ex meris iustis constata, altera visibilis, ex iustis & iniustis composita. 4. Falsa moneta, licet immixta sit bonæ pecu-

niæ & appareat bona, nunquam tamen habenda est pro bona: zizania manent zizania, sive crescant in agro sive in deserto: paleæ sunt paleæ, seu tritico immixtæ sunt seu non: immunda animalia sunt talia, sive sint intra sive extra Arcam. Ita pariter filij & membra diaboli sunt talia, etiam si in purissima visibilis Ecclesiarum corpore Filijs Dei & membris Christi exterius associantur: neque propter hanc associationem spectant ad Christi corpus, sponsam, & columbam unicam. 5. Juxta P. Pichlerum improbi sunt membra Ecclesiarum verae quamvis minus nobilia, quam sint iusti: illi insuper sunt quasi corpus, isti autem quasi anima Ecclesiarum. Quid hoc rei? an ergo anima est membrum corporis? an improbi sunt membra vivi corporis, & aliquid vitæ habent, cum tamen careant animâ, à qua omnis vita? Hucusque iterum M. Renzius à p. 127, usque ad 151.

R. ad 1. planè id sequitur; quia vos Lutherani, & speciatim tu M. Renzi, admititis aliquam Ecclesiam *Inuisibilem*, quam dicitis veram Ecclesiam & *Universalem*, solos iustos tanquam membra complectentem: præter hanc autem admititis etiam Ecclesiam *visibilem*, eos homines complectentem, qui in pura fidei doctrina & Sacramentorum communi ac sensibili usu conspirant, adeoque complectentem iustos simul & iniustos, veros fideles hypocritas permixtos. Jam sic arguo: vel illa Ecclesia *Inuisibilis*, quam dicitis *Universalem* est tota Christi Ecclesia, vel non est tota? Si est tota, uti expressè

tuo-

Tuorum nomine respondes p. 143. ita ut pars veræ Ecclesiæ non sit Visibilis Ecclesia antea descripta, ex justis & injustis simul conflata (nam *totam* sicut involvit suas partes, ita excludit omnia, quæ non sunt ejus partes) quam tamen expresse cum Tuis vocas etiam *Ecclesiam Christi* p. 143. cit. conformiter Scripturæ, ut ais, & Antiquis Ecclesiæ Doctrinibus, manifestè admittitis duas Ecclesias Christi adæquatè inter se distinctas; siquidem *Christi Ecclesia* est illa Invisibilis, cujus pars non est Visibilis; hanc verò etiam *Ecclesiam* Christi appellatis cum Scriptura & antiquis Ecclesiæ Doctoribus. Ad 2. Sufficit mihi: vel enim verè vel saltò hunc honoris titulum tribuitis Ecclesiæ Visibili: si verè: ergo verè datur adhuc alia Christi Ecclesia præter Invisibilem, & admittitis duas Christi Ecclesias; quod tamen ut absurdissimum p̄i horretis: si falsò: ergo meretricem honoratis titulo Virginis. Quòd si autem justos, qui reperiuntur in Ecclesia Visibili, extrahere, & Ecclesiæ Invisibili adnumerare placeat, qua fronte, qua conscientia, qua veritate residuum, quod ex meris injustis & hypocritis constat, honorare potestis titulò *Ecclesiæ Christi*? qua fronte hanc blasphemiam tribuere antiquis Ecclesiæ Doctoribus & ipsi Scripturæ? Sileo, quòd hac ratione justos in Ecclesia Visibili existentes faciatis partem Ecclesiæ Invisibilis, & sic vobismet ipsis contradicatis, cum Invisibilem Ecclesiam (absque membris Ecclesiæ Visibilis) velitis esse *totam* Christi Ecclesiam. Ad 3. Quicquid verborum obtruditis, innegabile est, duas

R. P. Pichler Theol. Polemica.

reipsa Christi Ecclesias à vobis admitti, quamdiu Ecclesiam Invisibilem contenditis esse *totam* Christi Ecclesiam, & præter hanc etiam Visibilem, quam pariter dignamini titulò Ecclesiæ Christi, ut te ipso teste p. 143. cit. revera facitis. Ad 4. Nos nequaquam dicimus, ut ineptissimè hic supponis, quòd improbi, peccatores, injusti &c. quamdiu manent tales, nec agunt penitentiam, sint justis & sanctis: dicimus tamen, eos esse membra Ecclesiæ, non quidem *quæ* sancta, sponsa dilecta &c. reduplicative, sed specificative, ut Scholæ loquuntur, nimirum illius Ecclesiæ Christi, *quæ* est sancta, dilecta Christi sponsa &c. Nunquid vos ipsi simile quid admittitis, dum membra *Ecclesiæ Christi Visibilis* satemini etiam esse injustos? nunquid sic admittitis membra diaboli, uti vocatis, esse membra *Ecclesiæ Christi*, consequenter Corporis Christi? quòd tamen ut maximum absurdum nobis semper objicitis, ignari, quòd hujusmodi tela omnia in veltram Ecclesiam *Visibilem*, quam dicitis esse *Ecclesiam Christi*, in vos retorqueri valeant. Præterea nos non dicimus, paleas tritico admixtas non manere paleas &c. Sed asserimus, paleas esse partem illius aggregati, quo impletur area. Hoc verum esse discas ab experientia, si fortè emas modium frumenti non bene purgati. Ad 5. Sanctos ibi voco membra nobilissima & propria respectivè ad impios, non quòd impij simpliciter & propriè membra non sint, sed quòd minùs nobilia; & sub hoc respectu etiam minùs propria sunt. Propter eandem præstantiam

tiam

tiam sanctos comparo animæ, & impios propter defectus suos corpori, quia isti in se, & ut præcisi à reliquis Ecclesiæ membris, nullam habent vitam, quamvis ut uniti aliquam & imperfectam vitam habeant: serè ut unguis & capilli, quamdiu manent uniti humano corpori. Animam nunquam voco membrum, sed partem (intellige essentialem) corporis vivi, membra autem sunt partes integrales. Sanctos verò comparo animæ, non quia & quatenus membra sunt Ecclesiæ, sed quia & quatenus præstantiâ suâ longè excedunt impios, sicut anima longè excedit præstantiâ corpus. Sed superius, inquis, etiam dona supernaturalia fuerunt comparata animæ. Ita est, sed sub alia ratione & consideratione: dona supernaturalia & virtutes internas dixi similes animæ propter vim & efficaciam suam, qua insistent in operationes sanctas, & membra Ecclesiæ sancta efficiunt; ipsos verò homines sanctos hic dico similes animæ propter eminentiam suam, quam habent præ impijs. Eadem res in eadem similitudine diverso modo applicatâ potest comparari rebus diversis, ut nemo nescit, qui non omnia nescit: Sic idem M. Renzios in eadem similitudine, qua ipsius familia comparatur *corpori vivo*, potest dici *caput*, quia est præcipua pars: *cor*, quia in totum corpus alimenta dispensat, sicut cor sanguinem: *anima*, quia movet, dirigit, & ad operandum excitat omnia membra &c. Quomodo improbi sint membra vivi corporis, & aliquam vitam etiam ipsi participant, sapius dictum, & demique

à M. Renzios captum existimo. Ceterum si Ecclesia comparata decem Virginitibus, quarum quinque fatuæ sunt, vocari potest *Regnum Cælorum* Mat. 25. quare dici non possit *corpus mysticum Christi, regnum Christi* &c. licet fatuos, hoc est, injustos & peccatores, compectatur?

Objicit 3. Dicere, quod prædicata, 27. esse *sanctam, totam pulchram, sine macula, esse redemptam à Christo. vivificatam, actam à Spiritu Sancto* &c. non convenient Ecclesiæ ratione singulorum membrorum, sed ratione Auctoris, doctrinæ, finis, mediolorum, præceptorum &c. involvit maxima absurda, nisi nimirum Christum Jesum esse *redemptum*, Verbum DEI, Sacramenta, beatitudinem æternam, præcepta morum &c. esse *redempta*, DEUM *agi* ad bene operandum per directionem & stimulum Spiritus S. DEUM, Sacramenta, doctrinam &c. *habere vitam* in Christo, & *agi à Spiritu S.* ad bonum &c. *Seynd mir das nit abentheurliche Händel?* 2. Dicere, quod impij habeant aliquid vitæ spiritualis per hoc, quod fidei doctrinam pro vera habeant, ac ore profiteantur (hoc enim solum Papisticis Tractatoribus sonat fides, utpote de filiali fiducia & gaudio in Christo nihil omnino scientibus) est ipsos etiam diabolos facere membra mystici Corporis Christi, quia etiam credunt, consequenter aliquid spiritualis vitæ & Spiritum Christi participant. Certè Spiritum Christi aliquatenus tribuere etiam impijs est doctrina adeò detestabilis, ut eâ audita mentis omnes prohi coherescant. Qui non est ex DEO, nihil

nihil habet spiritualis vite, nihil de Spiritu Christi. Per peccatum homines evadunt spiritualiter mortui. Eph. 2. mortui autem nihil habent vite. Ita rursus M. Renzius à p. 217. usque ad p. 227. Quæ immiscet & adjicit per tria folia sequentia, vel referri indigna existimo; quia sunt vel aperte falsa, vel extra rhombum, vel inutiles repetitiones, vel ignorantie, vel convitia.

R. Ad 1. vel imperitè, vel (quod verisimilius est, ut habeas, quod impugnes) malitiosè accipis mea verba: non ego singulis distinctionis meæ partibus omnia illa prædicata applicavi aut applicari volui, sed omnibus omnia, cum respectu ad singulorum capacitatem. Itaque prædicata, esse redemptam à Christo, vivificatam, actam à Spiritu S. applica Ecclesie, ut constanti ex hominibus, quia illi capaces sunt horum prædicatorum; reliqua verò esse sanctam, totam pulchram, immaculatam &c. applica Auctori; doctrina, fini, medijs, præceptis, Sacramentis, quæ omnia absolute & ex toto sancta &c. sunt. Quod si fecisset, (uti debueras, & nemo non faceret, qui vel malevolus vel imperitus non est) nulla monstra vidisset. Ad 2. Ineptissima est hæc argutatio etiam in tuis principijs, impium pro diabolis patrocinium: nunquid enim nec juxta te sufficit sola fides, sed baptismus quoque exigitur, ut aliquis sit membrum Mystici Corporis Christi juxta illud 1. Cor. 12. 13. omnes nos in unum corpus baptizati sumus? quis baptizavit diabolo? forte Lutherus tuus diabolis

R. P. Pichler Theol. Polemica.

familiarissimus. Nunquid & tu requiris ad membrum Ecclesie Christi, ut sit homo, Christi sanguine redemptus? cum Christus acquisiverit sibi Ecclesiam sanguine suo act. 20. 28. pro qua se ipsum tradidit. Eph. 5. 26. An Christus etiam pro diabolis sanguinem fudit, & se ipsum tradidit? An non pro membris Ecclesie Christi instituta sunt Sacramenta in remissionem peccatorum, quæ sunt signa sensibilia &c.? Putasne horum capaces esse etiam demones, meros spiritus, in peccato obfirmatos & inflexibiles? Nota diligenter textum S. Pauli Eph. 5. 26. 27. ubi sic ait: Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vite, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam &c. Quibus verbis factis excludit demones, non tamen excludit peccatores, dum plus ad membrum Ecclesie non requirit, quam baptismum & fidem Verbo DEI præbendam; cum verò omnem ab ea maculam abesse dicit, loquitur de Ecclesia gloriosa, & triumphante in caelis. Cæterum nemo ex sanctis Patribus, & antiquis Catholicis, doctissimis æquè ac sanctissimis viris, cohortuit, ne hodie quispiam rectè sentientium cohorteretur à doctrina, quam ipsa S. Scriptura aperte tradit, Ecclesiam Christi comparans area triticum & paleas congreganti, sagena bonos & malos pisces concludenti, & Ecclesiam appellans regnum caelorum, licet fatuas Virgines complectatur &c. Vita fidei est vita spiritualis, licet minus perfecti quam

X 2

quàm vita charitatis : fides est donum supernaturale , ad eoque participatio aliqua Spiritus Christi : qui credit , ex DEO est aliquo modo , nec penitus est mortuus , carens omni vita &c. Sed quia hæc superius jam abunde sunt explicata , remoueo manum de tabu-

la , & Adversario meo hanc veræ fidei vitam ex animo precor , qua mediante pervenire posset ad vitam perfectam veræ charitatis , ac experiri , quod etiam Catholici aliquid sciant de fiducia & gaudio in Christo.

## ARTICULUS II.

*An vera Christi Ecclesia necessario sit perpetua ?*

### SUMMARIUM.

- |   |  |
|---|--|
| 1. Status Questionis.   | 7. Obijciunt defectionem Antiquæ Ecclesiæ , sed male.                        |
| 2. Lutherani quidem voce fatentur , Ecclesiam debere esse perpetuam , re ipsa tamen negant. | 8. Urgent , sed inefficaciter.   |
| 3. Ecclesia Christi hucusque semper perstetit.  | 9. Adducunt alia exempla , sed nequicquam.                                   |
| 4. Nec unquam deficere aut extinguï potest , ut Scriptura S.                                | 10. Excipiunt contra nostram probationem , sed imperiè.                      |
| 5. 6. Patres , & ratio ipsa docet.  | 11. M. Lomer nimis angustiis terminis coarctat puritatem primitive Ecclesiæ. |

Sciendum 1. Statum questionis in Christo versari , utrum Ecclesia , semel à Christo fundata , possit aliquando ita deficere , ut non amplius existat in Mundo , ac penitus extincta sit , nullo verè fidelium relicto catu , etiam exiguo. Utrum enim Ecclesia possit ita deficere , ut in aliquos errores circa res fidei prolabatur , sive utrum necessariò in suis dogmatis sit infallibilis , postea examinabitur.

Sciendum 2. Quamvis Lutherani ore tenus fateantur nobiscum , veram Christi Ecclesiam semper debere existere , ac nunquam posse extinguï penitus ,

adeoque esse perpetuam. Sic Gerardus in LL. Theol. de Ecclesia n. 107. ait: *Articulus IX Symboli Apostolici , credo Ecclesiam Catholicam , perpetuo manet : ergo DEUS semper sibi servat aliquam Ecclesiam , qua fidem Catholicam tueretur.* Et nisi sibi teryaret , id DEO probrosum foret , imò DEUS non amplius haberet suam gloriam extrinsecam , quam necessariò intendit operando ad extra , utpote nullam habens Religionem , in qua verè coleretur. *Christo Revi & Sponso*, ait M. Lomer in *seis nem Barlet* p. 135. *dedecus foret , si ejus hostis rem eo redigeret , ut ali-*  
quan-



quando nullum ipsi Regnum, nulla Sponsa superesset in Mundo. Quamvis, inquam, hæc dicant orerenus, talia tamen argumenta adducunt, dum probare nituntur, Ecclesiam Catholicam seu Universalem non semper fuisse visibilem, nec esse debere, ut, si firma forent, pariter probarent, Ecclesiam Christi omnino sublatam fuisse à Mundo, dum contendunt *potam* in hæreses, idololatriam, aliisque gravissima flagitia prolapsam esse, ut patebit ex Objectionibus. Unde, licet inutile foret probare Perpetuitatem Ecclesie contra Lutheranos, si suis starent verbis; nunc tamen, quia re ipsa negant, quod verbis concedunt, opeta pretium est demonstrare, veram Christi Ecclesiam debere esse perpetuam. Unde

4. Dico 1. Ecclesia Christi hucusque non ita defecit, ut omnino fuerit extincta, sed perseverat eadem, quæ fuit tempore Apostolorum. Probat 1. negativè, quia non potest ab Adversarijs ostendi tempus, quo defecerit, error in fide, in quem lapsa sit, Pontifex vel Concilium, sub & à quo pefundata sit penitus Ecclesia: ergo non defecit Ecclesia; *Actore enim non probante Reus absolvitur*, aiunt Jurista, & *asserentis est probare*; cum igitur Sectarij asserant, Ecclesiam totam lapsam esse in hæreses, idololatrias &c. (quæ peccata etiam tollerent Ecclesiam invisibilem, de qua postea) ipsorum est hæc indubitato probare; quod si non præstiterint, Ecclesia manet in possessione sue integritatis. Ant. primum constat ex tractatione singularum materiæ, in quibus Ecclesiam ac-

cusant, præsertim circa Pontifices & Concilia, de quibus vide nostras Theses præcedentis anni; nempe *Papatum nunquam errantem*, & infra Caput 4.

Probat 2. positivè ex continua successione summorum Pontificum à temporibus Apostolorum usque ad hodiernum diem, qui tum per se tum per suos vicarios & subordinatos Ministros doctrinam Christi per orbem prædicarunt, & adhuc prædicant eandem, observato etiam eorundem Sacramentorum usu &c. ut constat evidenter ex historia tum Ecclesiastica tum prophana, nominatim Baronij, Jacobi Gaultierij, Jodoci Coccij &c. qui singula sæcula percurserunt, & hanc successione tum Pontificum, tum doctrinæ Apostolicæ, ex PP. & Scriptoribus synchronis demonstrant.

Dico 2. Ecclesia Christi nunquam potest omnino deficere, seu penitus extinguï: adeoque necessariò est perpetua. Probat 1. ex Scriptura S. In *Novo Testamento* Christus sapiens promisit Ecclesie suæ perpetuitatem usque ad finem Mundi. *Porta inferi non prevalebunt adversus eam.* Mat. 16. v. 18. *Ecco ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Mat. ult. v. ult. *Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritus Veritatis.* Jo. 14. v. 16. Unde D. Paulus scribit: *ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sæculi in opus ministerij, in adificationem Corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei &c.* Eph. 4. v.

11. Ubi autem sunt Pastores & Doctores, utique etiam erunt oves & discipuli, nempe veri fideles, qui pascuntur & erudiuntur, adeoque tota Ecclesia. Deinde Christi præceptum est, ut audiamus Ecclesiam, ad quam deferri vult incorrigibiles, *dic Ecclesie*. Mat. 18. v. 17. atqui hoc præceptum debet semper posse observari: ergo semper debet dari Ecclesia.

Id ipsum fuit prædictum in *Antiquo Testamento*, in quo Ecclesia Christi vocatur *Sponsa*, de qua Sponsus ait: *Sponsabo te mihi in sempiternum*. Osee 2. v. 19. Item vocatur *Regnum*, quod durabit in æternum: *In diebus autem Regnorum illorum suscitabit DEUS cæli Regnum, quod in æternum non dissipabitur*. Dan 2. v. 44. *Regnabit Dominus super eos in monte Sion ex hoc nunc & usque in æternum*. Idem prædixit David: *Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc & usque in æternum*. Pf. 124. v. 2. Item Isa. c. 59. v. ult. *Cum venerit Sion Redemptor, & eis, qui redeunt ab iniquitate in Jacob, dicit Dominus. Hoc fœdus meum cum eis, Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedant de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus amodo, & usque in sempiternum*. Imò, quod bene notandum est, quando Synagoga promissa est æternitas, principaliter referri debet ad Ecclesiam Christi, cum illa tantum fuerit umbra & figura illius, ut docet S. Aug. lib. 17. de Civit. Dei c. 6. Neque Synagoga, cui facta sunt promissiones æternitatis, perijt quoad fidem in Chr-

stum Redemptorem, sed in melius mutata.

Confirmatur ex communi sensu Patrum, ex quibus unicum placet adducere S. Augustinum, qui in Ps. 101. Conc. 2. ferè ita loquentem inducit Ecclesiam: *Quid est, quod nescio, qui recedentes a me murmurant contra me? quid est, quod peristi me perijisse contendunt? Certe enim hoc dicunt, quia fui & non sum. Annuntia mihi antiquitatem annorum meorum, quam diu ero in isto sæculo? annuntia mihi propter illos, qui dicunt, fuit, & jam non est, apostata vii & perijt Ecclesia de omnibus Gentibus. Et annuntiavis: ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. Taceo S. Cypr. qui l. de unit. Eccl. ait: *Sponsa est, adulterari non potest &c.* Taceo & alios brevitate causâ.

Probat 2. ex ratione. Extra veram Ecclesiam nemo potest salvari: sed omni tempore debent posse aliqui salvari: ergo omni tempore debet esse in Mundo vera Christi Ecclesia: ergo illa, quæ aliquando fuit vera Christi Ecclesia, debet talis permanere usque ad finem Mundi: talis autem fuit olim saltem Romano-Catholica vel ipsorum hostium confessione. Ma. est in confesso apud Lutheranos, & inde constat, quia *nemo potest placere Deo sine fide*. Hebr. 11. v. 6. & salvari, nisi colat Deum eo modo, quo Deus vult coli: ergo qui salvantur, debent esse in vera fide, & in Ecclesia vel in re, vel saltem in voto. Mi. est clara; Deus enim homines creavit ad felicitatem æternam: ergo semper debet providere ipsis de me-  
di-

dio necessario, quod est vera Ecclesia.

Confirmatur ex rationibus, quas supra adduximus ex Gerardo & Lomero n. 2. quia nimirum in Symbolo credimus Ecclesiam Catholicam, qui articulus debet esse verus omni tempore. Et si Christi Ecclesiam aliquando everterent illius hostes, id Christo Ecclesie Sponsio probrosus foret.

Probatur 3. ad hominem. Confessio Augustana art. 7. expressis verbis docet, quod una sancta Ecclesia perpetuo mansura sit.

7. Ob. 1. & principaliter. Ecclesia Antiqua totaliter defecit, & lapsa est in errores, hareses, & Idolatrias: ergo hoc ipsum potest etiam accidere Ecclesie Christi. A. P. 1. Statim primi parentes, in quibus tota consistebat Ecclesia, defecerunt, & plus crediderunt serpenti Divinitatem promittenti, quam DEO comminanti. Item statim post diluvium, ut populo Israelitico exprobrat Josue, *trans fluvium habitaverunt Patres vestri ab initio, Thae Pater Abraham & Nachor: servieruntque Dijs alienis.* Jos. 24. v. 2. II. tempore Moyse in deserto, ut refert S. Stephanus act. 7. v. 41. exprobrans Judaeis, *virulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hostiam simulacro, & latabantur in operibus manuum suarum.* III. tempore Judicium in Palestina, surrexerunt alij, qui non noverunt Dominum &c. dimiserunt Dominum Deum patrum suorum &c. & secuti sunt Deos alienos &c. Judic. 2. v. 10. IV. tempore Regum, *adificaverunt enim &*

*ipsi sibi aras &c. feceruntque omnes abominaciones gentium.* 3. Reg. (juxta Lutheranos 1.) c. 14. v. 23. 24. *Altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, queritur Elias.* 3. Reg. c. 19. v. 14. V. tempore Prophetarum & Captivitatis Babylonice, Jeremias de stirpe Juda ortus, qui eidem Captivitate hanc annuntiavit, quam & ipse sustinuit, c. 3. v. 6. & seqq. ita scribit: *Nunquid vidisti, qua fecerit avertarix Israel? abijt &c. & sub omni ligno frondoso fornicata est &c. & vidit pravaricatrix soror ejus Fuda &c. & fornicata est etiam ipsa &c.* Adeoque non una tantum pars Ecclesie Judaice (nam post mortem Salomonis scissum fuit Regnum Israeliticum, ac decem Tribus datae sunt Jeroboamo, Tribus autem Juda relicta est Roboamo, atque addita Tribus Benjamin, in qua erat Jerosolyma, & sic factum est duplex Regnum, Israel & Juda) sed utrumque Regnum defecit à Domino, scilicet Israel & Juda. VI. Post Captivitatem Babylonicam, à qua usque ad Christum intercesserunt anni 400. circiter, quantum collapsa fuerit Ecclesia Judaica, Christus ipse sapius docuit, uti Mat. 15. v. 4. 7. 8. 9. Hypocrita, bene Prophetavit de vobis Isaias, dicens: *populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me, sine causa autem colunt me docentes doctrinas & mandata hominum.* Et c. 23. v. 23. *Reliquistis, qua graviora sunt Legis, judicium & misericordiam, & fidem.* Ita Lomercus per multa folia in seipsum Ba-  
nice

nier c. 3. ubi ferè omnia descripsit ex Gerardo de LL. Theol. tit. de Ecclesia c. 8. n. 87. seqq.

R. 1. N. A. licet enim multi ex Ecclesia Antiqua defecerint, in errores, ac Idololatriam lapsi sint, nunquam tamen tota Ecclesia defecit, sed semper remansit aliquis cætus cum summo Pontifice in vera doctrina, verique fideles à cæteris distinguibiles; quippe nec Lutherani negant, in Antiqua Ecclesia ab Aarone usque ad Caypham, per totam Legem scriptam, Pastores & summos Pontifices continua serie sibi successisse. Non autem negamus, magnam imò majorem Ecclesie partem posse deficere, negamus autem de Universa & tota Ecclesia. Ad 1. In Paradiso nondum erat Ecclesia, saltem perfectè, sed tantum inchoative: necdum pro illo modico tempore promissa erat stabilitas in fide: adde, quod primi parentes non tam infidelitatis quam gula se obstrinxerint peccato. Ad 2. Moyses, qui fuit summus Sacerdos, cum tota Tribu Levi, quæ constabat 23000. viris. Num. 16. non adorabat vitulum aureum, sed persistit fidelis, licet Aaron cum plerisque alijs adoraverit. Ad 3. & 4. rursus defecerunt quidem multi, non tamen omnes. Elias, quod identidem obgannunt Lutherani, non solus relictus est fidelis, uti putabat, sed insuper 7000. virorum, qui genua non curvaverunt ante Baal. Deinde Elias loquitur de Regno Israël sub impio Rege Achab. Interim Regnum Juda sub Rege Josaphat retinebat Jerosolymis verum Dei cultum. Ad 5. Non omnes iterum,

sed multi tantum defecerunt in utroque Regno Israël & Juda tempore Prophetarum, quia duravit adhuc Sacrificium, præcipuus veræ Religionis actus, in templo Salomonis. Item cum Jeremia vixerunt Rechabite. Jerem. 35. & Rex Josias cum suis, adeò laudatus. 4. Reg. 23. cum Isaia verò Oseas, Joel, Abdias Propheta &c. Adde, quod Scriptura sæpius tribuere solet peculiari loquendi modo omnibus, quod tamen tantum reperitur in plerisque, vel magna parte communitatis. Ad 6. par est responsio. Christus solum reprehendit hypocritas, Scribas, & Phariseos, item illas traditiones humanas, quæ erant contrariæ Mandatis Divinis, quibus abundabant Pharisei. His si nos Catholicos comparet Lomer, injuriam nobis facit, quia non habemus traditiones supersticiosas & Mandatis Divinis contrarias. Melius comparamus nos Lutheranos Sadducæis, notis apud Judæos hereticis, qui rejectis omnibus traditionibus solam Legis litteram & Scripturam jactabant, asserentes, nihil credendum aut faciendum, nisi quod expressè in ea contentum esset. Cæterum non obstante scelerata eorum vita Phariseis obedire Christus jussit in rebus fidei, dum sedebant in Cathedra Moylis. Mat. 23. v. 3. ergo non decrant unquam summi Sacerdotes, qui populum rectè docebant, consequenter semper fuit aliquis cætus fidelium, seu aliqua vera Ecclesia, & quidem visibilis.

R. 2. Hanc objectionem probare nimium, & contra Adversarios; ex ea enim, si verum diceret, sequeretur,

totam

totam Ecclesiam, etiam Invisibilem, defecisse; quia probare nititur, omnes defecisse in fide, utpote lapsos in Idololatriam. aliaque gravissima peccata, quae juxta Adversarios excludunt à catu fidelium, seu *Sanctorum*, adeoque à vera & Invisibili Ecclesia. Nullam vero, etiam Invisibilem, Ecclesiam amplius esse in Mundo, est etiam contra Confessionem Augustanam, Gerardum, & reliquos Lutheranos.

R. 3. T. A. N. C. Disparitas est 1. quia Synagoga non tam clare & absolute promissa est perpetuitas usque ad finem Mundi, sicut Ecclesiae Christi, ut patet ex textibus, praesertim Exod. 29. & 4. Reg. 21. Imò quando promittitur Synagoga aeternitas, facta sunt promissiones verae Ecclesiae, quae principaliter est Ecclesia Christi. Praeterea Synagoga designabatur per Agar ancillam, quae fuit repudiata, Ecclesia Christi per Sarai uxorem Abraham, quae non fuit repudiata. 2. Quia Synagoga erat figura & umbra Ecclesiae Christi: praesente autem veritate & luce eo ipso cessare debet figura & umbra, ac mutari in melius. 3. Quia Synagoga non fuit Catholica & universalis ratione loci, & salvandorum, sicut esse debet Ecclesia Christi, quippe extra eam potuerunt etiam salvati homines, uti Job, Melchisedech, Nihilivae &c. Licet ergo defecisset Synagoga, potuisset tamen fides apud alios manere integra &c.

8. Dices 1. Promissiones, Ecclesiae Christi factae, non minus sunt conditionales, quam promissiones factae veteri Ecclesiae: ergo. P. A. ex D. Paulo Rom. R. P. Pichler Theol. Polemica.

11. ubi Apostolus argumentatur, à minore ad majus inferens, si Deus Ecclesiam Antiquam abiecit propter incredulitatem, posse id etiam Ecclesiae Romanae accidere; *si enim DEUS naturalibus ramis (Judaeis) non pepercit, ne forte nec tibi parcat. v. 21. propter incredulitatem fracti sunt, tu autem fides, noli altum sapere, sed time. v. 19. Vide ergo bonitatem & severitatem DEI, in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem, in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris. v. 22. g. 1. Rectè negari posse suppositum Ant. quòd Ecclesiae veteri *universa ac toti* factae sint tantum promissiones conditionatae, eaque aliquando tota defecerit in fidei dogmatis, uti patet ex dictis. g. 2. hoc transmissio N. Ant. constat enim ex textibus, quos in probationibus nostris recitavimus, nullam conditionem esse additam in promissionibus toti ac Universali Ecclesiae Christianae factis. Imò incredibile est per se, Christum voluisse perpetuitatem promittere suae Ecclesiae sub hac conditione, *si ipsa servat fidem*; cum utique illi plus voluerit promittere, quam cuilibet in particulari dare consuevit, cum quilibet in particulari certus sit, se perpetuò fore fidelem, nisi prior ipse desciverit à fide. Apostolus non loquitur de tota Ecclesia, sed solum de singulis membris, quorum utique nullum in particulari est securum à lapsu. Id quod ipse insinuat satis, dum initio cit. c. 11. exemplo 7000. virorum, qui tempore Eliae persistebant in vera fide, licet ab Eliae ignorarentur, probat semper ex-*

X

stuisse

stitisse & permanisse veros fideles, adeoque semper aliquos permanere debere.

2. Ob. 2. Tempore Michæ erraverunt omnes Prophetae excepto Michæ: ergo & erravit totus populus, qui sequebatur Prophetas. 2. Tempore Christi erravit summus Sacerdos cum Senioribus condemnando Christum: item erraverunt Apostoli omnes, aliique Discipuli deficientes à Christo: ergo defecit tunc tota Ecclesia. 3. Tempore Antichristi tota Ecclesia deficiet à fide, ut prædixit Paulus Thesal. 2. *Nisi venerit discessio primum* (id est, defectio à fide) & *revelatus fuerit homo peccati &c.* (id est, Antichristus) ergo.

R. ad 1. N. C. quia fuerunt solum pseudo-Prophetae, nec Pastores veri, quos populus, saltem totus, non est secutus. Ad 2. Cayphas & Seniores non pronuntiabant ex Cathedra, Christum non esse Messiam, sed ex odio & passione condemnabant Christum ad mortem, quem satis & ipsi interius cognoscebant esse plus, quam hominem putum. Quod odium cum constaret populo, nemo iudicavit se obligatum ad credendum, Christum non esse Messiam, quod nec ipsi Pontifex & Seniores definire volebant. Alij autem, cum hac sententia non fuerit nota per reliquam Judæam, & alijs fidelibus extra Judæam existentibus, omnes perstiterunt in vera fide; imò multi permanebant veri fideles in vel circa ipsam etiam Urbem Jerosolymitanam, uti fuisse credendi sunt Simeon, Nicodemus, Joseph, Zachæus &c. Adde, quod Privilegium non errandi concessum fuerit Synagoga solum ut-

que ad Christum presentem, cum ejus fides esset de Christo futuro. Apostoli tunc nondum acti erant Pastores & Episcopi, sed designati tantum, acti autem esse ceperunt post Resurrectionem Christi, ubi Ecclesia Christi fuit completè constituta, & lex Evangelica promulgata, dum Petrus audivit: *Pasce oves meas*, & ipsi simul ac ceteris Apostolis dictum est: *ite in universum Mundum, & predicatè &c.* Deinde Apostolino amiserunt fidem; Petrus enim solum exterius negavit, non in animo, ceteri autem fugerunt solum à Christo ex timore, imò ex permissione Christi, *sinite hos abire*. Jo. 18. nec eum negarunt perfidè: aliqua tardius credebant, vel quia Christum tunc nondum satis intellexerant, vel quia eunorem à feminis ortum (scilicet de Resurrectione Christi) non habebant pro motivo sufficienti. Nec reliqui Discipuli omnes defecerunt à Christo, ut patet in Nicodemo &c. Ad 3. Licet tempore Antichristi propter gravissimas persecutiones & fraudes multi sint defecturi à fide Christi, non tamen deficient omnes. Adde, quod obscurum sit, quid ibi intelligat Paulus nomine *discessio*. Multi explicant non de discessione à fide, sed à Romano Imperio. Deinde juxta Lutheranos jam nunc sunt tempora Antichristi, quia pro Antichristo habent Romanum Pontificem: ergo si tempore Antichristi tota Christi Ecclesia extingueretur, ipsi non sunt in vera Christi Ecclesia.

Ob. 3. Non est necesse, ut sciatur tempus, quo, & Pontifex, sub quo apostataverit Ecclesia, num simul, an suc-

successivè defecerit; modò constet, eam defecisse, uti defecto constat; cum nunc longè alia fidei dogmata habeat Ecclesia Romana, quàm olim v.g. de Justificatione peccatoris, de Invocatione Sanctorum, de Communione sub utraque specie, de Sacrificio Missæ, de Purgatorio &c. Sicut non est necesse scire tempus, quo apollataverit Lucifer &c. ergo nostrum argumentum negativum nullum est. R. N. A. eo ipso enim, quòd Adversarij non possint assignare tempus, modum &c. defectionis, signum est manifestum, Ecclesiam Romanam non defecisse; ejusmodi enim totalis defectio fuisset res tam memorabilis, ut Historici non potuissent dissimulare, qui ex instituto scripserunt res memorabiles, præsertim Ecclesiasticas, & haud dubie non dissimulassent, cum scripserint sepe minima. Paritas non est cum Lucifero, quia de hujus lapsu constat ex peculiari revelatione Divina. Isa. 14. v. 12. & alibi. Quòd autem Ecclesia Romana defecerit penitus, est nova accusatio Lutheranorum, quam nisi probare tenerentur ex circumstantijs loci, temporis, personarum &c. quilibet audacter calumniari & accusare innocentissimum quemque posset, & cum exigeretur ab ipso probatio ex adjunctis, ubi, quomodo &c. delictum sit perpetratum, sufficeret dicere, non necesse esse, ut ista sciatur: quod *nescio* apud pueros vocari solet asinorum responsio. Caterùm quidquid credidit Ecclesia Romana primitiva credit etiam moderna, ut constat ex proprijs singularum materiarum tractationibus: & quid-

R. P. Pichler Theol. Polemica.

quid credit moderna, credidit etiam Antiqua vel explicitè, vel saltem implicite, ac in genere nimirum illa, quæ tunc nondum erant explicitè & clarè definita, sed tantùm implicitè revelata.

Aliqui ex Lutheranis ausi quidem sunt determinare aliquod tempus, quo Ecclesia Christi, quæ olim fuit Romana, defecerit, sed infeliciter, & magnà inter se ipsos discordiâ, dum aliqui primis 600. alij 500. alij 400. alij 300. annis eam florisse puram integram volunt. Lomerus in sermone *Saurbrunnen* Cui p. 271. puritatem primævæ Ecclesiæ nimis angustis coarctat terminis, dum dicit, in ordine ad necessarios fidei articulos se illam duntaxat Ecclesiam agnoscere pro infallibili, quæ in Sacris Litteris proposita ex Christo & Apostolis collecta erat; in ordine verò ad aliquas ceremonias & ordinationes se non respicere Patrum auctoritatem per 3. prima sæcula. licet nec istorum decretis suas ligari conscientias velit, cum etiam apud hos hinc inde aliquid humani irrepleverit.

Sed contra hoc insolens & audax pronuntiatum est 1. quia contradicit Lomerus Augustanæ Confessioni; quæ in art. 1. propter auctoritatem Concilij Nicæni, quod habitum est anno 325. docet, Deum esse unum in essentia & trinum in Personis. 2. Quia contradicit Luthero, & alijs Lutheranis passim, qui Ecclesiam primævam per quatuor aut quinque, aut etiam sex sæcula in declarandis etiam fidei articulis ab errore immunem fatentur, & decreta primorum quatuor Conciliorum, Nicæni I. Constantinopolitani I. Ephesi-

Y 2

ni

ni L. & Chalcedonenſis recipiunt ut ſanam doctrinam. Imò Gerardus, quem alius magni æſtimat, in LL. Theol. tit. de Eccleſ. c. 11. ſect. 6. ita pronuntiat: *Certum quidem eſt, Antiquam Eccleſiam primis quingentis annis veram Eccleſiam fuiſſe, & Apoſtolicam doctrinam tenuiſſe, negari interim nequit, Apoſtolica doctrina admifceri cepiſſe ſtipulas humanarum traditionum, & opinionum.* 3. Quia contradicit ſibi, cum & ipſe ſæpius ad confirmanda ſua ſæcæ dogmata adducat Patres primitivæ Eccleſiæ. 4. Quia repudiata infallibili auctoritate primitivæ Eccleſiæ non amplius probare poteſt Trinitatem Perſonarum Divinarum, Divinitatem Chriſti, & Spiritus S. Baptiſmum parvulorum, ipſam Scripturam, ejusque integritatem &c. Unde 5. Quia ſic probare amplius non poteſt, Arianos, Macedonianos, Sabellianos &c. fuiſſe hæreticos; quidquid enim Lomerus dicit ad probandum, ſe non eſſe hæreticum, id ipſum dicere poteſt Arianus, negans Divinitatem Chriſti, Macedonianus negans Divinitatem Spiritus S. Sabellianus negans Trinitatem Perſonarum &c. omnes enim provocabunt ad ſolam Scripturam, ad Eccleſiam ex ſolo Chriſto & Apoſtoliſtæ conſtantem. Notet hoc bene Lomerus. 6. Quia arguit Chriſtum magna vel impotentia vel incuria, quòd vel non potuerit vel non voluerit Eccleſiam à ſe tantò impendiò fundatam diutius conſervare ab errore immunem,

quàm quanto tempore vel ipſe vel Apoſtoli viſibiliter præſentes eam regerant. 7. Quia eundem Chriſtum arguit infidelitatis in promittendo, dicentem, ſe ædificaturum Eccleſiam ſuam ſuper petram, & portas inferi non prævalituras contra eam, & ſe ei adſtiturum uſque ad conſummationem ſæculi &c. 8. Quia nimis deprimit Sanctiſſimorum & Apoſtolicorum virorum auctoritatem, quos tamen Deus cæleſtiſſimæ ſapientia & miraculorum ſupendorum gloriâ admirabiles Mundo reddidit. 9. Quia protervè contemnit antiquitatem, apud omnes prudentes venerandam. 10. Quia prodit eſſentem Lutheranæ libertatis libidinem, ſaluberrima morum decreta, à ſanctiſſimis & ſapientiſſimis viris communi conſenſu facta, petulanter ſpernentis. 11. Quia damnat innumeros Martyres, qui incredibili conſtantia & proſuſo ſanguine vitam & omnia poſuerunt ad conſeſtandam Romano-Catholicæ Eccleſiæ veritatem; qui ſtultè & impiè hæc fecerunt, ſi fallæ & erroribus implicite jam tum fuiſſet Eccleſia. 12. Quia nullus potuiſſet ſalvari etiam ex ferventiſſimis & ſanctiſſimis primitivæ Eccleſiæ fidelibus ratione veræ Eccleſiæ, imò non fuiſſent fideles, utpote adherentes Eccleſiæ jam in errores prolapſæ. Hæc & plura alia abſurda ſi devorare poſſit Lomerus, facile etiam conſequet omnis generis hæreſes, imò & Atheiſmum; nec ullum abſurdum terrebit amplius duris bolis aſſuetum ſtomachum.



## ARTICULUS III.

*An vera Christi Ecclesia necessario sit semper Visibilis.*

## SUMMARIUM.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1. <i>Dura necessitas cogit Lutheranos ad assendum, totam Ecclesiam posse reddi penitus invisibilem &amp; incognitam Mundo.</i></p> <p>2. <i>Status quaestionis.</i></p> <p>3. <i>Ecclesia Christi tota nunquam fuit invisibilis.</i></p> <p>4. <i>Nec esse potest unquam, ut ex Scriptura S.</i></p> <p>5. <i>Ex Patribus,</i></p> <p>6. 7. 8. <i>Ex ratione multiplici,</i></p> <p>9. <i>Ex principijs proprijs Lutheranorum,</i></p> | <p>10. <i>Et ex Confessione Augustana solide evincitur.</i></p> <p>11. <i>Exceptio &amp; explicatio Gerardi prorsus misera est ex varijs capitibus.</i></p> <p>12. <i>Cui nec Scriptura patrocinetur.</i></p> <p>13. <i>Nec hilo melior est exceptio M. Harder Praeconi Augustani.</i></p> <p>14. <i>Aliud Gerardi sophisma eluditur, &amp; retorquetur.</i></p> <p>15. <i>Uti &amp; argumentum ex ratione petitum.</i></p> |
|--|---|

Sciendum 1. Miseros Lutheranos, Calvinistas &c. quaestione illa, ubi nam fuerit vera Christi Ecclesia ante Lutherum, Calvinum &c. ita vexari, urgeri, & eò durae necessitatis adigi, ut dicere debeant, eam per mille & amplius annos fuisse quidem, sed occultam & invisibilem Mundo. Cum enim cum Gerardo de Ecclesia c. 8. n. 86. c. 9. n. 104. Ecclesiam Catholicam, seu Universalem, deficere, & omnino interire non posse statuunt, omnes Ecclesias Particulares, adeoque totam visibilem Ecclesiam obscurari posse docent nube corrumpentem, errorum, scandalorum, haeresum, persecutionum &c. atque in eum statum redigi, ut splendor & claritas ejus exterior deficiat, nec

superfit illustris & conspicuus aliquis cætus, qui puro Verbi ministerio publice sonante gaudeat; quamvis interim semper superint aliqui, fundamentum fidei retinentes, soli Deo noti; cum Deus etiam per corruptum Verbi Divini ministerium filios & filias, ad Catholicam invisibilem Ecclesiam pertinentes, generare valeat; licet pauci sint ac publice incogniti, qui corrupto ubique Verbi ministerio, & publico Religionis exercitio cessante, simplicem Verbi ductum sequentes Spiritus S. directione in veritate & fide sanctificantur, & ab erroribus fundamentalibus immunes perseverant &c.

Sciendum 2. Statum quaestionis 2. versari in hoc, utrum vera Christi Eccle-

clesia Universalis & tota fuerit aliquando, aut saltem esse possit, tam occulta, ut tantum pauci, &que alijs incogniti, reperiantur veram Christi fidem profitentes. Dico, *universalis & tota*, quæ scilicet complectatur omnes Christi fidem profitentes; nam Ecclesias particulares singulas posse obsecrari erroribus, & omnino deficere, libenter fatemur; omnes autem simul sumptas, seu totam Christi Ecclesiam ita coram Mundo unquam latuisse aut latere posse, ut videri & sensibus percipi nequeat ubinam locorum, aut quinam certus hominum sit vera Christi Ecclesia, constanter negamus. Plurimum interest, hoc effugium Lutheranis & alijs Apostatis per solida argumenta præcludere, eorumque falsam sectam ex his latebris protrahere. Quo facto patebit evidenter, quam ea nuda sit omni veritate, imò & veritatis specie. Proin

4. Dico 1. Vera Christi Ecclesia nunquam fuit invisibilis, hoc est, ita latuit, ut sciri non potuerit, ubi & quinam certus veram Christi fidem profiteatur. Probatur 1. Vera Christi Ecclesia semper fuit, & adhuc est, Romano-Catholica, ut cap. 2. palam fiet: sed ista nunquam fuit invisibilis, cum in ea semper vigeret publica Verbi Divini prædicatio, publica fidei professio, publica Sacramentorum administratio & perceptio, publicum Sacrificij, Altaris aliorumque Religionis actuum exercitium, & externum Regimen Episcoporum, præsertim in continua, totique Mundo conspicua summorum Pontificum successione, ut e-

videnter patet ex historiarum monumentis, ex certa & constanti fama &c. Neque hæc publica pastorum & ovium officia, externa circa res fidei commercia, successionem Pontificum &c. disturbare potuerunt gravissime, ac plurimæ persecutiones; nam tempore Diocletiani, qui unus omnium durissime favijt in Christianos, trecenti Episcopi in Concilio Sinuesiano congregati sunt anno 303. in causâ Marcellini Papæ. Imò ejusmodi persecutiones Ecclesiam Christi reddiderunt splendidiorē, notiorē Mundo & nominatiorē. Probatur 2. Vera Christi Ecclesia nunquam potest fieri invisibilis: ergo hæctenus nunquam fuit invisibilis. Ant. prob. statim. Nam.

4. Dico 2. Vera Christi Ecclesia non potest esse invisibilis, & penitus Mundo incognita. Prob. 1. ex Scriptura S. ex qua sola Adversarijs placet ordinariè sua argumenta depromere. Jam sic argumentor. Quotiescunque Scriptura vel *Ecclesiam* nominat expressè, vel illius claram facit mentionem in utroque Testamento, toties loquitur de certu hominum visibili, nec ullus potest ab Adversarijs afferri textus, clarè loquens de Ecclesia, qui commode explicari possit de Ecclesia Christi invisibili: ergo Christus fundavit Ecclesiam visibilem, qualem autem Christus fundavit, talis permanere semper debet. A. prob. adducendo textus utriusque Testamenti v.g. sequentes: *Dic Ecclesia: si Ecclesiam non audierit &c. Matth. 18. v. 17. Attendite vobis & universæ gregi, in qua vos Spiritus S. posuit Epif-*

Episcopos regere Ecclesiam Dei. Act. 20. v. 28. *Hac tibi scribo, Timothee, ut scias, quomodo te oporteat conversari in Domo Dei, qua est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum Veritatis.* 1. Tim. 3. v. 15. *Ascendit Paulus, & salutavit Ecclesiam.* Act. 18. v. 22. *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Mat. 16. v. 18. Textus Antiqui Testamenti sunt. *Cur adduxisti Ecclesiam Domini in solitudinem?* Num. 20. v. 4. *Convertitque Rex faciem suam, & benedixit omni Ecclesiae Israel; omnis enim Ecclesia Israel stabat.* 3. Reg. 8. v. 14. *Erit in novissimis diebus preparatus mons domus Domini in vertice montium &c. & fluent ad eum omnes gentes &c. & docebit nos vias suas &c.* Isa. 2. v. 2. 3. *Et datus perpetuum seriam eis, & scient in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum: omnes, qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* Isa. 61. v. 9. *Aperientur portae tuae jugiter: die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducantur: gens enim & regnum, quod non servierit tibi, peribit.* Isa. 60. v. 11. 12. Hi & similes textus manifestè loquuntur de Ecclesia visibili; nam alloqui, audire, regere Ecclesiam, in ea conversari &c. Præterea pascere, docere, prædicare, arguere, corrigere peccantes, baptizare, & alia Sacramenta ministrare (ad quæ officia hortatur Scriptura Pastores Ecclesiae) non possunt intelligi de cætu invisibili & occulto. Afferant Adversarij vel uni-

cum textum tam clarum pro Ecclesia Christi invisibili, si viri sint. Certè Jo. Bapt. Crophius, tam rerum peritus, quam fortis assertor veritatis, qui ante aliquot annos hic Augustæ ad Catholicam fidem reversus est, in *seiner Erinnerung* anno 1695. edita, testatur, se sæpius Augustanae Ecclesiae Lutheranae alumnos, & Prædicantes (suos ante familiares) in privato colloquio provocasse, ut vel unicum textum ex novo vel antiquo Testamento afferant, in quo clarè appareat, per vocem *Ecclesia* significari Communitatem aliquam invisibilem, Mundo incognitam, seu cætum hominum sanctorum duntaxat. Sed nihil impetravit.

Confirmatur. Ecclesia Christi dicitur esse *quasi supra montem posita*, quæ abscondi non potest. Mat. 5. *Lucerna, quæ non ponitur sub modio, sed super candelabrum.* Mat. 5. Luc. 11. *Sed, in quo Deus posuit tabernaculum suum.* Psal. 18. *Sagena congregans bonos & malos Pisces.* Mat. 13. *Area, ubi triticum miscetur cum paleis.* Mat. 3. *Corpus, quod habet diversa membra.* Eph. 1. Coloss. 1. 1. Cor. 12. Ergo Ecclesia est visibilis, & conspicua, nec solos complectitur Sanctos, soli Deo notos.

Probatur 2. ex Patribus. S. Augustinus L. 2. contra Petil. c. 104. ait: *Ecclesia certum signum hoc habet, quod abscondi non potest.* Item ep. 170. appellat. *Civitatem supra montem, de qua Dominus ait in Evang. quod abscondi non possit.* S. Chrysost. hom. 4. de verbis Isa. *Vidi Dominum, apud Canis.*

*Canif. de fide & Symb. in art. 9. Facilius est saltem extinguere, quam Ecclesiam obscurari.* Similia habent alibi, uti & alij PP. Origenes, Cyprianus, Cyrillus &c. quos brevitatis causâ omitto.

6. Probatur 3. ex ratione. Extra veram Christi Ecclesiam nemo potest salvari, ut etiam tenent Lutherani &c. Omnésque tenentur huic Ecclesiae se adungere sub periculo aeternae damnationis: ergo haec Ecclesia debet esse visibilis & conspicua; aliás enim jure se possent aliquando excusare infideles, ac dicere ad Deum: Domine, quomodo potuimus invenire veram Ecclesiam tuam, illique nos adungere, cum scire non potuerimus, in quo Mundi angulo latuerit? Respondet Gerardus de Ecclesia n. 34. Externam societatem non esse necessariam, modò interiùs rectè credatur in Christum &c. Sed contra: *quomodo rectè credent sine Pradicante veram Christi doctrinam? quomodo autem predicabunt veram Christi doctrinam, si ubique, ubi sonat Verbum Divinum, ministerium sit corruptum & depravatam? Quomodo interiùs purè potest credere, qui corruptam ab extra haurit doctrinam? Quomodo & ubi possunt infideles veram haurire doctrinam, & puram Evangelij aquam, si omnes fontes sint turbati, omnes Ecclesiae, quae sunt visibiles, & à quibus hauriendum, sint depravatae, haeresibus infectae &c. Ergo debet dari aliqua Christi Ecclesia, quae sit incorrupta & sanam propinet doctrinam fidei, & quidem visibilis, itaque Mundo cognosci-*

bilis, ut omnes, qui voluerint, eam invenire possint.

7. Confirmatur. Ubi non traditur ac manifestatur hominibus vera fidei doctrina, ibi non est vera Christi Religio; sed Ecclesia invisibilis & latens, in qua ministerium Verbi ubique corruptum est, non tradit, nec manifestat hominibus veram fidei doctrinam, eamque sinit perire: ergo vera Christi Religio non est. Talis enim Ecclesia non esset columna & firmamentum veritatis, nec arbor bona, hoc ipso, quòd non faceret fructus bonos.

8. Probatur 4. ex alia ratione. Vel occulti illi fideles, in quibus consistit Ecclesia Catholica invisibilis juxta Adversarios, profitentur exterius suam, quam habent in animo, veram fidem, vel non profitentur, sed communicant cum infidelibus in externo Religionis exercitio? Si profitentur exterius suam fidem veram, hoc ipso Ecclesia non amplius erit invisibilis, cum ex ista professione externa possit dignosci cætus fidelium. Si non profitentur exterius, sed simulant fidem aliam, & in externo Religionis exercitio communicant cum infidelibus; tunc sunt meri hypocritae, homines scelerati, perfidi, & salutis incapaces, juxta illud Christi: *Omnis, qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Mat. 10. v. 33. Et juxta illud Pauli: *Corde creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Rom. 10. v. 10. In ejusmodi autem meris hypocritis, sceleratis, cælo

cælo proscriptis utique non potest consistere vera Christi Ecclesia.

Respondet Gerardus n. 103. sufficere confessionem fidei internam, nec esse necesse, ut confessio fidei semper fiat publicè, & ut veri fideles se prodant suis hostibus, uti fecerunt multi Sancti tempore persecutionum. Sed contra est 1. quamvis subinde liceat dissimulare veram fidem, nunquam tamen licet simulare aut profiteri falsam externo commercio cum infidelibus circa actus Religionis: sicut nunquam licet adolere exterius tantum thus Idolis. Atqui illi, in quibus juxta Lutheranos ante Lutherum consistebat vera Ecclesia invisibilis, exterius communicabant in usu Sacramentorum, Sacrificio Missæ, orationibus pro Defunctis, in jejunijs, Festis celebrandis &c. cum Ecclesia Romano-Catholica, quam tamen dicunt fuisse falsam Religionem. 2. Illa ipsa abstinentia à communicatione externa cum infidelibus est sufficiens sæpe confessio veræ fidei, uti fuit apud tres pueros Babylonicos, statuam Nabuchodonosoris adorare nolentes, & apud 7000. virorum, qui tempore Eliæ non curaverunt genua cum Idololatriæ ante Baal. Atqui à communicatione cum Papistis, quos dicunt fuisse hæreticos, non abstinuerunt isti latibularij fideles ante Lutherum &c. 3. Unde scit Gerardus, eos, quos ait esse, aut fuisse veros fideles, sed occultos, quod interius professi sint aliam fidem, quam exterius, aut nunc prædicantur; cum id solus Deus noverit? 4. Nunquid hoc ipsum, quod dicit Gerardus, possunt etiam dicere Calvinistæ, & quicumque

R. P. Pichler Theol. Polemica.

alij Apostata, ac Hæretici, asserentes, quod interius professi sint suam ipsorum fidem plurimi & continuò à temporibus Apostolorum?

Confirmatur ex principijs Lutheranorum profusè efficaciter. Juxta Lutheranos, saltem modernos plerosque, vera fides non datur, ubi nulla datur bona opera tanquam signa & effectus veræ fidei. Ita Lomerus & alij sæpe. Atqui per ejusmodi opera bona tanquam signa & effectus redditur exterius sensibilis & cognoscibilis fides interna: ergo ubi datur vera Ecclesia, hoc ipso ea debet esse exterius sensibilis & cognoscibilis, adeoque visibilis: ergo in principijs Lutheranorum implicat Ecclesia invisibilis. Ex altera parte coguntur admittere, eam etiam nunc & temper debere esse invisibilem, cum juxta ipsorum principia de nullo caru externo & particulari constet, quod sit vera & infallibilis Ecclesia Universalis autem seu Catholica Ecclesia juxta ipsos cognosci nequeat, & quod comprehendat solos verè credentes & Sanctos, ubicunque locorum dispersos, etiam extra communitates, qui soli Deo sint cogniti. Consequentet coguntur miseri admittere contradictoria, & devorare hircocervum.

Probatut 5. ex Confessione Augustana, quæ est primus liber Symbolicus Lutheranorum, & in quem jurant. Illa art. 7. sic docet, *quod una sancta Ecclesia perpetuò mansura sit, in qua Evangelium purè docetur, & rectè administrantur Sacramenta.* Ubi tria docentur. 1. Perpetuitas Ecclesiæ, quam nos art. precedenti stabilivimus.

Z.

2. P. 10.

2. *Visibilitas*, quia doceri Evangelium, & Sacramenta, quæ ex essentia sua sunt signa sensibilia, administrari non possunt nisi sensibiliter & à cætu visibili. Adcoque Ecclesia *perpetuo mansura eum administratione Sacramentorum & pura predicatione* verè est Ecclesia semper visibilis. 3. *Infallibilitas*; ubi enim Evangelium *purè* docetur, & *rectè* administrantur Sacramenta, non deficit Ecclesia in vera doctrina, de qua infallibitate nos art. sequente. Hic autem ex principijs Lutheranorum, & Confessione Augustana *Visibilitatem* Ecclesie, & quidem *perpetuam*, consequenter infallibilitatem perpetuam Ecclesie Visibilis, evidenter sic demonstro. Juxta Augustanam Confessionem & Lutheranorum interpretationem hæc duo, *purè doceri Evangelium; & rectè administrari Sacramenta*, essentialiter conveniunt verè Ecclesie, tanquam proprietates, ut vocant, quarto modo, uti in homine est visibilitas: ergo hæc duo debent semper convenire verè Ecclesie; proprietas enim quarto modo est id, quod omni, soli, & *semper* convenit: ergo vera Ecclesia *perpetuo* debet esse *visibilis, & infallibilis*; cum evidenter repugnet, Evangelium purè doceri, & Sacramenta rectè administrari invisibiliter, illamque Ecclesiam errare in doctrina fidei, quæ purè docet &c. Ergo Visibilitas non est accidens separabile ab Ecclesia, sed proprietas essentialiter connexa.

Confirmatur ex art. 8. Augustanae Confessionis, ubi sic dicitur: *Quamquam Ecclesia proprie sit congregatio Sanctorum, & verè credentium, ta-*

*men cum in hac vita multi hypocrita & mali admixti sint &c.* Subsumo: atqui credentes sunt homines utique visibiles, & quidem tam *verè* credentes, quorum fides operatur per dilectionem, quam hypocrite & mali, quorum fides mortua est.

Respondet quidem Gerardus 1. num. 11. quam Ecclesiam ita latere, quin saltem ab aliquibus conspiciatur, si non à toto mundo, saltem à pijs Confessoribus conjunctim exultantibus, latentibus in cavernis &c. 2. Fore semper quidem pastores & oves, qui se mutuò agnoscent, sed non fore conspicuos semper toti mundo in loco illustri, & in successione visibili. 3. Nunquam in mundo manere solum invisibilem Ecclesiam, & à visibili Ecclesia separata, cum extra cætum vocatorum frustra querantur electi & sancti. 4. Verè fideles invalescentibus persecutionibus & hæresibus ad eam paucitatem & tenebras redigi, ut, licet sibi mutuò sint noti, tamen nullum constituent amplius cætum *illustrem, splendidum*. Ita ille varijs in locis, nominatim c. 8. de Ecclesia n. 86. in LL. Theol. item. n. 97. n. 101. &c.

Verum Gerardus imprimis contradicit tum sibi tum alijs. Lutheristis, qui dicunt, totam & Universalem Ecclesiam posse latere, inò debere latere juxta ipsorum argumenta, cum solus Deus possit cognoscere, quinam sint verè fideles, & fides, per quam constituuntur justi & sancti, tanquam actus internus ab hominibus videri nequeat, etiam proximè adstantibus & simul exultantibus; item cum vera & Catholica,  
Ec-

Ecclesia apud ipsos sit congregatio *Sanctorum*; quinam autem sint veri Sancti, nemo novit nisi Deus. 2. Si semper debeant esse aliqui verè fideles, sibi noti, aliqui pastores & oves, & Ecclesia invisibilis nunquam possit separari à visibili &c. Dicit Gerardus, quinam & ubi locorum, in qua urbe, quo tempore &c. vixerint, quomodo sint appellati &c. in quo mundi angulo latuerit hæc visibilis Ecclesia, invisibili sociata. Quæ cum assignare nequeant Luthericæ, per bina ferè sæcula jam provocati, quid aliud faciunt, quam fingendo se & alios fallunt ac perducunt? 3. Hæc ipsa possunt dicere Calvinicæ & alij Apostatae, scilicet semper fuisse aliquos, sibi invicem notos, & Ecclesiam invisibilem eum visibili conjunctam, quæ Calvini, Zwinglij &c. doctrinam professæ sit. 4. Status quæstionis non est, utrum Ecclesia Universalis possit devenire in eum statum, ut propter persecutiones non amplius sit certus valde *illustris* & *splendens*, publico exercitio Religionis ubique prohibito à tyrannis &c. ut factum est primis sæculis, quibus Imperatores Ethnici Christianos ubiq; prohibebant Christum profiteri, Christianitatem radicibus extinguere conantes, irritò tamen conatu, cum inde secuta sint gloriosa Martyria, & majora Christianitatis incrementa. Sed quæstio est, utrum Ecclesia aliquando possit in tam miserabilem statum devenire, ut nullus amplius sit hominum certus, qui publicè ac exteriùs profiteatur fidem veram & Catholicam, Sacramentis non amplius ritè utatur, nec suos

R. P. Pichler Theol. Polemica.

Pastores, præsertim summum Pontificem agnoscat amplius, ei que obediat. Hoc fieri posse Catholici negant & pernegant, Lutherani, & alij Sæctarij nesciunt, quid dicant, dum veritati reluctari conantur.

Ob. 1. ex Scriptura, in qua comparatur Ecclesia 1. *Thesauro abscondito*. 2. *Regno Dei*, quod est *intra nos*. 3. *Luna*, quæ sepe redditur *invisibilis*. 4. *Mulier fugienti in solitudinem*: ergo. Confirmatur. Textus, quos supra adduximus pro visibilitate Ecclesie, multi loquuntur solum de Ecclesia Particulari; hic autem quæstio est de Universali, seu Catholica: ergo nihil probant. R. ad 1. Comparatur thesauro abscondito, non ideo, quia latet, sed ideo, quia inventa dicitur & delectatur, ut thesaurus inventus, qui inventor priùs erat incognitus. Ad 2. Regnum Dei dicitur esse intra nos quoad fidem internam, & dona spiritualia, non tamen quoad externam fidei professionem &c. sine qua nec illa haberi possunt apud adultos. Ad 3. Comparatur Luna, non ideo, quasi aliquando obscuretur tota, ac invisibilis reddatur, sed 1. quia habet lumen suum doctrinæ & sanctitatis à Christo. sicut luna suam lucem à sole. 2. Quia ex parvo initio crevit in magnam perfectionem, ut videmus crescere lunam. 3. Quia patitur vicissitudines suas, nimirum pacis & persecutionis, tranquillitatis & tumultuum, ut luna suas; utique enim non omni tempore est æqualis splendor Ecclesie, sed aliquo modo etiam obscuretari, & suas quasi eclipfes pati potest, non tamen ita, ut videri & digno-

Z 2

sci

sci exterius nequeat amplius; sed semper ejus lux penetrabit nebulas & nubes persecutionum, quantacunque haeruerint. Nimirum si fiat in Scripturis comparatio alicujus rei cum altera, non fit in omnibus, sed plerumque tantum in uno vel altero. In quo autem fiat, desumi debet ex circumstantijs, & judicio Patrum ac Ecclesiae. Ad 4. Tempore Antichristi, pro quo intelligunt Patres illam comparationem Apoc. 12. fugient quidem multi fideles in solitudinem, & ibi se abscondent ad evitandas persecutiones, non tamen omnes; multi enim palam profitentes fidem Christi resistunt fortiter Antichristo ad profusionem sanguinis & vitae usque. Atque sic Ecclesia non tantum non ignorabitur, sed ubique magis personabit propter fortitudinem Martyrum &c. sicut olim factum est tempore persecutionum.

Ad confirmationem. Sit, quod aliqui textus intelligendi sunt immediate de Ecclesia Particulari, id tamen nihil obest, sed magis confirmat nostrum argumentum; si enim Ecclesia Particularis non potest esse invisibilis, multo minus poterit Universalis, Catholica, & tota. Particulares quidem Ecclesias posse omnino deficere, ac in errores labi, fatemur, non tamen possunt reddi invisibiles, & tamen simul perdurare, & esse partes verae Ecclesiae seu Universalis; quippe ille ceterus, qui desinit exterius profiteri fidem, usurpare ritè Sacramenta, obedire legitimo Capiti, desinit pariter esse Ecclesia particularis, seu esse pars Ecclesiae Universalis.

Ob. 2. Status quaestionis non est,

utrum Ecclesia debeat semper esse visibilis (hoc est, cognoscibilis ab hominibus) *in potentia*; de hoc enim nemo dubitat: sed utrum semper debeat esse visibilis *actu*, hoc est, talis, ut ex signis suis, pura praedicatione Verbi Divini, administratione Sacramentorum, & publico Religionis exercitio ab hominibus cognoscatur actu. Hoc posterius negant Protestantes, & probant 1. quia tota Ecclesia olim latuit in Arca Noë, ita ut à nemine videretur actu. 2. Quia tempore Eliae non videbantur actu illa 7000. virorum, qui non adorant Idolum Baal. 3. Quia Ecclesia est Corpus Christi, consequenter omnia ejus vera membra debent esse viva, hoc est, habere veram fidem internam, & justitiam: atque hominibus citra specialem revelationem innotescere non potest, quinam sint talia membra, scilicet notitia distincta de quolibet in particulari, quamvis innotescere possit notitia confusa & in genere, seu tali notitia, vi cuius cognoscamus, in illo cetero, in quo videmus pure praedicari Evangelium & ritè administrari Sacramenta, esse aliquos verè fideles, & aliqua saltem viva & vera membra Ecclesiae, licet veros fideles non possimus distinctè discernere ab hypocritis & membris mortuis, eandem fidem exterius profitentibus. Porro promissiones, quibus tam in V. quam in N. T. promittit Ecclesiae suam assistentiam Deus, pertinent quidem ad Ecclesiam *visibilem*, non tamen *quā visibilem*, sed *quā veram, vivam, & dilectam* Sponsam, juxta illud Osae 2. *Sponsabo te mihi in justitia, & iudicio, & in misericordia, & sponsabo te mihi*



*infido.* Quod utique non spectat ad hypocritas, quia non sunt Sponsa Christi, non in iustitia &c. Ita videtur sentire M. Harder A. C. Senior & Pastor ad S. Annam Augustæ, apud M. Lomer in *Banier* p. 147. & seqq. licet perobscure proponat in lingua Germanica.

R. Omnino Ecclesiam Christi semper debere esse talem, ut ex prædicatione Verbi Divini, ex Sacramentorum administratione, & ex obedientia erga summum Caput, *actu* videri, & ab omni alio actu discerni etiam ab hominibus possit. Quæ M. Harder assertit in oppositum, prorsus vana & inepta sunt. Ad 1. R. Tota Ecclesia in Arca Noe utique actu erat cognita ijs, qui erant in Arca: extra Arcam nemo supererat, cui posset vel deberet esse cognita. Ad 2. Tempore Eliæ illa 7000. satis cognoscantur actu ab illis, qui viderant, eos non curvâsse genua coram Baal, licet Elias id ignoraverit. Deinde illa 7000. non erant tota Ecclesia, sed tantum pars, cum superasset Regnum Juda, de quo publicè constabat, eo tempore perseverâsse in fide. Ad 3. patet ex art. 1. quod etiam peccatores sint vera, & suo modo viva, membra Ecclesiæ seu Corporis Christi. Quod additur de notitia confusa & distincta verorum fidelium, verum quidem est; nec enim nos aliud dicimus, quàm quod semper debeat dari in mundo talis aliquis cætus, in quo sensibilibiter doceatur Evangelium, admittantur Sacramenta &c. & quod in illo cætu sint aliqui saltem veri fideles, & viva membra, non solum quoad externam fidei professionem & usum Sacramentorum, sed etiam quoad fi-

dem internam, charitatem, & sanctitatem; quinam autem in particulari sint isti veri fideles & sancti, *distinctè* dignosci ab hominibus certò non posse fate-mur, *confuse* tamen certò nos cognoscere dicimus, aliquos in hoc cætu esse verè fideles & verè sanctos. Itaque quoad hoc rectè dicit M. Harder, sed pessimè consultit suæ causæ, & ipsèmet se prodit, latebrâsque, quas quærent Protestantes per suam Ecclesiam invisibilem, deserit, & capitur. Mox enim quæro, ubinam locorum fuerit ante Lutherum iste cætus visibilis, de quo saltem *confuse* constabat, quòd in eo saltem aliqui verè fideles & verè sancti fuerint, licet distinctè non constiterit, quinam in particulari essent tales? Certè non alium poterit assignare talem cætum, nisi Romano - Catholicum, à quo impiè desciverunt. Adeoque incidit M. Harder in quæstionem illam *vexatam*, qua toties jam sunt vexati Protestantes, ut edicant, ubi fuerit eorum Ecclesia ante Lutherum per mille & amplius annos? Frustra confugiet ad Ecclesiam invisibilem, quam jam deseruit, frustra ad infantes, simplices, Hufitas &c. ut videbit c. 2. hujus tractatûs de Nota Antiquitatis.

Denique dum dicit, promissiones factas Ecclesiæ pertinere ad Ecclesiam *visibilem*, non tamen *quâ visibilem*, nescit, quid dicat. Modò enim promissiones factæ sint non alteri, nisi *visibili* Ecclesiæ, sive dein vocetur *quâ*, sive *quâ* visibilis, quod denique delin-it in quæstionem nominis, non ultra poscimus quidquam. Licet enim promissiones non factæ sint Ecclesiæ *quâ*

complectenti solos peccatores, facta tamen sunt quæ complectenti peccatores simul & aliquos saltem justos, & fidem exterius profitenti; nam sine externa fidei professione nullus est cætus verè credentium, verè sanctorum; licet propter verè sanctos principaliter factæ sint promissiones. Ferè sicut privilegia, alicui civitati concessa, censentur esse concessa toti communitati civium, quæ easdem leges & statuta observantium saltem exterius, & sic quæ visibili, licet non omnes cives sint probi, propter quos quidem principaliter data sunt privilegia; non tamen excluduntur improbi, quamdiu exterius præstant ea, quæ sunt præstanda.

44. Ob. 3. Ecclesia Christi, de qua agimus, est *Militans*: sed quæ Militans est invisibilis; quia milita, quam exercemus, est spiritalis, & cum demonibus, qui sunt invisibiles: ergo Ecclesia est invisibilis. Ita subtilizat Gerardus, sed parùm solidè. Nam R. 1. N. C. Syllogismus enim habet quatuor terminos, & procedit à *secundum quid ad simpliciter*; licet enim Ecclesia secundum aliquam rationem nempe quæ militans, esset invisibilis, propterea tamen non esset simpliciter invisibilis; sicut homo, licet quæ ratiocinans sit invisibilis, non tamen est simpliciter invisibilis. Unde argumentum est simile huic sophismati: homo est ratiocinans: sed quæ ratiocinans est invisibilis, quia ratiocinans dicitur propter actus rationales, qui sunt spirituales & invisibiles: ergo homo est invisibilis. Deinde Christiani non tantùm militant

contra demonem, sed etiam contra carnem & mundum, qui sunt hostes visibiles, item adhibent non solum arma spiritualia, sed etiam sensibilia, ut sunt Sacramenta, opera pia externa &c.

Dices. Præcipuus Ecclesiæ cultus est spiritalis & internus: ergo ex illo debet Ecclesia denominari invisibilis; cum à potiori fiat denominatio. R. N. C. & retorq. argum. præcipui actus hominis sunt interni & spirituales: ergo homo debet denominari invisibilis. Non omnis effectus potest tribuere omnem denominationem suam causæ, præsertim inadæquatæ; aliàs homo deberet etiam dici irrationalis, mortuus &c. quia elicit operationes aliquas non rationales, non vitales &c. Item sol deberet denominari vivus, quia concurrat ad generationem viventium effectivè juxta probabilem sententiam Philosophorum.

Ob. 4. Quod creditur, non videtur: Ecclesia creditur, quia in art. 9. Symboli Apostolici dicimus, *credo Ecclesiam*: ergo non videtur. R. 1. Retorq. argum. quod creditur, non videtur: sed Scriptura Sacra & Divina creditur: ergo non videtur: ergo Lutherani habent Scripturam Sacram invisibilem. R. 2. D. M. quod creditur, non videtur secundum id, secundum quod creditur. T. M. secundum aliud. N. M. & D. m. Ecclesia creditur, quatenus vera est, & Ecclesia Christi. C. m. quatenus est cætus hominum certam fidem profitentium &c. N. m. Sicut Scripturam credimus, quatenus Dei est, & Sacra, videmus autem, quate-

mus est collectio & dispositio characterum. Et sicut Christus credebatur quoad Divinitatem ab Apostolis, videbatur quoad Humanitatem. R. 3. N. M. Potest enim id ipsum, quod scitur, credi; sic enim Philosophi credunt Deum, quem tamen sciunt existere; ita, quamvis vera Christi Ecclesia, etiam quæ vera est & Christi, videretur, ut de ea evidenter constaret; ut aliqui volunt, tamen posset adhuc credi.

Dices. Forma essentialis Ecclesiæ est vera fides; sed ista est invisibilis: ergo Ecclesia est invisibilis. R. Retorq.

argum. Forma essentialis hominis est anima: sed anima est invisibilis: ergo homo est invisibilis. Hem sophisma! In præmissis sermo est de parte constitutiva verorum fidelium, consequenter Ecclesiæ, in conclusione sermo est de tota Ecclesiâ: sunt igitur iterum quatuor termini. Fides est quidem forma denominans fidelem, non tamen est tota denominatio, seu totus fidelis, multò minùs congregatio fidelium; sed ad hoc requiruntur etiam homines visibiles, fidem profitentes, Sacramentis ritè utentes.

## ARTICULUS IV.

*An vera Christi Ecclesia necessario sit infallibilis?*

### SUMMARIUM.

- |  |  |
|--|--|
| 1. 2. Status questionis.                                     | 12. Trimembris obiectio Lomeri quatuor complectitur mendacia.                        |
| 3. Ex eius decisione pendet summa rei.                       | 13. Promissiones de Ecclesia infallibilitate non sunt conditionata.                  |
| 4. Quid Gerardus tricetur circa statum questionis.           | 14. Neque facta sunt Ecclesia invisibili.  |
| 5. Ecclesia Christi hactenus nunquam erravit in rebus fidei. | 15. Neque Ecclesia Romana est Particularis sub omni ratione.                         |
| 6. Nec errare potest unquam, ut Scriptura S.                 | 16. Neque ex errore voluntatis rectè inferitur error intellectualis totius Ecclesiæ. |
| 7. Symbolum Apostolicum.                                     | 17. Neque Catholici faciunt circulum vitiosum probando infallibilitatem Ecclesiæ.    |
| 8. Communis sensus fidelium, & SS. PP.                       | 18. Bene tamen Lutherani in resolutione sua fidei.                                   |
| 9. Ipse Lutherus.  |  |
| 10. Et clara ratio irrefragabiliter docet.                   |  |
| 11. Nullis quorundam exceptio.                               |  |

Sciendum 1. Questionem procedere 1. de Ecclesia Christi Militante. 2. De Ecclesia tota, Catholica, seu Universali; nam Ecclesiam Particularem qualemcumque errare posse, nec dissentire Catholicis. 3. De Ecclesia visibili complectente tam peccatores quam iustos; cum enim Ecclesia vera, in hoc mundo adhuc militans, necessario sit visibilis, omnesque fideles veram Christi fidem profitentes complectatur, ut patet ex dictis, non potest esse sermo de Ecclesia invisibili & cetero *Sanctorum tantum*. Et sane si duntaxat invisibilis Ecclesia foret infallibilis, nemo posset esse certus, an in sua fide non erraret, quia nemo sciret, utrum prorsus idem crederet, quod credit Ecclesia, cum nesciret, ubinam hæc latèret, quinam essent verè credentes, & consequenter quidnam crederent. Atque sic ipse sibi suus esset Doctor, interpretes Scripturæ, & Papa: quivis autem homo in particulari est mendax, & falli potest. 4. Nomine totius Ecclesie intelligi vel omnes omnino fideles cum suo Capite, vel omnes Episcopos cum Episcopo & Pontifice summo in Concilio Generali congregatos, ita ut, quidquid tenent omnes fideles, vel omnes Pastores (quod enim docent omnes Episcopi, sentire quoque debent fideles ceteri, cum teneantur oves sequi suos Pastores) tanquam de fide, illud revera de fide sit. Imò nomine Ecclesie intelligi posse solum summum Pontificem. *Cathedra doctrinæ* juxta ea, quæ dixi in *Papam nunquam errante*, specialiter art. 8. & dicam infra c. 4. art. 2.

Sciendum 2. Questionem solummodo

esse in hoc, utrum in rebus fidei, & ad mores pertinentibus, Ecclesia sit infallibilis? Siquidem fatemur Ecclesiam errare posse 1. in decidendis questionibus facti particularis, à Deo non specialiter revelati, & non connexi necessario cum questionibus juris. 2. In ijs, quæ solum incidenter dicuntur in Decretis fidei & morum, uti sunt argumenta & rationes, & quæ præmittuntur sententiæ definitiva. 3. Papam probabiliter etiam errare posse in rebus fidei, ut est Doctor & homo privatus nec loquens ex Cathedra.

Sciendum 3. ex decisione hujus questionis pendere summam rei. Si enim vera Christi Ecclesia necessario sit infallibilis, eo ipso sequitur 1. Illam Ecclesiam, quæ aliquando fuit vera, adhuc esse, & semper fore veram: Romana autem saltem olim primis sæculis, & saltem tempore D. Pauli, fuit vera, ut fatentur Sectarij. 2. Omnes articulos, quos tenet Ecclesia, esse veros, oppositos autem esse hæreticos. 3. Ingenti compendio complanari omnes fidei controversias, cum Sectarijs agitatae, nec alia re opus esse, quam ex notis veræ Ecclesie inquirere, quantum ex omnibus sit vera Christi Ecclesia. Quod nos statim præstabimus, postquam ejus infallibilitatem satis demonstratam in tuto collocaverimus.

Sciendum 4. Sectarios tergiversari inutiliter circa statum questionis: nam Gerardus in LL. Theol. de Ecclesia c. 9. ait 1. Ecclesiam totam seu Catholicam non quidem ita errare posse, ut non saltem pauci, itque occulti, sint verè credentes, licet ministerium publicum

cum ubique sit corruptum per omnes Ecclesias Particulares visibiles. 2. Facit discrimen inter articulos fidei fundamentales & non fundamentales; in his omnino totam, in ijs verò solùm Particulares Ecclesias visibiles errare contendit. Verùm contra primum pugnat articulus præcedens de perpetua Ecclesie visibilitate. Contra alterum ea, quæ diximus in materia de Indifferentismo. Et quæso, quis non videt angustias, & ditam fingendi necessitatem apud Adversarios? Qua fronte dicunt, & quo fundamento, quòd aliqui saltem in fidei fundamento persistant, corrupto ubique publico Verbi ministerio, & personante ubique falsa doctrina? Quomodo tam audacter asserunt, tales existere, cum tamen occulti sint, & nemo eos videre possit? Quare Spiritus S. non potius aliquos publice ab erroribus immunes contineat? Quare cogat hos latibularios ad aliam externis fidem profitendam, quam tenent externis? Nunquid hypocritæ, quales sunt illi, non sunt vera membra Ecclesie juxta Sectarios?

Dico 1. Vera Christi Ecclesia hæcenus nunquam erravit in definiendis fidei articulis, & formandis morum decretis, scilicet definiendo falsum, vel præcipiendo vitium, aut prohibendo virtutem. Probat 1. negativè; quia Adversarij (quod tamen ipsis tanquam accusatoribus incumbit) non possunt ostendere errorem, non proferte articulum illum fidei, qui olim creditus, postea verò repudiatus sit. Id quidem verum est, quòd nunc aliqui articuli explicitè credantur, qui olim crede-

R. P. Pichler Theol. Polemica.

bantur solùm *implicitè*; eò quòd successu temporis, & obortis controversijs, aliqua clarè decisa ac definita sunt, quæ prius vel in Scriptura S. vel in Traditionibus solùm obscure continebantur: quod minime obest puritati fidei. Neque possunt Adversarij nominare locum, tempus, Concilia, Pontifices &c. qui errorem in rebus fidei aut morum decretis Univerſe Ecclesie proposuissent, ut constat partim ex ijs, quæ dicta sunt in *Papatu nunquam errante*, partim constabit hic ex solutione objectionum. Possè autem Ecclesiam errare circa quæstiones facti & historicas, quæ non invehunt errorem circa fidei articulos & morum decreta, nemo negat, cum id Ecclesie non interfit. Probat 2. Ecclesia non potest errare; ergo hæcenus nunquam erravit. Ant. probo, &

Dico 2. Vera Christi Ecclesia non potest errare in rebus fidei, & morum decretis pro Univerſa Ecclesia factis. Seu, est absolute infallibilis. Probat 1. ex Scriptura S. ex qua Adversarij omnia sibi volunt probari. Christus ipse de sua Ecclesia dixit: *Porta inferi non prevalebunt adversus eam.* Mat. 16. v. 18. *Spiritus Veritatis docebit vos omnem veritatem.* Jo. 16. v. 13. *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum Veritatis.* Jo. 14. v. 16. *Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixerò vobis, v. 26. Ego vobiscum sum usque ad confirmationem sæculi.* Mat. 28. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua,* Luc. 22. v. 32. Similes pro mis-

A 4

liones

fiones jam in Veteri Testamento factæ sunt Ecclesiæ, uti Isâ. 54. v. 4. *Noli timere, quia non confundêris, neque erubescas.* Atqui si Ecclesiæ posset errare in rebus fidei &c. tunc prævaleret infernus adversus eam, non doceretur omnem veritatem, Spiritus S. & Christus ipsam desereret, confunderetur, & erubesceret &c. ergo.

Confirmatur 1. Christus est Caput Ecclesiæ, & Sponsus illius; item Ecclesiæ regitur à Spiritu S. tanquam ab anima & Doctore veritatis: ergo Ecclesiæ habet utriusque infallibilem assistentiam, ita ut in errorem circa res fidei incidere nequeat; si enim erraret, error imputaretur Christo & Spiritui S. Ant. prob. *Vir caput est mulieris, sicut Christum Caput est Ecclesiæ.* Eph. 5. v. 23. *Unum Corpus & unus Spiritus.* Eph. 4. v. 4. *Ille vos docebit omnia &c.* Jo. 14. Respondet Gerardus, ex hoc sequi, singulos fideles ab omni errandi periculo immunes esse; cum Christus sit Sponsus cujuslibet animæ fidelis, & quivis verè fidelis regatur à Spiritu S. Sed negatur sequela; quæ vitiosè trahitur à sensu composito ad divisum, à colectivo ad distributivum; nam promissio absoluta non est facta singulis fidelibus, sed toti Ecclesiæ; neque ex lapsu singulorum sequitur, nullam amplius dari veram Religionem in Mundo, & consequenter Deum frustrari suo fine, scilicet gloriâ extrinsecâ, quam operando ad extra necessario debet intendere: quod tamen malum sequeretur ex lapsu totius Ecclesiæ. An putas, rectè sic inserri à sensu colectivo ad distributivum: tota Respublica Poli-

tica accepit jus gladij à Deo: ergo etiam singuli cives? Negabis utique consequentiam. Caterum non omnis verè fidelis hoc ipso est Sponsa Christi, aut specialiter regitur à Spiritu S. quod tamen supponit Gerardus, cum ex dictis constet, etiam peccatores posse esse verè fideles: ad hoc autem, ut aliquis dicatur Sponsa Christi, debet esse specialiter dilectus: peccatores autem non sunt specialiter dilecti, cum odio sint *Deo impius & impietas ejus.* Sap. 14. v. 9.

Confirmatur 2. ex Apostolo, qui 1. Tim. 3. v. 15. ait: *Hec tibi scribo &c. ut scias, quomodo oporteat te in Domo Dei conversari, quæ est Ecclesiæ Dei vivi, columna & firmamentum Veritatis:* ergo Ecclesiæ est columna & firmamentum veritatis: sed *columna & firmamentum* indicant clarè firmam constantiam in veritate: ergo. Respondet Gerardus & alij Lutherani 1. hic per Ecclesiæ intelligi Ecclesiæ Ephesinam, quæ fuit Particularis: Particulares autem singulas errare posse, nemo negat. 2. Ecclesiæ est columna & firmamentum veritatis non *active*, quasi ipsa fulceat veritatem, sed *passive*, quia fulcitur & sustentatur à Veritate, quæ Christus est. 3. Neque columnæ semper durant, sed quandoque corrumpunt, si senescunt: ergo. Sed vana hæc sunt esugia. Nam 1. Paulus loquitur indistinctè de Ecclesiæ Dei, quæ est *Domus Dei*: atqui Domus Dei est Ecclesiæ tota & Universalis: ergo de ista loquitur, saltem principaliter. Nec obstat, quòd Thimotheus fuerit in Ecclesiæ particulari Ephesina; nam qui est in

in Ecclesia particulari, est etiam in Universalis, cum particularis sit pars Ecclesiae Universalis: sicut qui est in cubiculo, est etiam in domo. 2. Ecclesia est columna veritatis tam activè quàm passivè; activè, quatenus firmat, & sustinet fideles in veritate; passivè, quatenus ipsa firmatur & sustentatur à Christo in veritate, si velimus juxta phrasim Adversariorum loqui. Ceterum est valde inappropria locutio & inusitata, si columna accipiatur *passivè*; quis enim columnam vocat columnam pavimenti, quia sustentatur & fulcitur à pavimento? 3. Non negamus, etiam Ecclesiam aliquando delituram, sed non ante finem mundi; *cum enim venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est.* 1. Cor. 13. v. 10. Stultè autem negatur, quod Ecclesia sit columna veritatis, ex eo, quia cum Mundo pariter Ecclesia Militans cessabit.

7. Probatur 2. ex Symbolo Apostolico, in quo credimus *sanctam* Ecclesiam Catholicam: atqui iste articulus omni temporis momento à temporibus Apostolorum usque ad finem mundi (Nota, & rem apprehende, *omni temporis momento*) debet esse verus; quod enim semel est de fide, semper est de fide, & Verbum Dei manet in aeternum: ergo vera Christi Ecclesia *semper*, & omni temporis momento, debet esse *sancta*: atqui desineret esse sancta, si vel semel incideret in errores, haereses, idololatricam &c. quae scelera ipsi impie impingunt Sectarj; ergo nunquam potest in eas incidere, aut aliquid docere, quod non sit sanctum, quoad fidei doctrinam aut morum precepta.

R. P. Pichler Theol. Polemica.

Probatur 3. ex communi sensu & 8. constanti persuasione fidelium, & 1. quidem SS. Patrum, qui in questionibus fidei controversis provocare consueverunt ad Ecclesiam, uti Augustinus l. contra epist. fundam. c. 5. *Evangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commoveret auctoritas*: Cyprianus l. de unit. Eccl. mihi pag. 254. *Adulterari non potest Sponsa Christi.* Sic & alij sentierunt. 2. Summorum Pontificum, & Conciliorum, quorum decisio propterea semper fuit implorata & data, ut per eorum auctoritatem infallibilem dignosceretur veritas ab erroribus. 3. SS. Martyrum, qui prope modum innumeri per singula saecula maluerunt omnia pari, quàm in minimo puncto deserere doctrinam Ecclesiae Universalis. 4. Pissimorum Imperatorum, qui haereticos ideo persequerantur, quia judicium suum privatum volebant subicere judicio Ecclesiae Universalis, & ab hac defecerant. 5. Infinitorum prope Sanctorum, qui floruerunt etiam miraculis, & prodigiis à vita sanctimoniam; simul tamen omnes erant obsequentissimi Ecclesiae; nec apicem ullum ex articulis ab Ecclesia propositis negare ausi. 6. Denique etiam Sectariorum, qui vel infallibilitatem Ecclesiae fateri debent, vel coguntur admittere, se sine sufficienti ratione & per summam improbitatem tumultuatos fuisse contra Ecclesiam, ac ab ea defecisse; si enim Ecclesia Universalis non est infallibilis, multò minus Particularis erit infallibilis: atqui ipsimet fateantur, suas Ecclesias non esse nisi Particulares. Quid igitur opus fuit tantis

A 2 2

tumulti-

tumultibus, tot bellis, tanta sanguinis effusione, tot rapinis &c. ut pro Ecclesia fallibili introduceretur alia aequè, imò magis fallibilis!

9. Confirmatur ex propria confessione Lutheri, qui in tract. de veteri vera Ecclesia dicit: *Ecclesia nec debet, nec potest mendacia & errores docere, ne in unico quidem articulo &c. & qui posset aliud fieri, cum os Dei sit os Ecclesia?* Item: *Deus non potest mentiri, ita nec Ecclesia.* Et in litteris ad Albertum Ducem Brandenburg, circa praesentiam Corporis Christi in Eucharistia ita scribit: *Quod testimonium totius Ecclesia, etiamsi nihil amplius haberemus, debet nobis solum sufficere, ut in hoc articulo permaneamus.* Quòd autem alibi docuerit oppositum, scio, scilicet in Postilla Eccles. Dom. 1. post Epiph. at simul scio, Lutherum hoc pacto sibi contradixisse, & consequenter alterutra vice necessariò docuisse falsum. Videant nunc Lutherani, quam veracem sequantur Prophetam, & quam tuta sit doctrina, quam in suo quinto Evangelista laudant, cum vitam laudare nequeant.

10. Probarur 4. ex ratione. Si Ecclesia potest errare in rebus fidei, tunc nulla amplius habebitur infallibilis & sufficiens regula fidei, nec poterit quidquam firmissimè credi: sed hoc nec Adversarij admittere possunt aut volunt, cum sic tolleretur omnis fides Divina, ad salutem necessaria: ergo. M. prob. Sine declaratione & auctoritate Ecclesiae nullus fidei articulus infallibiliter & sufficienter nobis innotescit: ergo si Ecclesia in proponendis fi-

dei articulis potest errare, non amplius habebitur sufficiens & infallibilis regula fidei. Ant. prob. Sine declaratione & auctoritate Ecclesiae non innotescit nobis certò & infallibiliter, an & quam Scriptura sit purum Dei Verbum, an & quam Traditiones sint Divinae & Apostolicae: atqui sine Scriptura & Traditionibus nullus potest articulus fidei nobis certò & infallibiliter innotescere; cum omnes articuli fidei contineantur in Scriptura S. & Traditionibus: ergo. M. prob. quia per se non est evidens, an & quam Scriptura sit Divina, incorrupta &c. ergo debet constare aliunde: atqui convincens & infallibile testimonium ac iudicium certum non potest afferri, ex quo haec probentur, nisi testimonium & auctoritas Ecclesiae, ut patet tum per se, tum ex thesibus nostris de *Lutheranismo constanter errante in primis fidei principijs*, tum ex disputatis supra de Scriptura S.

Respondent aliqui, Ecclesiam esse quidem infallibilem in ijs, quae sunt necessaria ad salutem; in alijs autem errare posse. Sed contra est 1. Omnia, quae declarantur ab Ecclesia tanquam articuli fidei, sunt necessariò credenda saltem implicite ab omnibus, nihilque sine iactura aeternae salutis negari potest: ergo impossibile est eam errare in ulla re fidei quacunque. 2. Si Adversarij loquantur de rebus, sine quibus absolute nequit obtineri salus, & ijs, quae sunt necessariò credenda necessitate medij, tunc Ecclesia potest errare in proponenda Scriptura Sacra utriusque Testamenti, cum sine fide de Scripturis Sacris multi fuerint salvati, antequam sacrae litterae



littera conferberentur, uti in Lege Nature, aut quibus Evangelium Christi solum predicatum, & de ulla Scriptura mentio nulla est facta. Atqui hoc non possunt admittere Adversarij, quia sic omnes fidei articuli revocari possent in dubium; cum Scriptura, ex qua tanquam unica apud ipsos credendorum regula omnes articuli dependent, ac probari debent, utique sit juxta Adversarios ex ijs, quæ necessariò credenda sunt, necessitate medij.

12. Ob. ulterius 1. Ecclesia Universalis juxta nos est Romana: sed Ecclesia Romana jam sæpiùs erravit in statuendis fidei articulis: ergo. Mi. probat Lomerus ex Apolog. Aug. Conf. in seipsum Banier p. 139. ubi sequentes illi errores impingit. 1. Quòd Romano-Catholici requirant ad salutem bona opera, quibus mereantur remissionem peccatorum, nec soli fidei tribuant justificationem, qui tamen articulus fidei est præcipuus. 2. Quòd dicant, Sacramenta conferre gratiam ex opere operato sine fide. 3. Quòd invocent Sanctos tanquam Mediatore loco Christi. Idem Lomerus in seiner fortgesetzten Abfertigung à p. 7. ex Georgio Nitschio, & alio quodam Levvis Bailly Anglo ostendere conatur, in 25. punctis fundamentalibus modernam Ecclesiam Romanam recessisse à doctrina antiqua Ecclesie Romana, in sola epist. ad Rom. à D. Paulo expressa. Ergo. R. N. m. in ejus probatione truntembra sunt quatuor mendacia & calumnia; nam 1. Romano-Catholici non docent, se per sua opera mereri (de condigno; nam de hoc merito lis est)

remissionem peccatorum, seu primam gratiam sanctificantem, per quam sit formaliter remissio peccatorum; sed hoc dicunt, hominem in gratia sanctificante ex meritis Christi jam constitutum, & gratis justificatum, mereri de condigno per sua opera bona augmentum gratie sanctificantis, vitam æternam, & augmentum gloriæ, seu vitam æternam. Trid. sess. 6. Can. 32. 2. Non excludunt fidem ad fructuosam susceptionem Sacramentorum in adultis; sed etiam inter dispositiones prævias suscipientis volunt eam esse primam: imò dicunt, fidem præsupponi ad ceteros actus supernaturales tanquam principium vite spiritualis: hoc tantum docent, fidem solam non sufficere ad justificationem & ad salutem, nec solam esse sufficientem dispositionem ad fructuose suscipienda Sacramenta. 3. Non invocant Sanctos tanquam Mediatore inter Deum & hominem, saltem ut immediatos & principales. 4. Nec loco Christi; sed invocant etiam ipsam Christum, & quid in principaliter, & tanquam Mediatorem & Auxiliatorem, Sanctos verò invocant tanquam Intercessores & Patronos, ac Mediatore apud Mediatorem Christum. Alterum, quod additur, quasi Ecclesia Romana moderna in 25. punctis recesserit à doctrina à D. Paulo expressa in ep. ad Rom. falsissimum est, nec Lutherano-rum & Calvinistarum glossa, ac interpretatio epistolæ ad Rom. sufficit ad faciendam huic accusationi auctoritatem; utpote qui non sunt legitimi interpretes Scripturæ, multo minus judices Ecclesie, à qua perfide defecerunt rebelles

belles filij: quibus Ecclesiam erroris accusantibus si credendum, nec Ecclesia primæva, & Apostolorum temporibus, ab errore immunis credenda fuit, utpote ab hæreticis v. g. Nicolaitis, Simone Mago, Arianis &c. semper accusata. Ecclesia Particularis non debet judicare Universalem, & putare, quod epistolam D. Pauli ad Rom. melius intelligat. Imò ex hoc ipso, quod Lutherani in 25. punctis dissideant ab Universali Ecclesia, totidem erroribus circa hanc epistolam ipsi convincuntur esse obnoxij.

13. Ob. 2. Promissiones, quibus Ecclesia promittitur perpetua infallibilitas, sunt solum conditionatæ, si nempe Ecclesia adhæserit semper Verbo Dei, & ritè tractaverit S. Scripturam, si sanctè vixerit &c. juxta illud: *Oves meæ vocem meam audiuistis.* Jo. 10. v. 27. *Scrutamini Scripturas.* Jo. 5. v. 39. *Habent Moysen & Prophetas, audiant illos.* Luc. 16. v. 19. *Superedificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Eph. 2. v. 20. Item Jo. 8. v. 31. *Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis.* Atqui potest contingere, & sapius jam contigit, ut Ecclesia non adhæreat Verbo Dei scripto, sed ei adverteatur: ergo potest contingere, ut erret. Ita potissimum iterum M. Lomer in seiner *Saurbrünnen*, Cur p. 251. cum & ex alijs passim.

R. N. M. N. m. & N. C. Si promissiones, Ecclesie factæ, essent solum conditionatæ, & subintelligeretur (nam explicite nulla in textibus supra recitatis addita est, excepto ultimo, qui tamen longè aliter intelligendus est) hæc

tacita conditio, si adhæserit Verbo Dei, sequeretur 1. Christum suæ Ecclesie nihil promississe, quia etiam Turca vel Hæreticus non errat tunc, quando & si adhæret Verbo Dei. 2. Christum lepidè illuisse suæ Ecclesie, haud aliter, ac cyngari solent, hujusmodi vaticinijs plebem ludentes: *Wann du lang lebst wirst du alt: halt du vil Geld/ bist du reich;* nam Christi promissiones habent hunc sensum: *Ecclesia non errabit, quamdiu rectam viam tenebit: non cadet, quamdiu stabit: puram tradet doctrinam, si eam non deseruerit &c.* Hoc ipsum est in questione, utrùm Deus possit permittere, & quidem vi suæ promissionis, ut Ecclesia deserat puram doctrinam, S. Scripturam malè intelligat, aliquid falsi contra Verbum Dei (scriptum, vel non scriptum) doceat. Et hoc privilegium concessum esse toti Ecclesie Universalij, nulli autem Particulari, multò nundis homini privato, contendimus, & absolute promissum, solidè probavimus nostris argumentis. 3. Sequeretur, nihil omnino posse tutè & sine formidine credi, etiamsi in antiquis Concilijs & primitiva Ecclesia sit definitum, quia certum non esset, utrùm Patres Concilij adhæserint Verbo Dei. Deinde formo hoc dilemma. Vel Christus deserit Ecclesiam prius, vel prius deseritur ab Ecclesia? Non deserit prius, quia hoc repugnat ejus promissioni; etiamsi hæc tantum conditionata foret: non prius deseritur ab Ecclesia, quia repugnat, Ecclesiam errare, quamdiu regitur à Christo. Textus, quos recitat M. Lomer, non sunt

ad rem, ut consideranti patet, nec ullam expriment *conditionem* Ultimus, quem adducunt alij, exprimit quidem *conditionem*, sed ibi non est sermo de Ecclesia Univerſa, sed ſolum de quibusdam Judæis credentibus, neque sermo est de veritate doctrinæ, sed de morum probitate, quam in ſuis dilectis Discipulis exigit Chriſtus.

14. Dices 1. Promiſſiones non ſunt factæ Eccleſiæ viſibili, ſed inviſibili Sanctorum. 2. Licet Eccleſiæ viſibili eſſent factæ, tamen poſſet errare, modò in errore non perſiſteret, quia ſic diabolus eam non vinceret. R. Ad 1. patet ex ſuprà dictis, ubi rejecimus diſiſionem Eccleſiæ in Viſibilem & Inviſibilem, & ubi probavimus, Eccleſiam ſemper eſſe neceſſariò viſibilem. Deinde non poſſunt textus, ex quibus probavimus infallibilitatem Eccleſiæ, intelligi de Eccleſia Inviſibili, ut conſideranti patebit. Ad 2. Utiſque vinceretur Eccleſia, ſi in unico fidei articulo erraret; cum utique urbem vincat, qui eam expugnat in unico loco, licet expugnatam ruriſus amittat.

15. Dices 2. Si aliqua Eccleſia Viſibilis eſſet Univerſalis, tunc eſſet Romana: ſed Romana non eſt Univerſalis, ſed Particularis: ergo nulla Eccleſia Viſibilis eſt Univerſalis: ergo nec infallibilis, conſequenter nec Romana erit. R. N. m. vel D. Eccleſia Romana, quatenus completitur fideles certi diſtrictus, nempe Romani, non eſt Univerſalis, ſicut Eccleſia Auguſtana v. g. quæ completitur fideles tantum Auguſtanæ Diœceſis, non eſt Univerſalis C. m. quatenus eſt diſuſa per totum orbem, &

quatenus habet dominatum in omnes alias Eccleſias, utpote habens pro Epifcopo Chriſti Vicarium, D. Petri Succeſſorem, Paſtorem Univerſalem, cui omnes Chriſti oves credite ſunt. N. m. Cæterum latibularia & inviſibilis Eccleſia, ad quam identidem ſe recipere coguntur velut ad latebras fugitivi Sectarij, præſius ridicula eſt, & meritò cuilibet prudenti ſuſpecta. Nec facile mihi aliquid videretur magis prima fronte abſurdum, quam Eccleſiam Inviſibilem à Chriſto fundatam eſſe pro hominibus, qui nil niſi dependenter à ſenſibus cognoscere poſſunt.

Dices 3. Intellectus non eſt firmior voluntate: ſed voluntas omnium fidelium, conſequenter Univerſalis Eccleſia, poteſt errare, & in graviffima peccata prolabi: ergo & intellectus poteſt errare, nimirum circa res fidei. R. 1. N. M. nam intellectui promiſſa eſt infallibilitas in fide, non autem voluntati immutabilitas in virtute. Petro enim dictum eſt: rogavi pro te, ut non deficiat *fides* tua; non autem dictum eſt: ut non deficiat *charitas* tua &c. 2. N. M. nam tota & Univerſalis Eccleſia nunquam labi poteſt in peccata, ita ut nullos omnino habeat amplius ſanctos: nam Eccleſia ſemper debet eſſe *ſancta* juxta Symbolum Apoſtolicum, etiam in membris ſaltem aliquibus; quippe doctrina *ſancta*, qualis eſt in vera Eccleſia, non poteſt eſſe ſine fructu; *Omnis enim arbor bona bonos fructus facit*, Mat. 7. Licet igitur ſinguli poſſint labi in peccata gravia, nunquam tamen omnes.

Ob. 3. & principaliter. Catholici pro-

probant infallibilitatem Ecclesie ex Scripturis, & vicissim Scripturas alibi probant ex infallibilitate Ecclesie, hos vel illos libros pro Canonicis & Divinis declarantis: sed hoc modo itur in circum-  
 sum, & probatur idem per idem, a. per b. & b. per a. ergo. §. 1. N. 1. membrum Ma. quippe non unice probant infallibilitatem Ecclesie ex Scripturis, sed etiam ex communi fidelium sensu, & ex ratione, ut vidimus supra. §. 2. Dist. 1. membrum Ma. probant infallibilitatem Ecclesie ex Scripturis contra Hæreticos, & illos, qui independentem ab auctoritate Ecclesie admittunt Scripturas. C. Ma. contra Gentiles, & alios, qui Scripturas aliunde non admittunt. N. M. & dist. Mi. sed hoc modo itur in circum-  
 sum, si infallibilitas Ecclesie probetur ex Scripturis contra eos, qui aliunde & independentem ab auctoritate Ecclesie Scripturas non admittunt C. Mi. contra eos, qui aliunde admittunt, uti sunt Lutherani, & alij Sectarij, contra quos agimus. N. Mi. & Conf. Cum enim contra istos non sit necesse probare Scripturas per Ecclesie definitis infallibilitatem, utpote qui illas aliunde admittunt sponte sua, tantum probatur infallibilitas Ecclesie ex Scripturis, non autem vicissim Scripturæ ex infallibilitate Ecclesie. Contra alios autem, qui Scripturas aliunde non admittunt, uti Gentiles, Pagani &c. non probant Catholicæ infallibilitatem Ecclesie ex Scripturis, sed ex ratione, postquam ex signis veræ Ecclesie ipsis sufficienter probarunt suam Ecclesiam esse veram Religionem; inde enim rectè deducitur, eam in proponendis articulis fidei

falli non posse, eo ipso, quod sit vera Religio, à Deo profecta, & gubernata; si enim erraret, hoc ipso vera non esset, nec ejus dogmata à Deo. Unde.

R. 3. Dist. 2. membrum M. Scripturas probant per infallibilitatem Ecclesie, aliunde tamen cognitam, quam ex Scripturis, C. non aliunde cognitam, sed primum ex Scripturis cognoscendam. N. M. Infallibilitas Ecclesie sufficienter probatur per notas veræ Ecclesie, & per motiva credibilitatis, uti sunt potentia, sapientia, & sanctitas Christi, mirabilis propagatio doctrinæ Christi valde arduæ, innumera & maxima prodigia ac miracula, conformitas fidelium in articulis fidei, sanctitas tum doctrinæ tum morum, antiquitas, diffusio per totum orbem, testimonium virorum innumerabilium scientijs & virtutibus clarissimorum, etiam inter atrocissimos dolores vitam & sanguinem pro hujus Ecclesie veritate passim prodigentium &c. Certè si Apostoli terè per solâ miracula satis probarunt Mundo, & nostris Adversarijs, eorum doctrinam esse infallibilem; cur non per hæc ipsa, & per reliqua insuper signa, proclius illustra, sufficienter probent Catholicæ independentem à Scripturis, suam Ecclesiam esse veram, & consequenter infallibilem?

Longè majore jure Adversarijs obijcitur circulus vitiosus, quem committunt in sua credendi ratione, & resolutione suæ fidei. Si enim interrogentur, quare credant, hanc Scripturam esse Divinam, & purum Dei Verbum? Ultimato denique respondent, id sibi

constare ex interna Spiritus S. testificatione: ut patet ex meo *Lutheranismo constanter errante*, & ex dictis de Scriptura S. si rursus interrogentur, unde constet ipsis, hanc internam testificationem esse Spiritus S. & non potius spiritum privatum & dictamen erroneum? Reponunt, id sibi constare ex Scriptura, quæ Jo. 10. v. 27. dicit: *Oves meæ vocem meam audiunt.* Ex Scripturam S. probant ex in-

terna Spiritus S. testificatione, & hanc vicissim ex Scriptura S. quod formalissimè est ire in circulum, ex quo nunquam se extricabunt, nisi agnoverint infallibilem Ecclesie auctoritatem, quam quamdiu repudiant, tamdiu fides ipsorum fiet niteretur Spiritus S. testificatione, imò niteretur spiritu privato, humano, erroneo: & sic non erit nisi fides humana, incerta, dubia, fallibilis, erronea.

## ARTICULUS V.

*Ex hæctenus disputatis evidenter deducitur, veram Christi Ecclesiam esse non posse Lutheranam &c. sed Romanam.*

### SUMMARIUM.

- |  |  |
|--|--|
| 1. <i>Quæ dicuntur de Lutheranis, applicari possunt omnibus Apostatis.</i> | 5. <i>Nec fuit perpetuò visibilis: ergo vera non est.</i>  |
| 2. <i>Quid intelligatur nomine Ecclesia Romana.</i>                        | 6. <i>Nec est infallibilis: ergo vera non est.</i>   |
| 3. 4. <i>Ecclesia Lutherana non fuit perpetua: ergo vera non est.</i>      | 7. <i>Ecclesia Romana vicissim, quia semper, &amp; quidem visibilis, semperque infallibilis existit, vera est.</i> |

1. Sciendum 1. Quamvis ordinariè tantum *Lutheranam* sectam directè & nominatim impugnemus, pleraque tamen ex dictis tum ex dicendis facile applicari posse (& ferè mutato duntaxat nomine) omnibus alijs Apostatarum ab Ecclesia Romana exiis, uti Calvinistarum, Zwinglianorum, Arianorum recentium &c. cum hisdem se tueri, & Catholicos infestare armis solent, ac debeant.

R. P. Pichler Theol. Polemica.

Sciendum 2. Per Ecclesiam Romanam intelligi illam, quæ communicat in fide cum Episcopo Romano, tanquam Christi Vicario, D. Petri Successore, & Pastore Universali. Ferè sicut Lutherani per Augustanam Confessionem intelligunt non modò illam doctrinam, quæ prædicatur in Urbe Augustana, verum etiam omnes illos, qui cum hac Augustana Confessionis doctrina & fidei Symbolo communicant, Confessionistas

Rb

nistas

nitas dicunt, licet distinctas Ecclesias Particulares faciant, & in alijs Regionibus morentur. Neque obstat, quod Episcopus Romanus habeat propriam Diocesim, nempe Ditionem Romanam, in qua simul est Episcopus peculiaris: fere sicut Archidux Austriae, qui electus est in Imperatorem, simul est Dominus supremus, & Caput totius Imperij, ac simul peculiaris Dominus Austriae, quae est una ex ceteris Imperij Provincijs; & sicut Imperij Romani membra sunt omnes, qui cum Archiduce Austriae, simul Imperatore, in rebus Politicis communicant. Porro Romanam Ecclesiam saltem olim & tempore Apostolorum fuisse Catholicam, seu per totum orbem diffusam, patet ex illo Pauli ad Romanos 1. scribentis: *Fides vestra annuntiatur in universo mundo.* Unde Ecclesia Romana semper accipiebatur, & hodie dum accipitur pro Catholica, ut idem intelligatur per *Romanam*, & per *Catholicam* Ecclesiam; & hinc *Romano-Catholica* etiam appellari consuevit. Jam ex haecenus disputatis

3. Deduco 1. Vera Christi Ecclesia debet esse perpetua, ita ut continua duratione à temporibus Christi existeret in mundo, ut patet ex art. 2. assertionem 2. p. 165. Atqui Lutherana non semper existit in mundo; sed ante Lutherum nemo sic credidit, uti nunc Lutherani, saltem in omnibus; quis enim fuit ille? Adeoque non semper existit in mundo. Ergo non est vera Christi Ecclesia. Si dicant, Apostolos ita credidisse, repono 1. id esse falsissimum; ut enim taceam ceteros articulos, pro exemplo sit articulus praecipuus apud Lutheranos; nempe de

justificatione peccatoris, quam Lutherani tribuunt soli fidei, Apostoli autem tribuerunt fidei & operibus bonis simul. Sic S. Jo. ep. 1. c. 3. v. 7. ait: *Filioli, nemo vos seducat. Qui facit justitiam, justus est.* S. Jacobus c. 2. v. 24. *Videtur, quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum.* Et S. Paulus 1. Cor. 13. v. 2. 3. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum, nihil mihi prodest.* En tres Apostoli clarissime advertantur dogmati Lutheranicorum de justificatione. Repono 2. Etiam si transmittetur, Apostolos ita credidisse, ut modò Lutherani; tamen nisi ostenderint, tempore intermedio ab Apostolorum usque ad moderna tempora semper & continuo talem fuisse certum, qui haec omnia crederent, ipsorum Ecclesia non fuit perpetua: ergo nec vera est.

4. Deduco 2. Qui discedunt ab aliqua Ecclesia anteriore se, non sunt in Ecclesia perpetua, sed sequuntur erroneam: atqui Lutherani discesserunt ab aliqua Ecclesia anteriore se: ergo non sunt in Ecclesia perpetua, sed sequuntur erroneam. Mihi est clara, quia defecerunt ab Ecclesia Romana, quae utique prior existit. M. quoad primam partem est evidens, quod ad alteram expressè traditur à D. Paulo 1. Tim. 4. v. 1. ubi sic variciniatur. *Novissimis temporibus discedent quidam à fide: attendentes spiritum erroris.* En discedere à fide, & ab Ecclesia anteriore, est signum, imò definitio haereseos, & doctrinae erroneae juxta S. Paulum. Audiantur pulcherrima verba Joannis Morini (quen tamē

mco

men nuper in suas partes multoties trahere nitebatur nonnemo Luticianorum, ficto nomine Horallector, tam crudus, quam rerum imperitus Scriptor. Is in proamio de administratione Sacramenti Pœnitentiæ apud P. Vitum Erbermann in Bellarm. Viadic. de Indulgentiis in fine egregiè ad scopum nostrum ita discurrit: Christus Ecclesiæ suæ adest non uno die, non uno seculo, sed omnibus seculis & singulis diebus omnium seculorum usque ad consummationem seculi. Ita quoque clarissime Apostolus Eph. 4. v. 11. 12. Etenim differentiæ, Catholicum & hereticum substantialiter constituentes, unumque ab altero discernentes his propositionibus continentur. *Ista propositio* (Ecclesiæ veritatem secuta est annis 200. 300. 500. 1000. postea erravit, morum iniquitatem, & Regiminis perurbationem amplexa est, & probavit) *hereticum constituit.* (Contra ista propositio (Ecclesiæ nullo seculo, nullo die errare potest, aut pravorum mores probare) Catholicum demonstrat. A Deo enim præceptum nobis est Ecclesiæ hodie loquentem audire, non solum alterius ævi. Si semel hoc axioma concutias, omnem excutis de cordibus Christianorum fidei securitatem, tumque necessario sicut parvuli fluctuantes circumferemur omni vento doctrina &c. Nulla enim inter se sentientem & hereticos, quotquot fuerunt, sunt, & erunt, quatenus heretici sunt, differentia prorsus est. Omnes enim heretici, qui fuerunt, sunt, & erunt, tales sunt propter non auditam hodiè & nunc Ecclesiæ loquentem & desinentem. Obiendere enim & profiteri, se auditurum Ecclesiæ, Doctoresque alterius ævi, hoc

R. P. Pichler Theol. Polemica.

planè est paucis verbis *negus magis negav.* Nam idem importune jactant & ostentant omnes heretici. hic ævi secundi, ille tertij, iste quartus & consequenter, sed nullus Ecclesiæ hodie loquentem & docentem se auditurum sincere profiteretur. Omnes Heretici volunt Ecclesiæ audire mutam, non loquentem, Doctores mortuos, non vivos, ut, quod vivis & loquentibus iudiciis fieri non potest, mutis & mortuis illudant. Ita verissimè Morinus.

Deduco 3. Vera Christi Ecclesiæ perpetuò debet esse visibilis, ita ut à mundo cognosci possit ex publica & externa fidei professione, & Sacramentorum communione, ut patet ex art. 3. assert. 2. p. 174. Atqui Lutherana non fuit perpetuò visibilis, mundoque cognita, ut ipsimet farentur; nam sic se latebras invenisse putant, quibus evitent importunas exactiones Catholicorum, identidem postulantium scire, ubinam locorum fuerit, & inter quos homines, vera Christi Ecclesiæ ante Lutherum per mille & amplius annos. Ergo non est vera Christi Ecclesiæ. Gerardus, qui tamen & ipse ad Latibulariam Ecclesiæ se recipit, non tamen tutum ibi asylum reperit, imò sibi ipsi contradicens n. 70. his verbis se prostruit: *extra catum Vocatorum* (tam veros quam putativos fideles complectentem) *non sunt quærendi electi* (veri fideles) *quicunque igitur pertinent ad Ecclesiæ invisibilem, illi etiam ad visibilem, sed non contra.* Ex quibus verbis sic argumentor: Ecclesiæ invisibilis Electorum juxta Gerardum non datur sine Ecclesiæ visibili Vocatorum:

atqui iuxta eundem saltem Ecclesia invisibilis semper dari debet: ergo & Ecclesia visibilis: ergo. *Major* nostri primi argumenti est vera ex confessione propria Lutheranorum: *Minor* vero in confesso est apud eosdem, imò eam ex professo statuunt inter sua principia. Neque dicas, Gerardum sapius docere oppositum, nempe Ecclesiam totam posse fieri, & jam fuisse invisibilem; id enim Gerardum dicere, non abnuo; sed simul tibi innuo, quam falsos sequaris Magistros, & quam difficile sit sibi constare in oppugnanda veritate.

6. Deduco 4. Vera Christi Ecclesia debet esse infallibilis in rebus fidei, ut constat ex art. 4. assert. 2. p. 187. Atqui Lutheranam non est infallibilis: ergo non est vera. Mi. prob. Nulla Ecclesia Particularis, ut farentur Lutherani, est infallibilis; sed Lutheranam, ut ijdem fatentur, est Ecclesia Particularis: ergo. Rursus. Juxta Lutheranos nullus catus visibilis est Ecclesia Universalis, & infallibilis: ipsorum catus est visibilis: ergo. Ubi enim & apud quos sit vera fides interna, sine qua consistere nequit Ecclesia Christi vera, nec ipsi norunt, sed solus Deus; atque adeò juxta ipsos solum invisibilis Ecclesia est infallibilis; quod dicere planè ineptissimum est. Quid enim prodest infallibilitas Ecclesie invisibilis, quam audire, interrogare, & accedere nequeunt homines, utpote ipsis incognitam? Quomodo se illi associabunt, ut sint firmi, tuti, & constantes in fidei professione, si tam fides, quam Ecclesia vera lateat? Cui Docto-

ri, vel Instructori in rebus fidei prudenter credere possunt firmissimè, si nesciant, vel saltem dubitare possint, an ipse Instructor doceat veram fidem, an ista doctrina sit illa, quam tenet Ecclesia Christi vera infallibilis, quam adire & consulere nequeunt? O absurditas, ô stultitia!

Deduco 5. Illa sola potest esse vera Christi Ecclesia, quæ 1. est perpetua, seu à temporibus Christi, à quo fundata est, semper existit in mundo. 2. Quæ semper fuit visibilis, ac nunquam cognita. 3. Quæ semper fuit infallibilis, atque in rebus fidei nunquam erravit. Atqui hæc omnia reperuntur in Ecclesia Romana: ergo hæc sola potest esse vera Christi Ecclesia. M. est certa ex dictis; hæc enim sunt proprietates & dotes tales, ut sine ijs vera Ecclesia consistere non valeat; quis enim credat, Christum, qui, utpote Deus, est Architectus sapientissimus & potentissimus, edificasse tanto impendio Ecclesiam pro paucis duntaxat annis, quibus ipse & Apostoli adhuc in terris degabant: Ecclesiam talem, quæ mundo esset incognita, cum tamen voluerit esse necessariam ad salutem: Ecclesiam fallibilem, cui nemo securè adhiberet fidem sine periculo erroris? constat evidentia communis famæ, & historiae tum Politicæ, tum Ecclesiasticæ, ex quibus habetur imprimis continua à Divo Petro successio Episcoporum Ecclesie Romanæ, qui semper fuerunt agniti pro summo Capite & Pastore Universali ab omnibus omnino fidelibus, non tantum Romæ, sed per totum orbem existentibus. Deinde

Roma-



Romana fuit Ecclesia, quam adeo impugnarunt Gentiles, à qua discesserunt heretici, quæ fuit semper prædicata in plerisque Provincijs mundi, imò & recepta in innumeris, adeoque ubique cognita, ac perpetuò visibilis existit. Quod autem fuerit infallibilis, patet tum ex eo, quia nullus error cum ve-

ritate ipsi imputari potest, tum quia aliquando saltem, etiam juxta Adversarios, fuit vera Christi Ecclesia, consequenter infallibilis: si autem fuit aliquando vera, semper fuit, cum porta inferi non possint prevalere adversus eam. Mat. 16.

## CAPUT II.

De Notis, ex quibus vera Christi Ecclesia discernatur à falsis Sectis.

### ARTICULUS I.

An & quas notas habeat vera Christi Ecclesia?

#### SUMMARIUM.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1. 2. Quid sit nota vera Ecclesia, &amp; quas condiciones habere debeat.</p> <p>3. 4. Alia nota est Negativa, alia Affirmativa, qua discerni possit vera Ecclesia à sectis falsis Christianorum.</p> <p>5. Quas notas assignaverint alij, præsertim Bellarminus.</p> <p>6. Nobis placet præcipuè hæc quatuor adducere, scilicet unitatis, sanctitatis, universalitatis, &amp; anti-</p> | <p>quiritatis; ad quas tamen adhuc alias reducimus.</p> <p>7. Necessè est, ut Ecclesia vera habeat notas aliquas clarè sui distinctivas à sectis falsis.</p> <p>8. 9. Inter eas sunt vel maxime unitas, sanctitas, universalitas, antiquitas, &amp; cum his connexa, quas etiam Lutherani admittere debent.</p> <p>10. 11. 12. Solvuntur Objectiones.</p> |
|--|---|

Sciendum 1. per notas (seu signa) vere Ecclesie intelligi ea, ex quibus Ecclesia vera possit discerni ab omni secta falsa, seu quæ sint apta ducere in cognitionem vere Ecclesie; nam signum in genere dicitur esse id, quod ducit vel ducere potest in cognitionem alterius. Unde

B b 3 Scien-

2. Sciendum 2. Ad veram & proprie dictam notam requiri 1. ut sit notior, quam id, cuius est nota vel signum. 2. Ut sit propria illi rei, cuius est signum, & non communis alijs rebus; nam accidentia communia non possunt ducere in notitiam certæ rei: sic malè daret pro signo distinctivo Petri ab alijs hominibus, dicendo, Petrum esse, qui habet duos oculos, duas manus &c. 3. Ut sit inseparabilis à re significata, saltem si sit nota adæquata. Sic pariter signa veræ Ecclesiæ debent 1. esse notiora, quam sit ipsa Ecclesia vera. 2. Propria veræ Ecclesiæ, & sectis falsis non communia, saltem si simul sumantur; quamvis enim singula convenire debeant veræ Ecclesiæ, non tamen singula seorsum debent esse propria quarto modo, hoc est, convenire omni, soli, & semper, licet simul sumpta debeant ita esse propria, & soli Ecclesiæ veræ convenire. 3. Inseparabilia à vera Ecclesia, iterum saltem simul sumpta.
3. Sc. 3. Alias notas Ecclesiæ vocari negativas, alias affirmativas: *negativæ* sunt, in quibus argumentari solum negativè possumus, v.g. hoc modo: ista Ecclesia non est una & concors in suis dogmatis: ergo non est vera. *Affirmativæ*, in quibus valet argumentum affirmativum v.g. hoc modo: ista Ecclesia est sancta: ergo est vera. Nam sanctitas non potest convenire falsæ sectæ, fortè tamen concordia in dogmatis &c. Aliquæ ex his (etiam seorsum sumptæ) sunt propria veræ Ecclesiæ quarto modo: alia autem sunt tales, s. simul sumantur cum reliquis.
4. Sc. 4. Hic loci solum afferendas esse illas notas, quæ veram Ecclesiam distinguunt ab omni alia secta *Christianorum*; quippe signa & notas illas, per quas discerni debet à sectis non Christianorum, puta Gentilium, Judæorum, & Paganorum, adduximus de Divinitate Christi.
5. Sc. 5. Varias à Catholicis assignari notas veræ Ecclesiæ, & nunc plures, nunc pauciores, pro ratione scilicet instituti sui. Thomas Bozius Congregationis Oratorij Presbyter assertit & deducit 99. signa seu notas veræ Ecclesiæ, Bellarminus 15. nimirum sequentes. Prima est ipsum nomen *Catholicum*. 2. Antiquitas. 3. Duratio nunquam interrupta. 4. Multitudo & varietas credentium. 5. Successio Episcoporum in Romana Ecclesia ab Apollolis deducta usque ad nos. 6. Conspiratio in doctrina cum Ecclesia Antiqua. 7. Unio membrorum inter se, & cum Capite, Romano Pontifice. 8. Sanctitas doctrinæ. 9. Efficacia doctrinæ, utpote convertentis animas. 10. Sanctitas vitæ Auctorum, sive primorum Patrum nostræ Religionis. 11. Gloria miraculorum. 12. Lumen Propheticum. 13. Confessio Adversariorum. 14. Infelix oppugnantium Ecclesiam exitus. 15. Felicitas divinitus collata propugnatoribus Ecclesiæ. Alij brevitatibus studiosi celebriores Ecclesiæ notas ad quatuor, easque magis splendidas & generales reducunt, scilicet unitatem, sanctitatem,

tem, universalitatem, & antiquitatem, in Concilio & Symbolo Nycano expressas, ubi jubemur credere, *unam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*. Sanctitatem & Universalitatem docet ipsum quoque Symbolum Apostolicum, in quo credimus *sanctam Ecclesiam Catholicam*; Catholica autem idem est ac Universalis.

6. Sc. 6. Etiam nobis constitutum esse memoratas quatuor notas, tanquam insigniores, & reliquarum fontes, deinceps persequi, ita tamen, ut ad singulas adjiciamus unam vel alteram, magis cognatam, majoris claritatis & soliditatis gratia. Sic ad notam *Unitatis* addemus notam necessarij Judicis Contraversarum fidei. Ad notam *Sanctitatis* notam Miraculorum. Ad notam *Universalitatis* notam conversionis Gentilium. Ad notam *Antiquitatis* notam, originis. Id adhuc observa quod nota Antiquitatis, qua indicatur in Symbolo Nicano per vocem *Apostolica*, preferenda nobis videatur, & ipsi, qui instruuntur pro fide Catholica, primo loco proponenda, tum quia admodum facilis est captu, tum quia admodum clarè convincit, tum quia lumen Naturæ dicat, ut initio statim rerum investigetur origo.

7. Dico 1. Vera Christi Ecclesia debet habere aliquas notas, ex quibus dignoscatur ab omnibus falsis sectis, ac reddatur evidenter credibilis. Probatu-  
r facillè. Omnes obligantur credere Ecclesiam, eique se adjungere sub pœna æterni exitij, ut fatentur Adversarij; atqui nisi Ecclesia haberet tales notas, ex quibus dignosci posset à fal-

sis sectis, nemo posset eam credere, & se illi adjungere, utpote incognita; neque teneretur id facere, nisi ipsi redderetur evidenter credibilis tum absolute, tum respectivè, seu habito respectu ad alias sectas, ejusmodi signis destitutas. Unde iterum Invisibilis Protestantium Ecclesia omnium risui exponitur; si enim habere debeat notas distinctè vas, per quas discerni possit ab hominibus à falsis sectis, quomodo hominibus potest esse ignota, & incognoscibilis?

Confirmatur. Sicut in Naturalibus essentia rerum nobis non immediate innotescunt per se ipsas, sed per certas proprietates exterius sese prodentes: ita multo magis essentia rerum supernaturalium, inter quas etiam est vera Christi Ecclesia, non nisi per certas proprietates, & notas, exterius sese prodentes, nobis innotescunt. Cæterum dixi in assertione, *evidenter credibilis*, non *evidenter vera*; cum ingens inter hæc duo discrimen intercedat: evidenter verum dicitur illud, quod vel in se vel in suis principijs videtur clarè; evidenter credibile dicitur id, quod nec in se nec in suis principijs videtur clarè, habet tamen tot ac tanta motiva & testimonia, ut quilibet vir sapiens merito credere possit ac debeat, & fidem prudenter negare nequeat. In exemplo, si Judex proprijs oculis clarè videat, aliquem occidi, habet evidentiam veritatis: si autem ipse non videat, sed habeat 20. vel 30. viros gravissimos, qui testantur se vidisse hominem occidi, Judex habet evidentiam credibilitatis. Quæ sunt evidenter vera, proprie non possunt credi sub ratione evidentia, cum

cum fides sit de rebus *non apparentibus*, ut ait Apostolus. Quæ sunt evidenter credibilia, possunt & debent credi, cum Deus non possit permittere tantam apparentiam, quæ faciat objectum evidenter credibile, quin ipse loquatur, & tale objectum revelet. Sic etiam non potest permittere, ut Ecclesia falsa ijs notis conspicua sit, ut reddatur evidenter credibilis absolute & respectivè; quia sic ipse deciperet homines, ad ea credenda obligatos, quæ per motiva credibilitatis sunt evidenter credibilia, & digna assensu.

7. Dico 2. Hæ quatuor Notæ, Unitas, Sanctitas, Universalitas, Antiquitas (consequenter & aliæ cum his connectæ) debent etiam à Lutheranis admitti. Probatum 1. A Lutheranis admittitur Symbolum Apostolicum, item Symbolum Nicænum, quia statim in primo art. Augustinæ Confessionis reverentur auctoritatem Concilij Nicæni, in quo factum est Symbolum: atqui in his duobus Symbolis continentur hæ quatuor notæ, in Nicæno quidem omnes, quia sic habet: *credo unam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*; in Apostolico duæ, quia sic habet: *credo sanctam Ecclesiam Catholicam*: ergo hæ quatuor notæ etiam à Lutheranis admitti debent. Confirmatur. In art. 7. Conf. Aug. Lutherani docent, *quod una sancta Ecclesia perpetuo mansura sit*: ergo fatentur, veram Christi Ecclesiam debere esse *unam, sanctam, & Apostolicam*; si enim *perpetuo manere* debeat, utique ab Apostolis usque nunc manere debuit, & deniceps per-

servare debet. Quod autem Ecclesiam veram fateantur debere esse *Catholicam*, colligitur ulterius ex art. 21. ubi dicunt, in sua doctrina nihil esse, quod à Scripturis discrepet, vel ab Ecclesia *Catholica*.

9. Probatum 2. ex ratione. Vera Christi Ecclesia debet habere aliquas notas distinctivas à falsis sectis, ut patet ex assertione præcedente, & ex Providentia Divina, ad quam spectat providere de medijs, quibus perveniri possit ad veram Ecclesiam. Atqui per has quatuor notas vera Christi Ecclesia optimè distingui & discerni potest à falsis Christianorum sectis: ergo has quatuor notas debet habere: ergo ab omnibus admittendæ sunt. Mi. prob. quia unitas in doctrina, sanctitas tum doctrinæ tum morum, universalitas seu diffusio per totum orbem, & successio continua à temporibus Apostolorum habent illas condiciones, quas supra requisivimus ad utiles notas Sciendo 2. nam imprimis sunt certiores & notiores, quam ipsa vera Ecclesia. Deinde sunt propriæ soli Ecclesie veræ, saltè si simul summantur; imò sanctitas, etiam seorsim, uti & origo, & successio Apostolica, sunt propriæ soli.

Demum quod sint, etiam singulæ seorsim, inseparabiles à vera Christi Ecclesia, probatur sigillatim. 1. De Unitate doctrinæ: evidens est, Deum non esse Deum dissensionis, sed unitatis, Spiritum S. non esse Spiritum contradictionis, sed veritatis, & Regnum in se divisum stare non posse: atqui vera Ecclesia est à Deo, regitur à Spiritu S. est Regnum

à Christo fundatum, ut fatentur Adversarij: ergo evidens est, Ecclesiam debere esse unam in doctrina: non discordem, non divisam in se. 2. De *Sanctitate* doctrina. Evidens est, Deum nihil impium docere & precipere posse: sed potius omnem ejus doctrinam esse puram, sanctam, & ad virtutes exstimulantem, unde & Sanctitas morum promanat: atqui doctrina Ecclesiae, prout & ipsa Ecclesia, debet esse à Deo, cum vera Religio, ejusque dogmata, & praecepta debeant esse revelata à Deo, ut alibi dictum est, & Lutherani non negant: ergo evidens est, Ecclesiam debere esse sanctam in doctrina; consequenter & in membris, saltem quibusdam, ut dicitur de nota Sanctitatis. 3. De *Universalitate* quoad locum: evidens est, illam Ecclesiam debere esse Catholicam, seu universalem, hoc est, diffusam per totum orbem, quam omnes tenentur amplecti, & extra quam non est salus: sed veram Christi Ecclesiam tenentur omnes sequi, & extra illam non est salus, ut iterum fatentur Adversarij: ergo evidens est, veram Christi Ecclesiam debere esse universalem quoad locum. 4. De *Antiquitate*: evidens est, veram Christi Ecclesiam debere proficisci à Christo: atqui non provenit à Christo, nisi sit antiquissima, durans à Christi & Apostolorum temporibus usque ad nos; quae enim postea exortae sunt, non à Christo fundatae sunt, sed ab hominibus; à Christi Ecclesia discedentibus; à quibus & nomen acceperunt, uti Ariana ab Ario, Pelagiana à Pelagio, Lutherana à Lutero, Calviniana à Calvino &c. et

R. P. Pichler Theol. Polemicæ.

go evidens est, veram Christi Ecclesiam debere esse antiquissimam & Apostolicam.

Ob. 1. Vera Christi Ecclesia juxta 10.  
Catholicos debet esse visibilis, non minus ac Imperium Romanum, Regnum Galliae, aut Respublica Veneta visibilis est: sed ad dignoscendum Romanum Imperium, Rempublicam Venetam &c. non necessariae sunt ullae notae: ergo nec ad dignoscendam veram Ecclesiam. R. 1. D. M. est visibilis quoad professionem fidei. C. M. quoad ipsam fidem internam, seu quoad ipsam veritatem fidei, & Sacramentorum. N. M. Cum igitur haec veritas fidei & Sacramentorum non videatur evidenter, sed credatur, debet reddi evidenter credibilis per certa signa, sicut essentiae rerum naturalium, v. g. animal rationale non videtur in se, sed solum in proprietatibus illius, & effectibus tanquam in signis. Caterum forma essentialis Ecclesiae non est illa ipsa, per quam singuli fideles constituuntur, nimirum fides interna; sed quia Ecclesia quae talis (sicut omnis ordinata congregatio) est totum relativum, ejus forma non potest esse absoluta, sed debet esse respectiva, nimirum *Unio* illa, fundata in singulis hominibus, eandem fidem, Sacramenta, & Pastorem profitentibus: quae forma essentialis non est invisibilis, licet forma, per quam singuli fideles in ratione veri fidelis tanquam partis Ecclesiae constituuntur, sit invisibilis, nimirum vera fides; quae tamen fit sensibilis per externam professionem: quatenus igitur plures in hac professione ex-

C.

terna

terna conspirant, ipsa forma essentialis Ecclesie; nempe ista adunata professio, seu unio profitentium, est sensibilis. R. 2. N. m. Eriam si Imperium Romanum, Respublica Veneta &c. sit visibilis, tamen habet, & habere debet suas notas, & characteres distinctivos ab alijs hominum ceteribus, cujusmodi characteres sunt locus, nomen, sigillum, professio, & studia externa, quibus membra se invicem juvant &c.

31. Ob. 2. Notæ, per quas discernenda est vera Ecclesia, debent esse propria & essentialis: sed illæ quatuor, quas adduximus, non sunt propria & essentialis, sed communes & accidentales; nam unitas in doctrina, diffusio per totum orbem &c. potest esse communis cum secta falsa, & vicissim Ecclesia vera potest esse, quin sit diffusa per totum orbem &c. ergo. R. 1. D. M. debent esse propria, simul sumptæ C. M. singula seorsim N. M. Item debent esse essentialis, hoc est, inseparabiles. C. M. debent esse ita essentialis, & intrinsecæ, sicut proprietates quarto modo v. g. risibilitas in homine. N. M. & sic distincta m. N. C. R. 2. T. M. N. m. *Propria* soli vera Ecclesie sunt imprimis omnes simul sumptæ, deinde aliqua etiam seorsim sumptæ, ut esse sanctam, esse Apostolicam &c. Demum etiam singula seorsim; cum impossibile sit, ullam sectam falsam tali unitate, & tali per orbem propagatione &c. præditam esse, quali defecto conspicua est vera Ecclesia, nimirum Romana; eoque quod ejus unitas sit per totum orbem, perpetua, & proveniens ab uno Capite, controversiarum infallibili Judice: dif-

fusio autem per totum orbem sit facta non sine magnis prodigijs, contra ritum Gentilium scelerate, Orci potentia, perverse naturæ genio, sine vi, sine armis, sine alijs humanis adminiculis &c. *Essentialis*, hoc est, inseparabiles esse à vera Ecclesia tam omnes, quam singulas, probant nostra argumenta, præsertim ex Symbolo Apostolico, & Nicæno desumpta; quamvis enim dempto decreto Divino, & abstrahendo à revelatione Divina, posset fortè vera Ecclesia non diffundi per totum orbem, hodie tamen ex revelatione Divina constat, veram Ecclesiam debere esse *Catholicam* &c.

12. Dices. In Symbolo Apostolico non reperitur vox *Catholicam*: ergo. R. N. A. Nam Symbolum Apostolicum ex perpetua Traditione Ecclesie in art. 9. ita sonat: *Sanctam Ecclesiam Catholicam* (subintellige *credo*) ein heilige Allgemeine Kirch. Correspondet textus Grecus, versiones omnes cum SS. PP. Unicus Lutherus, videns suam novitiam sectam non posse vocari Catholicam, hoc est, Universalem quoad doctrinam, locum, tempus, & personas, temerario ausu, & sacrilego falsi crimine violentas manus, sicut Scripturæ S. sepius, ita Symbolo Apostolico intulit, pro *Catholicam* substituens *Christianam*, ita ut hodie dum Lutherani Symbolum corruptum recitent hoc modo: Ein heilige Christliche Kirch; quasi verò idem esset *Christliche* & *Allgemein* / *Christiana* Ecclesie dicuntur omnes, quæ confitentur Christum: sed propterea dici non possunt *Catholica*, seu *Universales*, ita ut omni loco, & omni

omni tempore existerint, in doctrina do Monacho se ita decipi sinunt inre  
consentientes. O miseris animas, gravissima!  
quæ à tam effronte, sacrilego, & perfidi-

## ARTICULUS II.

## De Nota Antiquitatis.

## SUMMARIUM.

1. Ingressus ad notam Antiquitatis.
2. Que triplici Syllogismo absolvitur;
3. Non tamen alio, nisi negativo; quod observabitur etiam deinceps ad impugnandas falsas sectas; facta tamen semper aliqua inde reflexione ad Ecclesiam Romanam.
4. Vera Christi Ecclesia debet habere doctrinam antiquissimam, ut Scriptura, Symbola, Patres, ratio ipsa demonstrant, & ipsi Lutherani fatentur.
5. Quidquid obganniant alij.
6. Ecclesia Lutherana non habet doctrinam antiquissimam.
7. 8. Quidquid replicent ejus Sectatores.
9. Non alia Lutherane secta competit antiquitas doctrina, quam illa, quam habet à Simone Mago, & alijs antiquis hereticis.
10. Ecclesia Romana habet legitimam antiquitatem.
11. Quam pro Germania nostra specialiter confirmant certi Idiotismi, modique loquendi antiquissimi.
12. 13. Nec ullo argumento solido in dubium revocari potest hæc antiquitas.
14. Vera Christi Ecclesia debet habere continuam successionem Episcoporum, præsertim in Cathedra Petri.
15. Frivola sunt exceptiones Adversariorum.
16. Lutherana secta non habet hæc continuam successionem.
17. 18. Frustra contendunt, hæc successionem non requiri.
19. Eam tamen habet Ecclesia Romana.
20. 21. 22. Frustra oppugnatam à Sectarijs.
23. Vera Christi Ecclesia non potest habere turpem Auctorem & vitiosam originem.
24. 25. Lutherana secta habet turpem Auctorem, vitiosam originem.
26. 27. Non potest hæc labes evitari, quidquid dicatur.
28. Econtra Ecclesia Romana immunis est ab hac labe.
29. Neque Papa est Auctor illius.

Sciendum 1. Sicut ad demonstrandum nobilitatem suam illustrius ar-  
R. P. Pichler Theol. Polemica.

gumentum non habent Mundi Principes, quam si retrogradiendo longissima

Cc 2 luma

suma serie per Majorum suorum nomina devenire possint usque ad Auctorem stirpis suæ longè clarissimum, nobilissimum v. g. ad Carolum M. ad Julium Cæsarem &c. Ita Sponsa Christi, nimirum Ecclesia, non alia illustriori nota se probat nobilissimam, quàm si seriè nunquam interrupta retro gradi possit per continuam Episcoporum successionem usque ad ipsos Apostolos, usque ad primum Ecclesie Caput D. Petrum, imò ad ipsum Fundatorem Christum JESUM, in quo utique summa nobilitas. Quo igitur Ecclesia est antiquior, eò est nobilior. Unde

2. Sciendum 2. Triplici Syllogismo à nobis notam Antiquitatis, qua dignoscatur evidenter vera à falsa Ecclesia, pertractandam: in 1. antiquitatem continuæ successionis in doctrina Christi & Apostolorum: in 2. antiquitatem continuæ successionis Episcoporum seu

Pastorum: in 3. antiquitatem & nobilitatem Originis.

3. Sciendum 3. Quòd non alios, nisi negativos, Syllogismos in singulis notis formaturus sum; cum præcipuus finis sit, ostendere falsitatem sectæ Lutheranorum, & per consequens omnium Apostatarum ab Ecclesia Antiqua: semper tamen reflexio fiet ad Ecclesiam Romanam, utrùm hæ notæ, quas Lutheranorum cæui non convenire demonstrabimus, conveniant Romano-Catholicæ Ecclesie. Atque sic primario ex quatuor notis supra memoratis argumenta *negativa* depromam, secundario *affirmativa*. Licet enim fortè non in singulis scorsim bonum sit argumentum affirmativum, bonum tamen est in singulis argumentum negativum, ita ut, ubi vel unica ex recensendis notis non reperitur, ibi vera Christi Ecclesia non sit.

### SYLLOGISMUS I.

Vera Christi Ecclesia debet habere doctrinam antiquissimam, continua successione à Christo & Apostolis derivatam.

Sed Lutherana non habet doctrinam antiquissimam, continua successione à Christo & Apostolis derivatam.

Ergo Lutherana non est vera Christi Ecclesia.

*Major patet*

4. 1. Ex Scriptura S. quæ de Ecclesia & viris fidelibus dicit: *Superedificati su-*

*per fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo JESU. Eph. 2. v. 20. Tu es Petrus, & super hanc Petram adificabo Ec-*



*Ecclesiam meam, & porta inferi non  
prevalent adversus eam. Mat. 16. v.  
18. Hic (JESUS) erit magnus, &  
filius Altissimi vocabitur, & dabit illi  
Dominus DEUS sedem David Patris  
ejus, & regnabit in Domo Jacob (in  
Ecclesia) in aeternum, & regni ejus non  
erit finis. Luc. 1. v. 32. 33. Huc  
pertinent etiam illi textus, quibus  
probavimus supra Perpetuitatem Eccle-  
siae, & Indefeclibilitatem in rebus fidei.  
Idem praenuntiatur Prophetæ in Anti-  
quo Testamento. In diebus Regnorum  
illorum suscitabit DEUS Cæli Regnum,  
quod in aeternum non dissipabitur. Dan.  
2. v. 44. Sponsabote mihi in sempiter-  
num. Osee 2. v. 19. Sponsabo te  
mihi in fide. v. 20. Qui & similes tex-  
tus satis clarè docent, veram Christi  
Ecclesiam debere ab ipso Christo esse  
fundatam, ab Apostolis propagatam,  
& continua successione conservatam us-  
que ad finem mundi, adeoque doctri-  
nam veram Ecclesiae debere esse antiquis-  
simam & semper conservatam.*

2. Ex Symbolo tum Apostolico tum  
Nicæno; quod utrumque à Lutheranis  
admittendum est. Nicænum clarè &  
explicitè veram Ecclesiam vocat *Apostoli-  
cam*, adeoque ab Apostolis continua  
ejusdem doctrinae serie propagatam,  
cum vera Ecclesia semper & perpetuò  
debeat dari in mundo juxta ea, quæ de  
Perpetuitate ejusdem diximus. Aposto-  
licum autem veram Ecclesiam appellat  
*Catholicam*: atqui verè propriè que  
Catholicum, teste Vincentio Lirinensi  
contra hæreses c. 3. est, *id tenere, quod  
ubique, quod semper, quod ab omnibus*

*creditum est. Notetur bene, quod  
semper.*

3. Ex SS. Patribus, apud quos in-  
dubitatum est, illam Ecclesiam, quæ  
post Christi & Apostolorum tempora  
introducitur, & quæ in signum No-  
vitatæ suæ ab alio, quàm à Christo,  
nomen trahit, uti Ariana ab Ario,  
Pelagiana à Pelagio &c. falsam esse.  
Audiamus S. Hier. in Dialogo contra  
Luciferianos in fine. *Brevem tibi a-  
periamque animi mei sententiam profe-  
ram, in illa Ecclesia esse permanen-  
dum, quæ ab Apostolis fundata us-  
que ad diem hanc durat. Sicubi au-  
dieris, eos qui dicuntur Christi ( seu  
Christiani) non à Domino JESU Chri-  
sto, sed à quoquam alio nuncupari,  
ut putat Marcionitas, Valentinianos,  
Montenses, sive Campitas, scito, non  
esse Ecclesiam Christi; sed Antichri-  
sti esse Synagogam. Ex hoc enim ipso,  
quod postea instituti sunt, eos se esse  
indicant, quos futuros Apostolus præ-  
nuntiavit. 1. Tim. 4. Audiant &  
notent sibi hæc Lutherani, qui à Lu-  
thero instituti, & nominati sunt. Idem  
Hier. mox subjungit: *Nec sibi blandi-  
antur, si de Scripturarum Capitulis  
videntur sibi affirmare, quod dicunt;  
cum & diabolus de Scripturis aliqua  
sit locutus, & Scriptura non in legendo  
consistant, sed intelligendo. Alioquin  
si litteram sequimur, possumus & nos  
quoque novum nobis dogma componere;  
ut asseramus, in Ecclesiam non recipi-  
endos, qui calceati sint, & duas  
tunicas habeant. Notent sibi hæc  
iterum Lutherani, qui solis Scripturis,  
C c 3 juxta**

Iuxta proprium dictamen intellectis, niti volunt. S. Epiphani. hæresi 55. *Termini nobis positi sunt & fundamenta &c. Apostolorum Traditiones, & Scriptura Sancta, & Successiones doctrinæ &c. Nemo decipiatur novis fabulis.* S. Augustinus l. contra ep. fundamenti. c. 4. sic pronuntiat: *Tenet me in Ecclesie gremio auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata &c.* Item l. 4. de Baptis. cont. Donatist. c. 24. hanc tradit regulam: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Concilij institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Et epist. 118. ad Januarium: *Siquid tota per orbem frequentat Ecclesia; hoc quin ita faciendum sit, disputare insolentissima insania est:* Ergo Ecclesia nec in fidei Articulis, nec in Decretis morum errat unquam, sed semper & continuo retinet Doctrinam Christi, & Apostolorum. Irenæum, Basilium; Origenem, Tertullianum, & alios PP. brevitatis causâ omitto.

4. Ex ratione. Vera Christi Ecclesia utique debet esse fundata à Christo; ab hoc enim dicitur *Christiana*; & quidem non tantum pro paucis annis, sed pro omni tempore; eum Christus, utpote prudentissimus Architectus, sicut Ecclesiam suam non super arenam, sed super petram, nullo hostium insultu expugnabilem, ædificare portuerit, ita haud dubie voluerit, id exigente ejus Providentiâ & honore. Ergo vera Christi Ecclesia debet esse antiquissima, & à temporibus Christi, ac Apo-

stolorum continua ejusdem doctrinæ successione usque ad nos derivata.

5. Ex confessione propria Sectatorum; quippe Lutherani non tantum fatentur, veram Ecclesiam debere esse introductam à Christo, sed etiam docent in sua Confessione August. art. 7. *quod una sancta Ecclesia perpetuo mansura sit, in qua Evangelium pure docetur, & rectè administrantur Sacramenta.* Ergo Christi Ecclesia vera debet semper esse in mundo, & continuo eandem Christi doctrinam retinere; ergo Ecclesia Nova, quæ non perpetuo fuit à Christo, & Apostolorum temporibus, neque ejus doctrinam semper habuit, vera Christi Ecclesia non est.

Dices 1. Ecclesia est notior, quam antiquitas ejus; quia facilius est scire, hic aut illic esse Ecclesiam, quam scire, eam olim fuisse per multa sæcula: ergo antiquitas non potest esse nota vera Ecclesie. R. N. suppositum Antecedentis; non enim est questio de Ecclesia qualicumque, sed de Ecclesia vera Christi. Hæc veritas Ecclesie in se evidens non est, sicut evidens est, dari aliquam Ecclesiam; ejus tamen antiquitas, velut veritatis proprietas & nota, saltem moraliter est evidens, scilicet ex historijs, communi & constanti fama, temporum, locorum, & hominum cognitione.

Dices 2. Ex humanis adminiculis non debet pendere fides nostra, utpote *Divina*; historia autem, fama communis &c. sunt tantum motiva humana. R. Non pendet ab illis ut moraliter tantum certis, sed ut connexis cum illis

illis supernaturalibus signis, quæ denotare debent veram Ecclesiam, & à Deo permitti non possent, nisi revera essent locutio Dei supernaturalis, & metaphysicè certa; quippe fama de antiquitate & alijs notis veræ Ecclesiæ non potest esse imitabilis ab ulla secta falsa, adeoque redditur evidenter credibilis, quod sit supernaturalis, & metaphysicè certa, licet evidens sit moraliter tantum. Deinde licet hæc fama & historie tantum moraliter essent certæ, & non simul supernaturalis Dei locutio, tamen jam omnes tenerentur illam Ecclesiam sequi, pro qua stat moralis certitudo, & signa moraliter certa.

Dices 3. Si antiquitas doctrinæ, seu conformitas doctrinæ cum doctrina Christi & Apostolorum, potest esse nota veræ Ecclesiæ, tunc etiam pura Verbi prædicatio, ut volunt Lutherani, potest esse nota veræ Ecclesiæ; quia inter se hæc duo non distinguuntur: sed consequens à Catholicis non admittitur: ergo. N. M. quamvis enim realiter non distinguantur quoad rectum, potest tamen conformitas doctrinæ cum doctrina Christi & Apostolorum fieri nobis evidens per externam professionem Christi & Apostolorum, ac simul per professionem modernorum fidelium, licet ipsa veritas doctrinæ (quæ realiter est ipsa conformitas cum doctrina Apostolorum) non sit evidens. Pura prædicatio non potest esse nota, quia minus est cognita quam ipsa Ecclesia.

*Minor demonstratur*

1. Ex oppositione dogmatum, quæ Christus & Apostoli ex una, ex altera verò parte tenet Ecclesia Lutherana. 1.

Lutheranorum dogma & quidem præcipuum est, hominem justificari sola fide, sine ullis operibus præteritis, præsentibus, & futuris, scilicet penitentia, charitatis &c. ut expressè docet liber Concordiæ, p. 274. b. edit. Tubing. 1580. 2. Humanitatem Christi esse ubique, non minus ac ejus Divinitatem propter unitatem personæ, ut docet idem liber sæpius. 3. Unicam Scripturam sufficere, & audiendam esse, non Ecclesiam. 4. Mandata Dei observari non posse, nec necessariò debere, modo fortiter credatur fide speciali in Christum. 5. Bonis operibus justorum non reddi mercedem propriè dictam in cælis &c. At Christus & Apostoli è diametro docuerunt oppositum. I. Si penitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis. Luc. 13. v. 5. Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in Regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei. Mat. 7. v. 21. haud dubiò observando Decalogum. Ex operibus justificatur, & non ex fide tantum. Jac. 2. v. 24. Qui non diligit, manet in morte. 1. Jo. 3. v. 14. II. Si abiero, & præparavero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, ut, ubi sum ego, & vos sitis. Jo. 14. v. 3. Venit JESUS, & stetit in medio. Jo. 20. v. 19. Surrexit, non est hic. Marc. 16. v. 6. III. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Mat. 18. v. 17. IV. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Mat. 19. v. 17. Qui dicit, se nosse eum, & mandata ejus non custodit, mendax est. Jo. 2. v. 4.

*Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habero, nihil sum, nihil mihi prodest.* 1. Cor. 13. Charitatem autem non habet, qui non observat mandata. V. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.* Mat. 5. v. 12. &c. Ergo Lutherana Ecclesia non habet doctrinam Christi, & Apostolorum.

2. Ex historijs, ex quibus (dato etiam, nunquam concessio, quod doctrina Lutheranorum conveniret cum Evangelio, cum doctrina Christi, & Apostolorum) nullatenus probari potest *continua successio* doctrinae Lutheranorum usque ad tempora Apostolorum: consequenter Apostolica non est, nec debitam habet antiquitatem; nam doctrina Christi, & Apostolorum nunquam interire, aut interrumpi potest. Jam per duo propè saecula petitur à Lutheranis, ut nominent vel unicam Provinciam, urbem, pagum, tugurium, communitatem quancunque, in qua per decem saecula à Gregorio M. (quem nondum audent inter Antichristos numerare, utpote Papam verè sanctissimum, & pro tali ab omnibus semper habitum) usque ad Lutherum omnia prorsus dogmata credita sint, qua nunc creduntur à Lutheranis, eodem modo administrata Sacramenta &c. Petitur, ut nominent Doctores, imò vel unicum per mille & amplius annos, immediate Lutherum antegressos, qui in tota fidei doctrina conspiraverit cum Luthero, & Lutheranis, qui docerit  
1. Humanitatem Christi esse ubique.  
2. Eum in Evcharistia non esse ante actualem sumptionem.  
3. Sacrificium

Missa esse idololatriam. 4. Illos Scripturæ libros, quos Lutherani recipiunt, esse unicam regulam doctrinae fidei. 5. Romanum Pontificem esse Antichristum. 6. Invocationem Sanctorum esse idolomaniam. 7. SS. imaginum cultum esse idololatricum. 8. Duo tantum esse Sacramenta. 9. Non esse Purgatorium. 10. Vota & vitam monasticam esse superstitiosam &c. Hac, inquam, & cætera dogmata, quae hodie tenent Lutherani, vel tenuerunt, omnia fuisse credita ab ulla etiam minima communitate ante Lutherum, aut prædicata vel ab unico Doctore, ostendere jubentur Lutherani ex Historicis, qui utique non reticissent, si talis olim Religio fuisset in mundo; cum alia, etiam minutissima, ad Religionem spectantia, diligentissimè annotarint. Verùm hæcenus nec unicum quidem hominem ex tota antiquitate potuerunt nominare, qui ita credidisset, & docuisset in omnibus, ut credunt, & docent modò Lutherani. Et quomodo Lutheranismum velut ovum ostendant ante gallinam? Ergo ex defectu continuæ durationis non est Apostolica Lutheranorum secta.

3. Ex propria confessione Lutheri, & Lutheranorum. Nam Lutherus sæpius apertè faretur, suam doctrinam esse novam; in præf. to. 1. Lat. ait: *Solus primò eram, & certè ad tantas res tractandas ineptissimus, & indolentissimus; casu enim, non voluntate, nec studio in has turbas incidi, Deum ipsum testor.* In Brevi Confess. suam doctrinam vocat *novam, & supra modum scandalosam per universum mundum.*

L. de

I. de summa Mandatorum Dei dicit, *se neminem scire, qui de fide, & operibus rectè judicare potuerit, exceptis Apostolis.* De Captivitate Babylon. Tyrannis Papalis jam à multis seculis fidem extinxit. Contra Regem Angliæ gloriatur, *se ita produxisse Verbum Dei in lucem, ut à mille annis non fuit, Rufus de captiv. Babyl. contra Missam ait: Nec te moveat, quod totus orbis contrarium, & sensum, & usum habeat.* Et de abrog. Mill. l. 244. hos ferupulos patitur: *Tu solus sapiens? totne errant universi? tanta secula ignorarunt? &c.?* Similia repetuntur in præfatione Augustinæ Confessionis. *De justitia fidei omnia templa, monasteria, schola, denique libri omnes Theologorum recentium antea missi erant. Nemo docebat, peccata remitti per fidem Christi. Sacramenta impie profanata sunt, postquam recepta est opinio, quod ex opere operato justificent. Et hac opinio doctrinam fidei prorsus oppressit &c.* In art. 20. dicitur, *de hac doctrina (de sola fide justificante) olim fuisse alium silentium.* Idem insinuant usitatissimæ locutiones Lutheranorum, quibus fidem suam vocare solent *Evangelium renatum, renovatum, restitutum, reformatum, doctrinam reparatam, resuscitatam, postliminio reductam, restauratam, Evangelium Wittenbergæ capiens initium &c.* Unde & Lutherum passim appellant *Inceptorem Reformationis, Instauratorem collapsæ, vastatæ, desolatæ, dirutæ Ecclesiæ &c.* Ergo fatentur, suam Ecclesiam non continuò du-

R. P. Pichler Theol. Polemica,

râsse, & ante Lutherum saltem immediate non fuisse.

Reponunt 1. suam Ecclesiam esse eandem cum primitiva tempore Christi, & Apostolorum, cum eorum doctrinam in SS. Litteris expressam accuratè sequatur: ergo. R. 1. N. Ant. Ratio negandi patet ex dictis n. 6. Nec refert, quod Lutherani adducant pro se textulos quosdam Scripture, violenter in alienum sensum detortos, & juxta privatam sui spiritus interni dictamen explicatos; si enim hoc sufficeret, nulla daretur secta falsa & hæretica; quippe omnes hæretici sua falsa dogmata probârunt per quosdam textus juxta privatam spiritum explicatos: sic Ariani probabant, Filium esse minorem Patre ex illo Jo. 14. *Pater major me est: Christum non esse Deum ex illa Christi confessione, ut cognoscant te solum verum Deum.* Joan. 17. Sic Manichæi probabant, Christum non esse verum hominem ex illo Pauli ad Gal. 4. *in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Sic Sabelliani probabant, Filium Divinum quoad Personalitatem non distingui à Patre realiter, ex illo Jo. 10. *Ego & Pater unum sumus.* R. 2. Hoc ipsum semper dixisse, & hodiequum dicere eodem jure posse omnes hæreticos; hi enim omnes sprete Ecclesiæ auctoritate thronicè jactant, suam doctrinam esse doctrinam Christi, & Apostolorum, idque probant provocando ad Scripturam: sic fecerunt Ariani, sic faciunt Calvinista, Zwingliani &c.

Dicent: Calvinista, & alij Sectarij non

D d

non possunt provocare ad Scripturam, quia non puram sequuntur Scripturam, sed ei aliquid addunt ex sua ratione. At vicissim dicent Calvinista & alij, Lutheranos deficere à Scriptura, & ei ex suo sensu aliquid addere, dum retinent imagines Sanctorum in templis suis, hostias, non panem usualem, distribuunt, Christum secundum humanitatem ubique existere asserunt &c. Anabaptista dicent, Lutheranos desererere Scripturam baptizando parvulos, Ariani, quia filium in Divinis credunt aequalem Patri &c.

2. Reponunt 2. Ecclesiam Lutheranam semper habuisse continuam successionem doctrinae, & ante Lutherum Lutheranismum semper existisse, licet non sub hoc nomine, bene tamen sub nomine Ecclesiae Christianae, Apostolicae, Catholicae. R. 1. Haec responsio imprimis est contra propriam Lutheri, & Lutheranorum confessionem n. 6. allatam. 2. Haec dici possunt pariter & eodem jure à Calvinistis, Zwinglianis, & haereticis omnibus. 3. Sub his nominibus *Ecclesia Christiana, Catholica* &c. immediatè ante Lutherum non alia intelligebatur Religio nisi Romano-Catholica, quae defacto ipsdem nominibus gaudet, & jure possessorio eadem sibi usurpat. Vel nominent aliam, cui haec nomina fuerint ante Lutherum tributa, praeter Romanam.

Dicent 1. In hac ipsa Romano-Catholica Ecclesia, seu in Papatu fuit Ecclesia Lutherana ante Lutherum, sed occulta, invisibilis, nempe in cordibus illorum, qui Scripturam, Symbolum Apostolorum, Decalogum, & oratio-

nem Dominicam retinebant, & omnem in Christo fiduciam reponere, erroribus Papisticis non infecti, & ideo, quamvis essent in Papatu, non tamen erant de Papatu. R. 1. Id ipsum potest dici ab omnibus haereticis, scilicet suae sectae addictos latuisse in Papatu. 2. Ecclesiam occultam statuerè est querere latebras, & fingere Ecclesiam Chymericam; cum Ecclesia invisibilis repugnet juxta superius dicta. 3. Quomodo tam audacter asserunt, fuisse aliquos in Papatu, Lutheranae doctrinae consentientes, cum isti à nullo, etiam qui illis temporibus vixit, cognosci potuerint? Quomodo innotuerunt Lutheranis? 4. Qui fuerunt in externa communione fidei cum Ecclesia Romana, ritè praesumuntur etiam fuisse in interna fidei communione quoad omnes articulos, nisi probetur contrarium; saltem praesumuntur omnes articulos credidisse implicite, explicitè verò saltem illos, quorum explicita notitia est necessaria ad salutem. 5. Non sufficit ad conservationem Ecclesiae conservari tantum Scripturam, Symbolum Apostolorum, Decalogum &c. si in alios errores, & haereses prolatur; sicut ruderata domus non facit domum.

Dicent 2. Non est de essentia Ecclesiae, ut semper sit visibilis, splendida, & conspicua, ut semper habeat liberum exercitium Religionis & publicum, Verbiq; praedicationem publicam: ergo. R. 1. N. Anr. fides enim ex auditu est, & non obtinetur sine praedicatione, sine Doctoribus: sed praedicatione (uti & Sacramentorum administratio) juxta Lutheranos est de essen-

tiâ Ecclesiæ, & proprietas illius inseparabilis; invisibiliter autem exerceri nequit. 2. Sit, quòd Ecclesia Lutherana ante Lutherum non habuerit Doctores, & Prædicantes publicos, exercitium liberum & publicum; cum quæstio hic præcipuè tantùm sit, utrùm simpliciter habuerit aliquos, vel aliquem Doctorem & Prædicantem, profus eadem docentem, quæ nunc ab ipsis creduntur? Utrùm simpliciter aliquam Ecclesiam, aliquod moderno simile Religionis exercitium habuerint, sive id publicum, sive privatum fuerit? Si habuerint, nomen vel unicum Doctorem, nomen vel unicum locum, aut tempus, quo fuerit hæc Ecclesia, istud exercitium; non enim hic queritur, qualis ante Lutherum fuerit Ecclesia Lutherana, an visibilis, illustris, an invisibilis, oppressa &c. sed an simpliciter fuerit, ubi fuerit, quos Doctores habuerit?

Dicent 3. Licet nesciatur, ubi fuerit ante Lutherum Lutherana Ecclesia, quinam ejus Doctores &c. malè tamen inde inferitur, eam & eos non existisse; cum à negatione nostræ cognitionis malè inferatur negatio rei, eò quòd multa dentur, licet à nobis ignorentur. R. 1. Hoc effugio iterum se taceri poterunt omnes hæretici. 2. Nostrum argumentum non est purè negativum, sed fundatur in hac ratione positiva: semper fuerunt accurati Historici, qui res memorabiles, cujusmodi utique est Religio integra, annotarunt scripto pro Posterorum eruditione: cum igitur de doctrina & Ecclesia Lutherana ante Lutherum sub nullo nomine ac titulo

*R. P. Pichler Theol. Polemica.*

mentionem fecerint, prudentissimè inferitur, eam non existisse. 3. Lutheranis, utpote asserentibus, suam Ecclesiam sub alio nomine ante Lutherum existisse, & in Papatu fuisse, incumbit onus probandi: & quamdiu non sufficienter probaverint, & congruos testes adduxerint, tamdiu rectè à nobis negatur, nobisque patrocinatur argumentum negativum: qui enim aliquid affirmat, ille probare debet positivè; non ille, qui negat.

Dicent 4. Doctrina Lutherana Ecclesiæ semper viguit sub Papatu 1. in infantibus baptizatis. 2. in rudibus & simplicibus. 3. in morientibus, qui errores suos in agone agnoverunt, suæque merita nihil valere coram Deo videntes omnem spem salutis collocarunt in meritis Christi. Quo modo mortuus est Carolus V. Imperator, & D. Bernardus. R. 1. Cuilibet prudenti ex hac Adversariorum responsione, profus infanti, simplici, & ridicula, satis innotescere, in quas angustias redacti sint miseri, dum infantes, qui nec rationis, nec linguæ usum habent, simplices, qui vix sciunt, quid credant, certè non aliud credunt, quàm quòd audiunt à suis Pastoribus, imò & ratione carentes pro testibus suæ fidei adducunt, æquales, vel etiam ineptiores quoad hoc Judæis, qui dormientes testes adhibere conati sunt ad negandam Resurrectionem Christi. R. 2. Hos testes eodem jure adhiberi posse pro se à Calvinistis, à Zwinglianis, ac omnibus hæreticis. R. 3. Infantes hos, utpote à Catholicis parentibus natos, Catholico ritu baptizatos, majori jure

*D d.*

*adju-*

adjudicari Ecclesie Romano-Catholice. Quod aliqui in agone fiduciam suam posuerint, & quidem unice in meritis Christi, suis meritis dissidentes, recte fecerunt, & minime contra doctrinam Ecclesie Catholice, quae quamvis doceat, hominem justum per opera sua bona mereri augmentum gloriae, docet tamen simul, hominem ex peccatore fieri justum gratis ex meritis Christi, quamvis non sine cooperatione hominis libera: item docet, hominem nunquam certo scire, utrum sit vere justus coram Deo, consequenter utrum habeat vera merita. Unde partim propter incertitudinem, utrum habeamus vera merita, partim ex humilitate, spem nostram recte in solis Christi meritis collocamus. Neque, qui ita moriuntur, moriuntur Lutheranicè, ut falsò, sine fronte, ac impiè cum omnium bonorum justa indignatione affingunt sanctissimo & Catholicissimo Bernardo, ac Augustissimo Imperatori Carolo V. non sine gravissima injuria Serenissimae Domus Austriae. An hoc est Lutheranicè mori, si quis distinctè confiteatur sua peccata Sacerdoti, sub una specie suscipiat Eucharistiam, prius devotè adoratam, si quis exequias Catholico ritu sibi viventi adhuc peragi velit, & quàm plurima Missae Sacrificia post obitum postulet, si inter viros Religiosos sibi assistentes, precibus juvantes &c. emoriatur (quae omnia fecit Carolus V.) quamvis fiduciam ponat in meritis Christi? Certè nemo sanus id dixerit. Sicut enim ad hoc, ut aliquis dicatur Catholicè mortuus, requiritur, ut in fide omnium articulo-

rum, quos tenet Ecclesia Romana, vitam finiat; ita ad hoc, ut quis Lutheranicè dicatur mortuus, necesse est, ut profiteatur fidem Lutheranam, omnesque ejus articulos teneat usque ad finem. Unde R. 4. Edicant Lutherani, quinam & ubi fuerint isti simplices, illi Lutheranicè morientes? Memoratis duobus facta est summa injuria.

Dicent §. Semper fuerunt aliqui, qui se opponerent Papae, & fundamentales articulos Lutheranismi tenerent, uti Ecclesia Graeca, Waldenses, Hussitae &c. ergo semper fuerunt aliqui Lutherani. R. 1. Haec responsio causam Lutheranorum penitus jugulat, dum aperit schismaticos & haereticos pro sua fidei socijs adducunt, R. 2. N. Conf. Quamvis enim semper Ecclesia & Papa habuerit rebelles filios, propterea tamen nec illa desit esse Sponsa Christi, nec iste Caput fidelium; sicut Rex non desinit esse Caput Regni, licet quidam rebelles se illi opponant. R. 3. N. alterum membrum Antec. quippe nequaquam fundamentales Lutheranismi articulos tenuerunt ij, qui se opposuerunt Papae, de Ecclesia Graeca, quam dissideat ab eo in maximi momenti rebus; ostendimus in *Examine Polemico Augustanae Confessionis art. VI. De Waldensibus, Hussitis &c.* passim ostendunt Auctores, qui horum haereticorum errores recitant, praesertim Tannerus Anat. p. 2. demonst. 6. §. 5. Deinde statim redit quaestio, ubinam fuerit Ecclesia Lutherana ante Waldenses; Hussitas, Ecclesiam Graecam? R. 4. & quæro, quare hos sibi alumnos



attribuant potius Lutherani, quam Calvinistæ? quò jure majori? R. 5. Quæstio non est, an aliqui fuerint ante Lutherum, & quinam, qui *quedam* Lutheranorum dogmata tenuerunt, sed an, & quinam *omnia* tenuerint, sive ea vocaveris fundamentalia, sive accidentalialia; quam quidem divisionem rejecimus in materia de *Indifferentismo*. R. 6. Pessimam esse argumentationem, quàm Lutherani hic, & in libro, cui titulus est *Catalogus testium Veritatis* (falsitatis potius) adhibent, procedentes à particulari ad universale v. g. hoc modo: Ecclesia Græca negat Primatum Romano Pontifici: hoc facit etiam Lutherana: ergo Ecclesia Græca est Lutherana. Item: S. Justinus Martyr S. Scripturam summè æstimabat: hoc faciunt etiam Lutherani: ergo S. Justinus fuit Lutheranus. Quis non videt sophisma? An non etiam pari jure sic licet arguere: Mahumetes agnovit unum Deum: hoc faciunt etiam Lutherani: ergo Mahumetes fuit Lutheranus? Item hoc modo: hos habet os: Lutherus habuit os: ergo Lutherus fuit hos.

Cæterum si Lutherani velint sibi vindicare omnes, qui Romano Pontifici, & Ecclesie Romanæ se opposuerunt, omnino eorum fides erit valde vetusta, & aliquod totum successivum perantiquum; cæpit enim jam tempore Apostolorum, & duravit per omnia secula, dum varij hæretici, uti Simon Magus, Nicolaitæ, Ariani, Pelagiani, &c. successivè cæperunt se opponere Ecclesie Romanæ, ac ab ea discedere. Imò Catholici Doctores

eruditè ostendunt, quòd Lutherana secta sit combinata ex varijs jam olim damnatis hæresiarcharum erroribus, ut P. Georg. Scherer in *seinem Lutherischen Bettler, Mantel* / P. Marquardus Leo in *demonst. Cathol. & novissimè* in patenti folio succinctè P. Casparus Mändl, Collega meus Colendissimus, qui proposuit hunc Syllogismum. *Fides, que credit hereses, ab Universali sancta Ecclesia primorum 4. sæculorum damnata, est falsa fides: Lutherana est talis fides, que &c. ergo est falsa fides.* Mirum est, quos scrupulos habuerint Lutherani Praecones, & Magistri circa *Majorem* hujus Syllogismi, quæ tamen est optima, & evidentissima. Aliqui, quod planè risum movet omnibus Logicæ peritis, putabant, eam esse identicam, petitionem principij &c. uti M. Lomer & Horallector: alij aliam querebant in scirpocodum. An quia *Minorem* judicabant innegabilem? Atque sic Ecclesia Lutherana esset quidem pervetusta, & à temporibus Apostolorum secundum aliquam sui partem existens, non tamen esset *Apostolica*, cum fuisset sine Apostolorum doctrina, sed hæreticis consona.

*An Ecclesia Romana habeat legitimam Antiquitatem, & continuam durationem doctrina?*

R. omnino. Probatur 1. negativè. Non possunt Adversarij solido argumento evincere, quòd Ecclesia Romana, quam omnes fatentur olim fuisse veram, & Apostolicam, ab Apostolica

& Christi doctrina defecerit in ullo articulo fidei : ergo est in possessione suae antiquitatis, nec ex ea deieci potest, nisi luculentè probetur defectio : quod Adversarij nunquam præstiterunt, nec præstabunt deinceps, nisi ad Græcas Calendas.

Confirmatur. Si in Ecclesia Romana (aliquando juxta omnes vera) fuisset facta aliqua mutatio Religionis, & doctrinæ Apostolicæ circa articulum fidei, debuisset aliquod fidei dogma, quod Christus, vel Apostoli docuerunt, fuisse abolitum; vel novum, Apostolicæ doctrinæ contrarium, aut aliunde erroneum, fuisse introductum : sed neutrum probari potest ; deberet enim ostendi 1. dogma ipsum. 2. Auctor illius novus. 3. tempus, quo. 4. locus, ubi cæperit ejusmodi falsum dogma. Hæc enim quatuor in omni mutatione insigni ostendi possunt, & debent, uti nos facillimè demonstramus de hæreticis, ac Novatoribus, qui à nobis discedentes nova dogmata disseminarunt, vel antiqua abolere studuerunt : sic scimus dogma illud blasphemum (filium esse minorem Patre) ortum esse Auctore Ario, sacerdote Alexandrino circa annum Christi 324. sic scimus dogma illud pestilens (hominem sola fide justificari) introduci, & argutorium verò aboleri cæptum à Luthero Monacho in Saxonia anno Christi 1517. &c. Atqui nihil horum unquam probare potuerunt Adversarij de Ecclesia Romana.

Probatur 2. positivè. Romana Ecclesia saltem olim, & aliquando fuit vera Christi Ecclesia, & Apostolica

(quod quidem omnes Protestantes fatentur communi calculo, quamvis discrepent de tempore defectionis ; dum alij determinant sæculum III. alij IV. alij V. alij VI. alij, uti Centuriatores, nullum determinant tempus, sed dicunt, hanc defectionem paulatim, & insensibiliter contigisse, post VI. tamen sæculum de ea aperte constituisse, dum scilicet Papa titulum Universalis Episcopi sibi usurpavit, & sic Antichristum se ostendit : ex qua ipsa acculantium discordia patet, quam innocens Susanna (sit Ecclesia Romana) Romana Ecclesia, inquam, saltem aliquando fuit vera : ergo semper permanet, & adhuc permanet esse vera : cum vera Christi Ecclesia debeat esse perpetua, & semper infallibilis, ut supra demonstratum est, & portæ inferi contra eam, utpote ædificatam super petram, prævalere nequeant. Adeoque doctrinam Apostolicam continuò retinuit, & sic est antiquissima cum successione doctrinæ perpetua.

Probatur 3. Tempore Lutheri non alia in mundo erat Religio, saltem aliquis nominis, quam Paganismus, Judaismus, Mahumetanismus, Ecclesia Græca, Secta Hussitarum, & Ecclesia Romana. Jam de primis tribus nulla esse potest controversia, quia nec sunt Religiones Christianæ ; ex tribus autem posterioribus manifestè nulla fuit Apostolica, quàm Romana ; ab hac enim post 1000. & amplius annos pleno schismate se separavit Græcia, & Hussi primùm post 1300. annos suas hæreses spartit. Ergo vel nulla tunc fuit Ecclesia Apostolica, legitimam ætatem

hæc

habens, & vera; vel illa fuit evidenter Romana: illud prius nec Adversarij admittunt: ergo.

11. Probatur 4. Specialiter ex Idiotismis Getmanis, quod Ecclesia Romana tandem viguerit in nostra Germania, quamdiu hæc agnoscat Christum, atque per totam tempus, ex quo semel in eam introducta est fides, & Ecclesia Christi. Ex quibus evidenter sequitur, non tantum antiquiorem esse Ecclesiam Romanam, quam sit Lutherana, sed etiam admittere oportere unam ex his duobus, nempe vel Ecclesiam Romanam fuisse adhuc veram & Apostolicam, quando Germania nostra fuit conversa ad fidem Christi, & consequenter etiam hodie: vel in Germania nunquam fuisse veram fidem Christi, omnesque Majores nostros cum viris sanctissimis, qui fidem Christi in Germaniam induxerunt, & ideo ejus Apostoli rectè appellantur, fuisse idololatrias, hæreticos, infideles, damnatos &c. ac inter hos *S. Crescentem*, qui fuit discipulus S. Pauli, & primus Episcopus Moguntiae, *S. Beatum*, qui jam à D. Petro dicitur fuisse constitutus Episcopus Constantiensis, *S. Maternum*, *S. Eucharium*, quorum prior Coloniensis, alter Trevirensis Episcopus à D. Petro missus est, *S. Lucium*, qui sæculo II. Evangelium prædicavit in Rætia. *S. Kiltanum*, qui Franconiam, *S. Rupertum*, qui Bavariam, *S. Bonifacium* qui alias Provincias Germaniæ fidem Christi edocuit sæculo VII. *S. Pirminium*, qui Alsatias & Suevos, *S. Ludgerum*, qui Saxones inferiores convertit sæculo VIII. *Carolus Ma-*

*gnus*, quo adnente Saxones ex integro fidem Christi receperunt sæculo IX. & alios viros Apostolicos, qui fidem Christi in Germaniam vel introduxerunt, vel amplificaverunt, vel etiam proprio sanguine rigarunt. Hos autem omnes, qui fidem Ecclesie Romanæ docuerunt nostros Majores, & Progenitores, fuisse meros Impostores, idololatrias, hæreticos, infideles, damnatos &c. & veram Christi Ecclesiam in Germania nunquam fuisse, nullus vel ex audacissimis Protestantibus concedit, & cuilibet, cui sana adhuc ratio & aliqua pietas est, per se incredibile videtur. Jam verò quod tempore Lutheri fuerit, & hodie illa ipsa fides Ecclesie Romana, quæ olim in Germaniam introducta est, in Germania fidei, seu Catholica persistat, demonstratur argumentis ex compito & trivio, ut loquitur Tertullianus in simili negotio, hoc est, ex vulgi, etiam hæretici, modis loquendi, & antiquissimos eorum vocabulorum ulu, quibus dudum, ut patet ex priscais libris, & Foundationum piarum litteris, ac traditione, certa mysteria, & fidei dogmata, cum Sectarijs nostri temporis modò controversa, exprimi consueverunt. Ea autem, quæ scè omnia desumpsi ex P. Gretseri libro, quem vocat *Murices Catholica & Germanica Antiquitatis*, ante 100. annos edito, reducam ad 4. Classes. In 1. afferam ea, quæ ad Evcharistiam. in 2. quæ ad reliqua Sacramenta. in 3. quæ ad Ministros Ecclesie, & statum Religiosum. in 4. quæ ad Ecclesiam, templa, ac ceremonias spectant.

E.

I. Circa *Eucharistiam* jam pridem ante Lutheranismum in usu erant, & adhuc sunt sequentia vocabula Germanica. 1. Consecratio vocabatur, ut hodie adhuc, die *Wandlung* / quæ vox significantissime exprimit *Transsubstantiationem*. 2. Ipsum Eucharistia Sacramentum more antiquissimo vocatur *unfers Heren Fronleichnam* / hoc est, *verum & sanctum Corpus Domini nostri*; quippe tò *Fron* apud antiquos Germanos idein significabat ac *sanctum*, vel *verum*, Et hinc alij vocabant hoc Sacramentum *Wahrlechnam*. Idem *Fron* accipiebatur subinde pro *præcipuum*, *primarium*, sic Altare summum appellabatur *Fron* / *Altar* / & atrium illud, quod est circa templum primarium, *Fron* / *Hoff*. 3. Missam à Latino vocant Germani *Mess*, de qua exstant hi rhythmici antiquissimi in paronesibus Tyrolis: *Wenne der Priester Messe thut / du Gottes Gnade kumbt halmen gleich / und wird das Brod Fleisch und Blut*. Quia verò in Ecclesiarum dedicationibus occasione Missæ solennioris ingens hominum multitudo confluebat, & sic distrabendis & permutandis rebus se offerebat opportunitas, advolarunt etiam mercatores, ac nundinas, & mercatores celebriores instituerunt, quibus postea sacrum nomen adhaerit, & appellari consueverunt *Mess*: uti *Brandfurter Mess* / *Leipziger Mess* &c. Præterea Germani Missam sæpius vocant, & jam olim vocarunt *Mess* / *Opffer* / & , qui celebrat Missam, dicitur *opfferen* à verbo Latino *offero*; ergo evidens est, anti-

quos Germanos habuisse Missam, eamque pro vero Sacrificio agnovisse.

II. Circa *reliqua Sacramenta* notatu digna sunt ista. 1. Antiqui Germani, quando jurabant per Sacramenta, non per duo vel tria, sed per *septem* Sacramenta jurare solebant, ut notat Gretserus in Muric. 2. Sacramentum Confirmationis à Latino *confirmare*, *confirmatio* vocant *Firmen* / *Firmung* / item *Crisma*, seu Latina, seu Græca hæc vox sit, *den Crisam*. Quò facit illud commune dictum de homine nauci: *Es ist Crisam und Tauff an ihm verlohren* / hoc est, Sacramentum Confirmationis, & Baptismi. 3. Sacramentum Ordinis apud Germanos nemo aliter nominat, quàm die *Priesterweyhe* / aut absolute die *Weyhe* / quæ vox Germanis antiquis significabat *Sacrum*, *Consecrationem*, *Sanctificationem*. Majores nostri, inquit l. de festis Hospinianus Calvinista, *weyhen* *sacrare* dicebant. Sic in oratione Dominica antiquis rhythmicis composita ita exprimitur verba, *sanctificetur nomen tuum: Weyhe sey namo theiner*. Huc pertinent ista: *Ryech* / *Weyhe* / *dedicatio*, seu consecratio templi, *Weyhrauch* / thus Divino cultui consecratum, *Wasser weyhen* / *Salz weyhen* / consecrare aquam, salem, die *Weyhnacht* / *sancta nox*, *nox benedictionis*.

III. Circa Ministros Ecclesiæ, & statum Religiosum notandum est i. Quòd antiquissima vox *Priester* / originem habens à Græco *Presbyter*, Religionem Romano-Catholicam indicet, non Lutheranam, apud quam nullus est *Sacerdos*, quia nullum Sacrificium: sunt itaque Lutherani

Lutherani *sine Rege* (scilicet Pastore, & Judice supremo, ac Universali) *sine Lege* (cū suam libertatem Christianam nolint arctari præceptis) *sine Sacrificio* (nimirum sine Missa) consequenter *sine Altari, sine Sacerdote* &c. ut nunc maledicti Judæi. 2. Quod nunquam in antiquis Germanorum libris reperitur vox eum *Priesterin* / quod indicat, Sacerdotes semper fuisse calibes. 3. Quod Sacerdos à Germanis etiam vocari consueverit *Wass* / à Latino *Papa*, tenuibus mutatis in aspiratas more Germanis usitato: qua voce nihil aliud significatur, quam *Pater, Vatter*. Hinc licet Lutherani has voces *Wass* / *Mess* *Wass* proferant animo injuriam inferendi Catholicis Sacerdotibus, tamen re ipsa injuriose non sunt, & aperte indicant, quàm antiqui apud Germanos sine Catholicis Sacerdotes, & quàm novelli sint Prædicantes; quis enim unquam legit in antiquis monumentis *Wort, Diener* / *Diener am Wort* &c. quibus nominibus suos Præcones appellant Lutherani? Ab eodem *Pape* vocabulo derivatur à Germanis quoque nomen *Papst* / quo summum Pontificem designant, & rectè quidem, quia is per antonomasiam est *Papa, Pater, Vatter*. Ab hoc Patre, Christi Vicario, D. Petri Successore longè gloriosus est Catholicis vocari *Papsten* / *Papstisch* / quàm Sæctarijs appellari *Lutherisch* / *Calvinisch* &c. ab excucillato *Luthero*, & infami *Calvino* &c. quia illud antiquitatem, istud novitatem indicat. 4. Quod Sacerdotes præcipui, & Antistites vocentur à Germanis *Bischöff*.

R. P. Probler Theol. Polemica.

qua vox à Græco *ἐκκλησία* derivatur per aphæresin primæ litteræ, & per apocopen ultimæ, ac mutata tenui in aspiratam. Quis unquam hos Antistites apud Antiquos appellari legit *Suppenrentenden*? 5. Quod *Monasteria*, & *Claustra Religiosa* prorsus antiqua sint, indicant hæc & similia nomina, *Closter* à Latino *Clostrum* seu *Clastrum*, *Münster* à *Monasterio*, *München* urbs, dicta à *Monacho*, quem habet in suis insignibus, *Münchs*, *Münster* / *Wassens*, *Münster* / *Münsterling* / *Monasteriolum*, *Appenzell* / quasi *Abbas cella*. Quis unquam legit de aliquo loco, à Prædicantibus appellato, v. g. *Prædicantenhofen* / *Prædicanten*, *Münster* / *Prædicanten*, *Zell* / sicut *Wassens*, *Münster* / *Wassens*, *Hofen* &c. 6. Quod in quibusdam templis Religiosorum, quæ Sæctarijs cesserunt in prædam, adhuc nomen Catholicum retineatur v. g. *bey den Basfasseren* / *bey den Predigeren* &c. quod evidens signum est, hujusmodi domicilia non pro his inquilinis, sed pro Religiosis extructa esse.

IV. Circa *Ecclesiam, templa, & ceremonias* notandum est 1. ipsum nomen *Catholisch* à Græco *καθολικὴ* deductum, hinc enim colligitur, quod Germani fidem suam semper crediderint esse Catholicam, *Allgemein* / consequenter veram, ac illam, quam Christus per totum orbem prædicari voluit. 2. Templum à Germanis semper appellatum fuisse *Ritsh* à Græco *εὐαγγέλιον*, latine *Dominicum*; unde Germanis primariâ templa vocantur *Dom*, vel

Et

Thum

**Thun, Kirhen.** Hæc autem templa fuisse Deo specialiter consecrata, ac dedicata, indicat vox *Kirch, Wyh / dedicatio templi*, quam quidem Lutherani etiam celebrant, sed in culina tantum & popina. 3. Ipsos Sectarios (si velint intelligi) cogi certa templa in d. & oppida à certis Sanctis, etiam Religiosis, Sacerdotibus, Abbatibus, Episcopis &c. indigetare, quos tamen coli, & invocari prohibent, v. g. bey Unser Lieben Frauen / bey St. Ulrich / bey St. Nelas / bey St. Gallen / bey St. Blas / bey St. Catharina / bey St. Anna / bey St. Veit &c. Quibus nuncupationibus indicatur, ab antiquis Germanis Sanctos fuisse veneratione, & invocatione cultos; ut enim eorum impetrarent patrocinia, ejusmodi loca ac templa ipsi dedicata sunt. 4. De mortuis loquentes consuevit dicere: *Helf ihu Gott / tröst ihu Gott / Gott sey ihm gnädig* &c. quibus bene precandi formulis indicatur, Germanos jam olim credidisse Purgatorium, cum existentes in calo non indigeant ejusmodi precibus, existentes autem in inferno nihil inde juventur. 5. Mendicos dicere solitos: *Bergelt's Gott / Deus compenset, remuneret*; sed cur optarent mercedem, si nulla hominis apud Deum essent merita, hoc est, opera mercede apud Deum digna? 6. Varios anni dies à certis ceremonijs appellari etiam à Sectarijs debere (si velint intelligi) v. g. der Ascher / Mittwoch à cineribus benedictis super capita spargi solitis, die Fastnacht / hoc est, Fastnacht à jejuniis Quadragesimali, der Palmtag, à benedictione & gesta-

tione Palmarum, die Creuz / Wochen à crucibus præferri solitis in supplicationibus, quæ in illa hebdomade instituntur; unde ire ad supplicationes, seu Processiones vocant mit dem Creuz gehen / Viechtmeß / quasi *Missæ luminum* à cereis, quæ in festo Purificationis benedicuntur, & accenduntur &c. 7. Germanos benedictionem, & benedicere expressisse per vocem *Segen / segnen* à latino *signo*, scilicet i mutato in e Suevorum more, quasi esset *segno*. Unde dum dicunt, *segne dich* / idem est, ac *zeichne dich mit dem Zeichen des H. Creuzes*; nam signo S. Crucis fieri solent benedictiones. En! quam antiquus apud Germanos S. Crucis, & Benedictionum sit usus. Atque hæc & similia vocabula, ac loquendi formula, jam cum ipsa fide Christiana in Germaniam introducta, continuo in usu esse perrexerunt (vel edidisse aliam & recentiorum earum originem) ac simul manifestè indicant, fidem Romanæ Ecclesiæ, non Lutherana, apud nostros Majores fuisse. Ut adeo vel Germania nunquam habuerit veram Christi fidem, quod admittere durum, & stultum est; vel Ecclesiæ Romanæ habuerit, & adhuc habeat veram, & antiquæ fidei doctrinam.

Ob. 1. Neque Catholici possunt ostendere, ea omnia à fidelibus fuisse credita ante 1200. 1300. 1400. annos, quæ creduntur ab ipsis; ergo nec ipsi habent continam successiorem in doctrina Apostolica. 2. Quamvis nominari nequeat auctor, tempus &c. novi dogmatis, tamen potuit successi-

ve irrepere error, & dormientibus pastoribus ab inimico supereminari zizania; ergo. R. ad 1. Catholici tamdiu persistunt in possessione pacifica, & quæta præscriptione fidei antiquæ, quamdiu ab adversarijs non fuerit manifestè ostensa defectio, error, & apostasia. Ad 2. Licet errores successivè irrepissent in Ecclesiam Romanam, deberet tamen nominari posse iste error, falsum dogma, imò auctor & tempus, cum errores totius Ecclesiæ circa res fidei non possint latenter, & nemine advertente, propter gravitatem rei introduci. Sic licet Lutherus successivè suos errores, & falsa dogmata sparsit, incipiendo ab Indulgentijs &c. tamen sciuntur errores, auctor, tempus, & locus.

23. Ob. 2. Ecclesia Romana moderna in multis adversatur doctrinæ Apostolicæ v. g. in Transsubstantiatione, Missa, Cæna Domini, Purgatorio, Invocatione Sanctorum &c. ergo non ampliùs habet doctrinam antiquam. 2. Pontifices, & Concilia invexerunt multas novitates, de quibus nihil sciebant Veteres: ergo. R. 1. generatim, quòd multa quidem successu temporis ab Ecclesia Romana fuerint explicitè definita, ac pro articulis fidei declarata quæ priùs tantùm credebantur implicitè, utpote in Scripturis, & Traditionibus non clarè expressa; nunquam tamen aliquid definitum est contra

Scripturam, Traditionem, & doctrinam Apostolicam; illud priùs non tollit identitatem fidei, cum eisdem articulos semper crediderint fideles, licet non semper omnes explicitè, utpote nondum explicitè revelatos; antiqui tamen semper debebant esse parati credere omne id, quod explicitè fuerit ab Ecclesia aliquando definitum. Deinde potest fieri mutatio circa ritus & ceremonias, item circa leges pro varietate circumstantiarum sine detrimento fidei. Demum multa finguntur ab hæreticis, & sparguntur falsa v. g. quòd iste vel ille Pontifex instituerit Confessionis Sacramentum, Sacrificium Missæ, Purgatorium &c. cum tamen solum aliquam circumstantiam, aut ritum extrinsecum addiderint, vel Mysterium magis declaraverint &c. Unde R. 2. speciatim ad 1. N. A. vel Dist. juxta explicationem paulò antè datam. Ad 2. D. A. invexerunt novitates in dogmatis N. A. in ritibus C. Ant. Vel invexerunt novitates, declarando & explicitè definiendos ea, quæ priùs tantùm implicitè continebantur in Verbo Dei scripto, vel tradito C. Ant. contraria dogmata statuendo, vel priora abolendo N. A. & C. Plura adducere hujus loci non est, sed spectat ad particulares particularium materiarum tractatus.

## SYLLOGISMUS II.

Vera Christi Ecclesia debet habere continuam successio-  
nem Episcoporum, præsertim in Cathedra suprema Pe-  
tri.

Sed Lutherana non habet continuam successio-  
nem Episcoporum, præsertim in Cathedra suprema Petri.

Ergo Lutherana non est vera Christi Ecclesia.

*Major probatur*

1. Ex Scriptura S. ex qua constat,  
quòd Christus suæ Ecclesiæ constitue-  
rit Pastores, & Doctores, præsertim  
unum supremum D. Petrum, Jo. 21.  
cui specialiter commisit omnes omni-  
no oves suas, dicendo: *Pasce oves meas:*  
per Pastores autem, & Doctores intel-  
liguntur Apostoli, & eorum Successo-  
res Episcopi juxta illud supremae Pasto-  
ris monitum ad sibi subordinatos Pa-  
stores: *Pascite, qui in vobis est gregem  
Dei, providentes non coactè &c neque  
ut dominantes in Cleris.* 1. Petri 5. v. 2.  
Et juxta illud Pauli: *Attendite vobis,  
& universo gregi, in quo vos Spiritus  
S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam  
Dei.* Act. 20. v. 28. Hujusmodi Episco-  
pos autem, & Pastores Christus Domi-  
nus Ecclesiæ suæ non dedit ad breve  
duntaxat tempus, sed usque ad supre-  
mi judicij diem, ut testatur idem Pau-  
lus: *ipse dedit quosdam quidem Apo-  
stolos, quosdam autem Prophetas, alios  
verò Evangelistas, alios autem Pasto-  
res, & Doctores, ad consummationem  
Sanctorum in opus ministerij in adifica-  
tionem Corporis Christi: donec occur-*

*ramus omnes in unitatem fidei, &  
agnitionis Filij Dei, in virum perfe-  
ctum, in mensuram ætatis plenitudi-  
nis Christi, ut jam non simus parvuli  
fluctuantes, & circumferamur omni  
vento doctrinæ, in nequitia hominum*  
&c. Eph. 3. v. 11. seqq.

2. Ex Patribus, qui frequenter hac  
Episcoporum successione tanquam ar-  
gumento evidenti usi sunt ad ostenden-  
dam veram Ecclesiam contra hæreticos.  
Sic Irenæus l. 3. c. 3. contra Valenti-  
num enumerat Episcopos Romanos à  
Petro usque ad Eleutherium, qui suo  
tempore sedebat, ac dicit, *per hanc  
successionem confundi omnes hæreticos.*  
Tertullianus de præscript. adv. hæres.  
c. 32. Sic insultat hæreticis: *edant ori-  
gines suarum Ecclesiarum, evolvant  
ordinem Episcoporum suorum, ita per  
successiones ab initio decurrentem, ut  
primus ille Episcopus aliquem ex Apo-  
stolis, vel Apostolicis viris, qui iam ex-  
cum Apostolis perseveraverint, habue-  
rit Auctorem, & Antecessorem.* Hoc  
enim modo Romanorum Ecclesia Cle-  
mentem à Petro ordinatum edit. He-  
ton. in dial. contra Luciferianos ait: *Ec-  
cle-*



*clesia non est, qua non habet Sacerdotes; consequenter qua non habet Episcopos, à quibus ordinari debent Sacerdotes: ipsi autem Episcopi debent ordinari ab alijs Episcopis, & sic retro, usque dum veniatur ad Apostolos, qui potestatem ordinandi alios acceperunt immediatè à Christo vel à Petro; dicit enim in medià ante de Hilario Diac. heretico: Neque Eucharistiam consecrare potest, Episcopus & Presbyteros non habens. Cum homine pariter interijt & scela, quia post se nullum Clericum Diaconus potuit ordinare. Optatus Milev. l. 2. contra Parmen. Vestra Cathedra originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare. Taceo alios Patres magno numero citari solitos. Non minus enim propter successionem Episcoporum, quam propter successionem doctrinæ Ecclesia vocatur à Patribus Apostolica. Vide Tannerum Anat. Demonstr. 4. §. 2.*

3. Ex Ratione 1. Quia Ecclesiæ regimen semper debet esse tale, quale fuit initio à Christo constitutum: à Christo autem constitutum est tale, ut esset unum Caput & Episcopus supremus, nempe Petrus, ceteri autem Apostoli tanquam Episcopi subordinati: ergo semper debet esse unus supremus Episcopus, D. Petri in Cathedra Apostolica Successor, ac alij Episcopi Particulares locorum, ac subordinati, quasi Successores reliquorum Apostolorum. 2. Quia Ecclesiæ semper necessarii sunt Episcopi, qui habeant potestatem, ab Apostolis in se derivatam, pascendi gregem Dei &c. cum ista potestas sit supernaturalis, à nullo homi-

num conventu communicabilis alteri, cum nullus cætus, multò minùs unus homo in individuo, eam habeat per se, nec acceperit ullus à Christo, nisi Apostoli: ergo accipi debet ab Episcopis, Apostolorum Successoribus, & quidem sine interruptione; si enim fieret interruptio, & successio ista cessaret, nemo amplius accipere posset legitime hanc potestatem, cum nemo eam haberet amplius, & dare posset. 3. Quia fideles sunt oves Christi, & ne errent, debent sequi suos Pastores: ergo semper debent dari Pastores, & quidem, quia rectus ordo id exigit, aliqui Majores, aliqui Minores; alias enim esset mera confusio. Majores autem sunt Episcopi: hi autem non possunt se ipsos facere Episcopos: ergo debent fieri ab alijs, hi iterum ab alijs potestatem habentibus, donec deveniatur ad Apostolos per successionem nunquam interruptam.

Ob. 1. Successio personarum nulla est, ubi non est successio doctrinæ Apostolicæ: ergo ista successio personarum, non est nota Ecclesiæ veræ. R. 1. Successio personarum, scilicet Doctorum, & Episcoporum continua ab ipsis Apostolis est signum etiam successionis doctrinæ Apostolicæ, & quidem valde æstimabile, nisi evidenter demonstretur defectio à doctrinâ Apostolicâ. R. 2. N. C. vel Dist. non est nota affirmativa veræ Ecclesiæ, si accipiat sola, T. C. non est nota Negativa, ex qua rectè inferatur negative. N. C. Rectè siquidem sic interitur: ubi non est successio continua personarum usque ad Apostolos, ibi verâ Christi Ecclesiâ non est, nec Apostolicâ: sed apud Lutheranos &c.

Ec 3

Ob. 2.

Ob. 2. Potest dari successio personarum, & Doctorum, etiam, in aliqua secta falsa: ergo hæc successio non est legitima nota vera Ecclesie. R. T. A. N. C. vel Dist. ut supra: se sola non est nota affirmativa, & proprietas quarto modo C. C. Negativa. N. C.

*Minor est evidens.*

1. Ex hystorijis, ex quibus evidenter constat, Lutherum non fuisse Episcopum, & Pastores Lutheranorum non ulterius posse retrogredi, quam usque ad Lutherum Patriarcham suum, qui tamen nec habuit, nec dare potuit potestatem *Ordinis* Episcopalis, utpote non Episcopus, adeoque non habens potestatem ordinandi alios, nec potestatem *jurisdictionis*, vi cujus posset administrare Sacramenta, prædicare publice Verbum Divinum &c. utpote excommunicationis, & omni jurisdictione, quam prius accepit à Catholicis Episcopis, per excommunicationem privatus. Ergo in Luthero fuit abrupta successio Episcoporum ab Apostolis derivata, adeoque apud Lutheranos hæc successio non datur; ad hanc enim requiritur, ut aliquis fiat Episcopus, & potestatem ordinandi alios acquirat vel ab Apostolo, vel ab Apostoli successore, habente parem cum Apostolo potestatem. Quod autem nullus possit valide ordinare alios, nisi sit Episcopus, patet manifestè ex perpetua praxi, ac sensu communi totius Ecclesie, etiam Primitivæ, & ex S. Scriptura, ritè intellecta, ac exposita ab Ecclesia, ut traditur in materia de Sacramento Ordinis.

2. Ex propria confessione adversariorum; quippe Gerardus in LL. Theol. tit. de Ecclesia c. 11. sect. 5. sapius dicit, nihil curandam successionem personarum continuam ab Apostolis, sibi sufficere successionem doctrinæ &c. Id quod & alij repetunt. Quod autem ipsis pariter desit successio doctrinæ Apostolicæ, constat tum ex Syllogismo præcedente, tum ex defectu successionis personalis. Rursus fatentur coguntur Lutherani, fidei suæ Doctores, & Ecclesie suæ Pastores fuisse incognitos, totum ministerium Verbi fuisse corruptum: ergo fatentur se non posse probare suæ Ecclesie Pastores à Luthero usque ad Apostolos, imò ante Lutherum nullos fuisse veros Pastores; cum Papa, à quo in ceteros Episcopos debeat profluere vocatio, potestas & Ordinis, & jurisdictionis, juxta ipsos fuerit Antichristus.

Ex quibus colligitur, in Ecclesia Lutherana nullum dari Sacerdotem, consequenter nec talem Ministrum, qui validè conficiat Sacramentum Eucharistie, penitentes validè absolvat à peccatis, & prædicet Verbum Dei legitime. Probat; quia ista potestas est spiritualis: ergo debet accipi, vel immediatè à Deo, vel ab ijs, qui acceperunt à Deo, uti Apostoli, eorumque legitimi Successores non interrupti. Atqui Lutherani Ministri non accipiunt hanc potestatem immediatè à Deo; quomodo enim id probant? Neque ab Apostolis, eorumque legitimis Successoribus, parem potestatem habentibus; accipiunt enim vel à Magistratu Civili, cui nunquam dictum est à Christi:

Ho: *Pasce oves meas &c. quorum remis-  
seritis peccata &c. Hoc facite in meam  
commemorationem &c. Ite in mundum  
universum, predicare Evangelium &c.*  
Vel accipiunt à Ministerio Ecclesiastico:  
atqui istud non habet potestatem ordi-  
nandi & vocandi Ministros à se,  
neque ab Apostolis propter defectum  
continuae successionis, vi cuius semper  
debuissent accipere alij ab alijs retro-  
grediendo usque ad Apostolos, quod  
factum non est; nam in Luthero ista  
successio fuit interrupta.

17. Ob. 1. Deus in regenda Ecclesia non  
semper utitur successione Praesulum  
ordinaria, sed subinde extraordinaria,  
sive non semper vocat Ministros me-  
diatè, scilicet mediante homine, cui  
olim potestatem concesserat, sed sub-  
inde etiam immediatè per se. Sic in  
Veteri Testamento extraordinarie misit,  
& immediatè per se vocavit Prophetas,  
ut suae Ecclesiae collapsae prospicerent.  
Pariter fecit in Novo Testamento, ex-  
citans Lutherum velut Eliam, aut Jo-  
annem Baptistam, ut restauraret Eccle-  
siam suam in gravissimos errores pro-  
lapsam. 2. Omnino, Deus potest uti-  
que aliquem, vel aliquos viros egre-  
gios vocare modo extraordinario, &  
immediatè per se, & subinde solitus est,  
sed simul observat haec duo. 1. Ejus-  
modi viros talibus signis, & suae extra-  
ordinariae Missionis characteribus in-  
struit, nimirum vel dono miraculorum,  
vel extraordinariae vitae sanctimoniam, vel  
utraq; hac dote simul, ut nemo pru-  
dens dubitare possit, eos esse speciali-  
ter à Deo missos: nihil tale reperitur in  
Luthero, sed contraria omnia. 2.

Non mittit, ut aliter doceant, quam ij,  
qui sedent super Cathedram Moysis,  
vel Petri, nec, ut Ecclesiae Universae  
doctrinam mutent, sed ut eandem ma-  
jori fructu praedicent, ac potissimum,  
ut corrigant perverfos mores, homi-  
nes abducant à vitijs, & virtutes im-  
plantent. In Prophetis Antiqui Tes-  
tamenti fuit insuper haec ratio mittendi,  
ut mundo praenuntiarent futurum  
Messiam, & alia, quae spectant ad Reg-  
num Christi, & ad Ecclesiam futuram  
Novi Testamenti. Ceterum omnibus  
risum movent Lutherani, dum Luthe-  
rum, hominem sceleratissimum, & nul-  
la Prophetici Spiritus dote insignem,  
comparant cum Prophetis, cum Elia,  
Joanne Baptista &c. utpote vitâ & mo-  
ribus dissimillimum.

18. Ob. 2. Etiamli Ecclesia Lutherana  
non possit ostendere successionem Prae-  
sulum usque ad Apostolos, tamen po-  
test esse ac dici Apostolica: ergo. Ant.  
prob. Ecclesia Christi jam tempore A-  
postolorum erat, & in Symbolo dice-  
batur *Apostolica*; licet tunc nulla ad-  
huc esset successio Praesulum: ergo.  
2. N. Ant. Ad probationem, quamvis  
initio non habuerit successionem Prae-  
sulum formaliter, habuit tamen radi-  
caliter, hoc est, jam tum exigebat Ec-  
clesia Christi continuam per secura  
tempora successionem Praesulum pro-  
pter promissionem Christi sibi factam.  
Vel: successionem initio habuit in actu  
1. licet non habuerit in actu 2. sicut in  
infantia datur discursus quoad actum  
1. sive in radice & potentia, non quo-  
ad actum 2. Tempore Apostolorum  
nulla opus erat successione formali, &  
actuali.

actuali, cum sine hac facile constaret, quod Pastores Ecclesie suam potestatem acceperint à Christo; nunc autem sine actuali successione ostendi non possent, quomodo suam potestatem derivassent à Christo moderni Ecclesie Præsules.

*An Ecclesia Romana habeat continuam successionem Episcoporum, praesertim in Cathedra Petri?*

R. Affirmative. Probatum de successione in Sede Pontificis Petri ( si enim probatum fuerit de hac, eo ipso probatur de aliorum Præsulum legitima successione Apostolica; cum Episcopi, & inferiores Pastores suam potestatem, ordinationem, & missionem derivent ab hac Sede Apostolica & Pontificia Petri) de hac, inquam, successione probatur 1. negative; quia ab Adversarijs non potest ostendi ulla moralis interruptio successione continuæ Pontificum Romanorum usque ad modernum Papam Clementem XI. ergo Romana Ecclesia manet in possessione legitima successione.

Præbatur 2. positive ex historijs tam profanis, quam Ecclesiasticis, in quibus de sæculo ad sæculum accuratè referuntur Pontifices ordine sibi succedentes, eorumque gesta & mores, incipiendo à D. Petro, serè sicut Imperatorum Catalogus à Julio Cæsare usque ad modernum Augustissimum Carolum VI. accuratè contextitur ab Historiographis. Videatur Bellarminus, Baronius, Gaultierius & alij. Proinde nos Catholici irrefragabiliter possumus ostendere,

quomodo omnes & singuli Sacerdotes, Episcopi, Archiepiscopi &c. sint legitime vocati, & ordinati, potestate tam Ordinis, quam Jurisdictionis Spirituallis præditi; quippe Sacerdotes & Pastores tam accipiunt ab Episcopis consecrantibus, & hi ultimatò à summo Pontifice, qui nunc est Clemens XI. qui successit Innocentio XII. Antè hunc fuere Alexander VIII. Innocentius XI. Clemens X. Clemens IX. Alexander VII. Innocentius X. Urbanus VIII. Gregorius XV. Paulus V. Leo XI. Clemens VIII. & sic per singula sæcula ascendendo devenitur denique ad S. Petrum Apostolum, qui ab ipso Christo audit: *Pascere oves meas.* Jo. 21. & sic constitutus est Pastor Universalis omnium Christi ovium, Caput Apostolorum, & Rector totius Ecclesie, cum omni potestate spirituali, quæ requiritur ad regendas oves rationales, easque perducendas ad beatitudinem supernaturalem, ac æternam.

Ob. 1. Successio Pontificum sæpius fuit interrupta 1. Per illicitam, & Simoniacam occupationem Sedis Romanæ. 2. Per Anti-paparam dissensionem tempore Schismatum, dum subinde duo vel tres simul erant Pontifices. 3. Per hæresim & apostasiam, in quam lapsi sunt quidam Pontifices: ergo. 2. Negando, his casibus unquam moraliter fuisse interruptam successionem Pontificum ( physica enim interruptio, per breve tempus vacante Sede, nihil obest, sicut Solij Imperatorij vacatio, quæ necessariò propter mortalitatem humanam sæpius debet contingere, nihil obest successionem Imperatorum

ratorum) quippe in primo casu, quo aliquis illegitimè intruditur, nec postea ab Ecclesia acceptatur (nam acceptatio Ecclesie subsequens esset nova, & valida electio, omnes defectus Juris humani supplens) censetur Sedes Romana ad tempus vacare. In altero casu vel unus est verus Papa, utpote à majore Ecclesie parte acceptatus, vel si nullus sit verus propter defectum sufficientis acceptionis, iterum censetur vacare Sedes: sicut Solium Romani Imperij Politici in ejusmodi calibus censetur vacare. Quanto autem tempore vacare possit, determinari ultimè nec potest, nec debet, sicut fit in alijs rebus moralibus innumeris. In tertio casu (quem tamen possibilem negant multi cum Bellarmino) si Papa ut homo privatus incidere in hæresim notoriam, desineret esse Papa, & sic vacare inciperet Sedes. Vide theses nostras præteriti anni de Romano Pontifice art. 4.

Dices. Magnum illud schisma in Concilio Constantiensi terminatum, & circa annum Christi 1380. inchoatum, in quo tres se gerebant pro Romano Pontifice, duravit circiter 40. annis: ergo, si tempore schismatis censetur vacare Sedes, vacavit valde notabili tempore, consequenter fuit utique interruptio *moralis*. R. in hoc tristi schismate semper fuit unus & verus Pontifex, licet non omnibus sufficienter cognitus; ceteri autem fuerunt putatij tantum, & Antipapæ, ac proinde non fuit interrupta successio moraliter; non enim est credibile, quod Christus tanto tempore relinquat Ecclesiam, legitimo Capite destitutam. Adde,

R. P. Pichier Theol. Polemica.

quod in hoc diuturno schismate satis etiam emicuerint *veri* Pontifices, qui scilicet succedebant Urbano VI. Quamvis ex ejusmodi schismate ingens incommodum patiatur Ecclesia, nullum tamen patitur damnum irreparabile, quia Pontificum dubiorum acta cessante schismate vel infirmantur (cum non sit obligatio sequendi Pontificem duntaxat *probabilem*) vel confirmantur à Papa futuro *certo & indubitato*, prout etiam factum est finito hoc schismate à Martino V.

Ob. 2. Successio Pontificum est 21. valde dubia, quia statim de primo Successore Petri dubitatur, fueritne Clemens, an Linus: ergo. 2. Aliqui Pontifices fuerunt valde seclerati. 3. Ecclesia Romana non habuit successionem ceremoniarum earundem v. g. in Baptismo, in quo olim non adhibuerunt exorcismos, uti nunc: sic & alias olim ceremonias habuerunt in Missa &c. R. ad 1. N. A. ratio addita nihil probat, quia parum refert, an inter D. Petrum & Clementem alius intercesserit Pontifex, modò semper unus successerit alteri; lis enim inter Auctores non est, an D. Petro successerit immediatè aliquis in supremo Regimine, sed utrùm immediatè successerit Clemens, vel ante Clementem successerit Linus, & Cletus; quod posterius est probabilius: sed quidquid dicatur, successio manfit integra: nec fuit interrupta. Ad 2. Sit, quòd paucissimi quidam, respectu tanti numeri, fuerint mali Pontifices, quorum tamen pessimus melior existit Luthero: qui hoc ad rem? Nunquid & inter progenitores Ch. sti

Ff

cau-

enumerantur homines scelerati? Propterea tamen linea stirpis Davidicæ non fuit interrupta. Mala vita Pontificis non debet præjudicare, & derogare ejus potestati, jurisdictioni, infallibilitati in fidei decretis; sicut valor Sacramentorum non est alligatus probitati Ministris; ne scilicet malè esset consultum fidelibus, & Ecclesiæ. Ceterum si Lutherani adeò delectentur, ut apparet, sordibus Pontificum, quas semper habent in ore; necesse non est, ut Româ petant istum odorem; invenient domi suæ, quos carpant, flores non dissimiles, minore in evolvendis historijs studio. Adeant duntaxat Lutherum suum. Ad. 3. Quid successio ceremoniarum spectat ad successionem Episcoporum? Dein quomodo constat Adversarijs, olim etiam ab Apostolis non fuisse adhibitos exorcismos? Unde constat ipsis, quòd Apostoli in collatione Baptismi recitaverint orationem Dominicam, vel alias illas ceremonias adhibuerint, quas hodie adhibent Lutherani? Nunquid & ipsa Confessio Augustana faretur satis art. 21. ritus & ceremonias posse esse varias, *neque Canones* (en! supponunt, ritus pleros-

que pendere à Jure Pontificio, quando scilicet Christus nihil determinavit) *esse tam duros, ut ubique eosdem esse ritus velint?*

Ob. 3. Etiam Imperatores Romani 22. Ethnici olim, & nunc Turcici, non carent successione: ergo successio personarum nil juvat Ecclesiam Romanam, nec ea est propria veræ Ecclesiæ. R. N. C. non enim successio personarum qualiscunque reperitur in Ecclesia Romana, sed talis, quæ promissa est à Christo, volente suam Ecclesiam regi ab Episcopis, & uno Capite usque ad finem mundi, quæ conservata est mirabiliter inter tot hostium, & inferni machinationes. Et ista successio est propria veræ Ecclesiæ ita, ut, quæ illam non habet, vera non sit, illa autem vera sit, quæ habet eam, saltem sumptam cum alijs notis. Ceterum comparatio circa successionem Præsulum fit non cum catibus Paganorum & Gentilium, sed cum alijs Ecclesijs Christianis; his enim est, qua ratione Ecclesia Christi vera discerni possit à sectis falsis, quæ etiam se dicant Christianas.

### SYLLOGISMUS III.

Vera Christi Ecclesia non est, quæ malum habet Auctorem, & vitiosam originem.

Sed Lutherana habet malum Auctorem, & vitiosam originem.

Ergo Lutherana non est vera Christi Ecclesia.

Major

*Majior est indubitata.*

23. 1. Ex Scriptura S. *Mala arbor malos fructus facit; non potest arbor mala bonos fructus facere.* Mat. 7. v. 17. 18. *Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? v. 16. &c. In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Sap. 1. v. 4.

2. Ex lumine naturali. Quis enim ex fonte turbato hauriat puram aquam? Quis pretiosum liquorem infundat in vas sordidum? Quis prudens igitur credat, Deum Sanctissimum, Sapientissimum, docere voluisse homines sanctitatem & justitiam per homines scelera- rum? Quis credat, majori veritatis lumine collustrasse hominem perdidum, ac vitij deditum, quam sanctissimos quosque viros? Divinæ ac celestis Sapientie thesauros defodisse in foetida cloaca? Ad erudiendam Sponsam suam dilectam, ad reformandam Ecclesiam (si tamen possibile foret eam aliquando labi in errores fidei, in hæreses, in idololatram &c.) usum esse instrumentum tali, quod simul est instrumentum diaboli ad DEUM offendendum? &c.

3. Ab exemplo omnium hæresum, quæ nunquam habuerunt bonos Auctores, sed semper sceleratos, ac turpem originem. Pessimus fuit Simon Magus, omnium ab Ecclesia apostatarum Coryphæus, obscœnissimus Nicolaitarum Auctor, primogenitus Sathanæ Marcion, ut eum appellavit S. Polycarpus, invidiâ tabescens Arius erga Episcopum Alexandrinum, quam

*R. P. Pichler Theol. Polemica.*

Cathedram sibi destinaverat, ceteri plerique superbiâ tumidi, & repulsæ ab aliquo dignitatis gradu, quem ambiebant, impatientes. Nullus unquam exstitit Apostata ab Ecclesia Romana, Novator nullus, sectæ cujuscunque Auctor nullus, qui sanctimonia vitæ fuisset celebris, quem pietas & pura Divini cultûs intentio ad novitates impulisset, quem non varia, præsertim superbiæ ac luxuriæ, scelera infamem reddidissent, vel saltem gravissimè suspectum. Quis igitur prudens adhæreat alicui sectæ, cujus Auctorem constat fuisse malum, & vitiosam originem?

*Minor probatur evidenter*

1. Ex vita & libris Lutheri toti mundo notissimis. Quippe evidentiâ historica constat, Lutherum 1. fuisse Auctorem, & Protoparentem Ecclesiæ Lutheranæ, à quo & nomen habet; cum nemo ante Lutherum ita crediderit, ut postea Lutherus docuit. 2. Fuisse hominem perdidum Deo, rebellem suis legitimis Superioribus, vocifragum, apostatam, violatorem Monialis Deo pariter obstrictæ per votum continentia perpetuæ, quacum sacrilegum attentavit inire Matrimonium, arque in hoc damnato apostasiæ, & irriti Matrimonij statu usque ad finem vitæ persistit. 3. Fuisse blasphemum, quod ut probem, omiſſis alijs Lutheri dictis blasphemis quàm plurimis unice adduco verba illius, quæ habet to. 2. Wittenb. gedruckt von Hans Lust 1548. p. 266. ubi ita scribit: *Wer ist seines*

Ff 2

Herr

Herzens mächtig? Wer kan dem Teuffel und Fleisch widerstreben? Ist's doch nicht möglich, daß wir uns der geringsten Sünd erwidhren möchten / sintemahl die Schrift sagt / daß wir des Teuffels g. fangen seynd / als unsers J. J. ten und Gottes, daß wir thun müssen / was er will / und uns eingibt etc. Quae verba, quia diabolium vocant Deum nostrum, & quidem ita testante Scriptura, hominibusque omnem libertatem in vitandis peccatis adimunt, adeo sunt horribilia, blasphemia, & abominanda, ut etiam Lutheranos summopere offendant, Lutheri licet scurrilitatibus jam assuetos. Unde nuper nemo (à se dictus Horallethor) thraconicè negavit, hæc verba in Lutheri libris reperiri, & ut alijs quoque persuaderet, centum aureos appromisit se procuraturum R. P. Casparo Mändl, si hæc verba in libris Lutheri ostenderit. Legat Horallethor citatum tomum & pag. ac inveniet (indè enim ego exscripti) atque aurei sui promissi, si quidem vir sit alicujus fidei, non obliviscatur. 4. Fuisse tam scurrilem in verbis & scriptis, adeo maledicum, ut parem Scriptorem vel nullum, vel non nisi summè poteros, reperire sit. 5. Tradidisse doctrinas profus scandalosas, ad peccata trahentes, à bonis operibus avocantes. v. g. has: *Caveamus à peccatis, sed maxime à legibus & operibus bonis, solumque promissionem Dei attendamus & fidem.* serm. de Nov. Testam. seu de Mil. in fine. *Summa ars & sapientia Christianorum est nescire legem, igno-*

*rare opera & totam justitiam activam.* argum. in ep. ad Gal. to. 1. Witt. Germ. p. 2. 6. Sibi sæpius contradixisse. Ut alias innumeras contradictiones taceam, pro exemplo unicam assero. In Postilla Eccles. super Dom. 1. post Epiph. edit. Witt. 1584. p. 168. docet, Ecclesiam, sive Concilia, utut sancta sint, errare tamen posse in rebus fidei. At in Tract. de veteri vera Ecclesia to. 7. Witt. Germ. 1554. p. 562. docet oppositum, dicens: *Ecclesia nec debet, nec potest mendacia & errores docere, ne in unico quidem articulo &c. & qui posset aliud fieri, cum os Dei sit os Ecclesia? Item: Deus non potest mentiri, ita nec Ecclesia.* Ita Lutherus, qui planè mirabilis vir est, utpote necessitatus ad dicendum verum; cum ex duabus propositionibus contradictorijs, quas fecit plurimas, alterutra necessario sit vera. Vide nostrum *Examen Polemicum August. Conf. art. 2. infra.*

Neque dixerint, etiam S. Augustinum multa retractasse. Nam contra est 1. aliud est *retractare*, aliud est *sibi contradicere*; qui retractat, fatetur suum errorem circa illam materiam, in qua retractat: non verò, qui sibi contradicit, utpote vel non amplius memor illius, quod prius dixit, vel pertinaciter inhaerens suis dictis, & ex superbia nolens errorem fateri. 2. S. August. retractans emendavit, quod ex infirmitate humana, & ignorantia minus bene scripserat; Lutherus verò sibi contradicens non emendavit perperam & scienter contra Ecclesiam scripta, sed dubium reliquit mundum, quid ipse docuerit, nunc



nunc istud nunc aliud pro impetu effu-  
rens. 3. S. August. non se iactavit  
Reformatorem Ecclesie, Evangelistam,  
Prophetam, uti Lutherus, & ideo errare  
potuit, retractare deuit: turpe autem  
est, ipsum Reformatorem Ecclesie er-  
rare, retractare, vel potius sibi contra-  
dicere &c.

25. 2. Ex vitiosa origine, & causa defe-  
ctionis Lutheri ab Ecclesia Catholica.  
Causa enim & origo prima fuit vel su-  
perbia, vel invidia, vel avaritia, vel  
omnes tres simul, ut scribit Florim.  
Remundus de Ortu & Progressu hæref.  
valde enim dolebat Luthero, munus  
promulgandi Indulgentias Jubilæi ab  
Augustiniani ad Dominicanos trans-  
latum fuisse. Cochleus in Actis Lu-  
theri. Hinc enim passione indomita  
percussus à Cathedra non tantum abusus  
Indulgentias carpere, ac alios fidei arti-  
culos sugillare cepit, præter intentio-  
nem ex animi intemperie ulterius pro-  
gressus, ac in varios errores prolapsus.  
Iustus polinodiam canere, ex superbia  
parere noluit, imò, quam cecinit hic  
Augusta, in publicum progressus ite-  
rum negavit se cecinisse. Sed quæcun-  
que ex his vitijs, an superbia, invidia,  
vel etiam luxuria fuerit causa defectio-  
nis, iusta non fuit, sed detestanda: *Hæc  
causa non propter Deum capta est, nec  
propter Deum finitur*, dixit ipsemet  
Lutherus in disputatione cum Eckio  
Lipsiæ. Cæterum sperabat Lutherus  
fulmen Vaticanum ope Saxonis effuge-  
re, sed non potuit. Unde in Pontifi-  
cem Romanum, Leonem X. ad quem  
eodem tempore scilicet 6. Sept. 1520.  
ita scripsit adulate calamo: *Appella-*

*vite Danielem in Babylone ( in medio  
Leonum, Exechielem inter scorpiones,  
agnum in medio Luporum) & innocen-  
tiam tuam insignem egregio studio tu-  
ratus sum. Scilicet celebratior &  
angustior est in omni terrarum orbe tot  
tantorum virorum litteris cantata o-  
pinio, & vita tua inculpata fama,  
quam ut à quovis vel maximi nominis  
possit quavis arte impeteri &c.* Vati-  
niano odio exardescere cepit & im-  
placabili, omnibus diris eum devovens,  
ac Antichristum appellans, postquam  
accepit Bullam Excommunicationis,  
quæ tunc jam erat Romæ expedita, dum  
istà ad Pontificem scripsit Lutherus,  
ejus tamen rei adhuc ignarus. Hoc  
fuit initium malorum. An putas, Dei  
causâ tumultuari cepisse Lutherum?

3. Ex defectu vocationis legitime,  
si enim Lutherus à Deo ad opus Refor-  
mationis vocatus non est, Lutheranis-  
mi planè vitiosa est origo. Atqui voca-  
tus non est à Deo, nec immediate per  
se, & modo extraordinario, quia in Lu-  
thero nullum signum, nullus charac-  
ter hujus extraordinariæ vocationis  
reperitur, nimirum nec gratia miracu-  
lotum, nec inulitata vitæ sanctitas, imò  
ipse fatetur, se hoc modo non esse vo-  
catum, dicens to. 2. Jen. Lat. f. 431.  
*Gloriari non possum, quod Deus de cæ-  
lo sine medio me miserit.* Neque vo-  
catus est mediâtè à Deo, & modo or-  
dinario. 1. Quia nulla potest dari vo-  
catio ad novam fidem introducendam,  
cum Ecclesia Christi debeat esse *perpe-  
tua*, & indefectibilis, ut fatetur ipsa  
Confessio Aug. art. 7. 2. Quia, licet  
posset Ecclesia deficere in fide, nulla

vocatio mediata, quæ sit per homines, sufficeret ad tantum munus, quale est reformare Ecclesiam in rebus fidei. 3. Quia vel fuit vocatus à Magistratu Ecclesiastico, vel à Politico! Non ab Ecclesiastico, quia Superior Religiosus eum mittens ad prædicandum nec potuit nec voluit dare potestatem prædicandi novam fidem, imò licet voluisset & potuisset dare, hæc tamen potestas fuisset iterum adempta à supremo Ecclesie Prælato, dum fuit tanquam perduellis excommunicatus. Non à Magistratu Politico Wittenbergenfi; iste enim nec Jure Divino nec Humano habet potestatem vocandi Ministros Ecclesie. Neque profuit Theologici Doctoratus gradus, utpote quem ipse contemnit to. 2. Witt. Lat. in assert. artic. art. 30. ubi approbavit omnes articulos Huslij, inter quos est etiam iste: *Universitates, Studia, Collegia, Graduationes, & Magisteria in eisdem non plus Ecclesie profunt, quam diabolus*, licet idem Lutherus to. 5. Jen. Germ. p. 492. omnia tribuat suo Doctoratui: *Dixi sape, ait, & iterum dico, totum mundum me non accepturum pro Doctoratu meo; quia aliàs desperare deberem, si tale ac tantum mihi incumbens negotium, sicut fur irrepens, absque vocatione & mandato Dei cepissem.* Quasi verò in collatione Doctoratus conferretur potestas prædicandi quilibet pro libitu, & non potius per expressum juramentum omnes Candidati adstringerentur ad nihil docendum, quod Ecclesie sit contrarium. Denique bene observa, pro vocatione Lutheri nihil posse afferri,

quod non pariter servire possit ad defendendam vocationem Calvinij, Zwinglij, Pelagij, Arrij, & cujusvis hæretici. 4. Ex Confessione Augustana, quæ est primus liber Symbolicus Lutheranorum. Hæc Confessio, ut ipsi exprobrant Theologi Palatinales apud Szentivani in *Responsis non Responsis* p. 28. imprimis scripta est paucorum Theologorum consilio, pauci Ordines Imperij eam exhibuerunt, labor scriptoris & defensio soli Melanchthoni incubuit. Ad hæc scripta est cum festinatione & temporis angustia, Augustæ in diversorio, in Comitij urgente Cæsare exhibita cum maximo metu periculorum, postea verò illi ipsi, qui Confessionem scripserunt, aliqua subinde correxerunt, ut satis ostendit editionum diversitas. Contraria omnia evenerunt in Concilio Catholicorum Tridentino, cui post 18. annorum deliberationes & discussiones rerum à præstantissimis Theologis institutas subscripserunt Cardinales 4. Archi-Episcopi 25. Episcopi 168. Abbates 7. Procuratores absentium Episcoporum 39. Generales Ordinum 7. assentientibus Legatis Imperatoris, Regum, & Principum plurimorum &c. Dein Confessio Augustana, & ejus Apologia scætet mendacijs & falsitatibus, cujusmodi 40. annotavi ego in *Examini Polemici editione altera in fine*, Tannerus autem in Anat. p. 3. ad minimum 130. falsitates, in Augustana Confessione ejusque Apologia contentas, aperte detegit. Præclari Auctores Lutherana Ecclesie Lutherus & Melanchthon! præclara origo! Quis sit tam vecors, ut

ex ejusmodi fontibus se credat sanam & puram fidei doctrinam haurire posse? Est evidenter incredibile.

26. Ob. 1. Lutherus non est Auctor Ecclesie Lutherane, quia non attulit novam doctrinam, sed antiquam & Apostolicam: ergo. R. 1. Hec est antiqua nenia omnium hæreticorum, qui ad solam Scripturam, varias interpretationes patientem, & ad doctrinam Apostolicam semper provocabant: ergo causa Lutheranorum per hoc effugium non fit melior, quam cuiuslibet hæresarchæ. R. 2. Ex superioribus dictis patet falsitas Antecedentis. R. 3. Lutherus juxta Lutheranos saltem fuit Reformator Ecclesie, & ita docuit, qualiter per mille & amplius annos nemo ante ipsum: ergo est incredibile, quod attulerit doctrinam Apostolicam, & veram; alias enim per tot sæcula nemo fuisset in vera fide, & nulla in Ecclesia sana doctrina. R. 4. Est per se incredibile, quod homo passionibus superbiæ, odij, &c. excæcatus magis illuminatus fuerit, & perfectius intellexit, quænam sit vera & Apostolica doctrina, quàm innumeri sapientiæ, sanctitatis, miraculis clarissimi viri, & fortissimi Martyres. Quæso, quo fundamento id verisimiliter probant Adversarij?

27. Ob. 2. Licet Lutherus caruisset omni vocatione speciali & externâ ad reformandum, habuit tamen vocationem generalem, & communem omnibus Christianis, quæ consistit in hoc, quod, quando Ecclesia est perturbata per falsas doctrinas, vel per persecutiones, eo ipso quilibet habeat potestatem prædicandi purum Verbum

Dei, impugnandi errores, Ecclesiam in necessitatibus constitutam juvandi, quicumque juvare, & emendare potest; sicut quando est incendium, non opus est vocatione speciali ad illud extinguendum, sed ipsa necessitas proximi & charitas vocat satis, & obligat quemlibet, qui potest, ad opem ferendam. Sic Ecclesie publica necessitas erat sufficiens Luthero vocatio. R. 1. Quancunque sit Ecclesia perturbata, nunquam Christus ejus gubernaculum deserit, nunquam permittere potest, ut portæ inferi prævaleant, nunquam desistit eam docere, ne in errorem incidat columna & firmamentum veritatis circa res fidei. R. 2. Permissio, quod Christus suam Ecclesiam ita desereret, ut tota (quod tamen impossibile est) erraret in articulo aliquo fidei, tamen non posset quilibet statim accurrere, & prædicare Verbum Dei sine legitima & speciali vocatione; si enim id liceret, sub hoc prætextu quilibet involare posset in munus docendi, & sic forent tot nova doctrinæ, discrepantes &c. quot currerent, & prædicarent non missi, non vocati, uti contigit tempore Lutheri; mox enim Lutheri exemplo stimulati, & prætexentes reformationem Ecclesie, prædicare cœperunt non missi Calvinus, Zwinglius, Oecolampadius, Carolstadius, Bucerus, Mynsterus, Servetus &c. & quilibet novam doctrinam, parique jure. R. 3. Unde probat talis, qui in publica necessitate accurreret, se recte docere, se esse infallibilem, se magis sapere, quàm reliquos omnes &c. ? R. 4. Paulus universaliter prohibet prædicare

care sine legitima missione seu vocatione, nec excipit perturbatum Ecclesiae statum, dum dicit: *quomodo predicabunt, nisi mittantur?* Rom. 10. v. 15. *Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à DEO tanquam Aaron* Hebr. 5. v. 4. R. 5. Hoc effugium servire posset omnibus Hæreticis, & Sectarijs.

Dices. Qui veram prædicat doctrinam, ille habet sufficiens indicium, quod sit vocatus à Deo: sed Lutherus prædicavit veram doctrinam, quia purum Dei Verbum: ergo. R. 1. Hoc argumento iterum omnes hæreticos uti posse, Pelagianos, Arianos, Wicleffitas, Hussitas &c. imò quemlibet alium, qui hodie surgeret, & Scripturam pro suo arbitrio explicans novam fidem spargeret. Notetur bene hæc instantia; est enim Lutheranis insolubilis. Si dicant, alios non attendere purum Dei Verbum, idem sibi regeri ab alijs audient. R. 2. Doctrinam veram afferre pro signo legitime vocationis est petere principium; quia in questione est, utrum Lutherus veram doctrinam proposuerit: quod autem non prædicaverit veram doctrinam, probatur ex hoc ipso, quod non fuerit vocatus à Deo: *Quomodo enim predicabunt, nisi mittantur?* Nemini enim assistit Deus, nisi quem ipse mittit. Ex vocatione debet judicari doctrina, non ex doctrina vocatio.

*An Ecclesia Romana non habeat malum Auctorem & vitiosam originem?*

28. R. Non. Ratio est in promptu.

Auctor fidei, quam tenet Romana Ecclesia, non alius assignari potest, nisi Christus principaliter, *qui eam sibi acquisivit sanguine suo.* Act. 20. v. 28. Secundario Apostoli, & ipsa Ecclesia, assistente Christo & Spiritu S. proponens ea, quæ credenda & facienda sunt; cum juxta hæcenus disputata, & ab Adversarijs data; saltem olim Romana Ecclesia Christum habuerit Auctorem, veraque fuerit Ecclesia: quæ autem semel fuit vera Christi Ecclesia, habet perpetuam sibi promissam Spiritus S. assistentiam, ut nunquam possit deficere tota, ac in peccatum hæreses vel apostasia cadere. Atqui Christus utique est Auctor sanctus, Ecclesia utique semper est sancta. Imò & Pontifex, si solus aliquid decidat, uti potest, ex Cathedra loquens, *sanctissimus est*, scilicet ratione officij, quæ Vicarius Christi, & in rebus fidei specialiter adjutus à Spiritu S. quamvis ut homo privatus, & non quæ docens universam Ecclesiam, possit absolute esse sceleratus. Non itaque malum Auctorem, non vitiosam habet originem Ecclesia Romana.

Dices. Papa est Auctor dogmatum Ecclesie Romanæ: Papa sæpe fuit malus: ergo. M. P. quia Romanenses non minus à Papa dicuntur Papista, quam Protestantes à Luthero Lutherani: ergo vel Lutherus non est Auctor Ecclesie Lutherane, vel Papa erit pariter Auctor Ecclesie Romanæ. R. 1. N. M. Papa est potius interpret & os Dei, per quod nobis fidei dogmata proponit Deus infallibiliter, & hoc os, iste interpret, & Rector Ecclesie est constitutus.

stitutus à Christo, iste audiit: *pasce oves meas.* Jo. 21. *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Luc. 22. Nihil simile potest dici de Luthero, iste non sedit super Cathedram Petri, non fuit vocatus à Deo, non constitutus Christi Vicarius. Ac insuper, quod bene notandum est, nullus Papa proposuit novam doctrinam priori, ab Universali Ecclesia receptæ, contrariam, sicut tamen Lutherus fecit. §. 2. N. Mi. quod sæpe; nam rari fuerunt mali & scelerati Papæ; isti tamen vel nihil definiunt circa res fidei, vel, si definiunt, id non facere potuerunt ut privati homines, sed ut *Vicarij Christi*, sub qua ratione & ab omni errore ac lapsu immunes sunt, & titulo *Sanctitatis* gaudent: peccata Pontificum sunt peccata ut hominum *privatorum*. Lutherus & docens & non docens fuit homo privatus, erroribus obnoxius, imò oppletus, tam contra fidem quam contra bonos mores. Nunquam fuit constitutus Christi Vicarius,

D. Petri Successor &c. §. 3. N. probationem, quod pari modo nos vocemur Papistæ, quo ipsi dicuntur Lutherani. *Papa* est nomen officij, & supremi Præsidis in Ecclesia, à Christo constituti, & ideo *Papista* nihil aliud sonat, quam hominem addictum Christi Vicario, cui tanquam uni Capiti per totum orbem parent omnes fideles: ergo idem significat, ac *Christianus*, *Catholicus*; atque sic non nominamur à persona privata. Econtra *Lutherus* est nomen apostatæ & execrati Monachi, hominis privati, nullam habens connexionem cum Christo, cum Universitate fidelium: & hinc Lutheranus significat hominem addictum puro homini, scelerato, Deo & Superioribus legitimis rebeli &c. consequenter non minus probrosum est vocari Lutheranum, quam Calvinistam, Zwinglianum, Hussitam, Pelagianum, Nestorianum, Arianum &c. ab Auctoribus harum sectarum.

## ARTICULUS III.

### De Nota Unitatis.

#### SUMMARIUM.

- |   |  |
|---|--|
| 1. Aliud est Ecclesiam esse unicam, & aliud esse unam.                                | 5. 6. 7. 8. Quid Lutherani excipiant, & opponant.  |
| 2. Una diverso modo dicitur.  | 9. Lutheranam sectam non esse concordem in doctrina fidei, constat ex Lutheri contradictionibus. |
| 3. Hic tantum sermo erit de Unitate doctrina, & Unione cum Capite.                    | 10. Ex dissensione suorum Doctorum perpetua.   |
| 4. Veram Christi Ecclesiam debere esse concordem in doctrina, multipliciter probatur. | 11. Ex discrepantia librorum Symbolicorum.   |
- R. P. Pichler Theol. Polemicæ. G g 12.

12. *Demum à priori, quia Lutherani non parent uni Iudici.*
13. *Ecclesia Romana semper est concors in rebus fidei, ut patet à posteriori.*
14. *Et à priori, cum sequatur unum infallibilem Iudicem.*
15. 16. *facilia sunt, qua contra unitatem Ecclesia Romanae obijciuntur.*
17. 18. 19. *Demonstratur necessitas alicujus supremi Iudicis Controversiarum in vera Ecclesia.*
20. 21. *Quid illi possit & soleat opponi.*
22. *Apud Lutheranos nullum agnoscitur Iudex supremus Controversiarum fidei.*
23. *Nec Scriptura S. aut Spiritus S.*
24. *Nec Magistratus Politicus.*
25. *Nec Spiritus internus potest statui pro Iudice.*
26. *Ecclesia tamen Romana semper habuit Caput & Iudicem supremum legitimum.*
27. *Nec integra Concilia cum Papa,*
28. *Nec Papa solus unquam erravit definiendo aliquem fidei articulum.*

1. **S**ciendum 1. Aliud est Ecclesiam esse unicam, & aliud esse unam. Unica erit, si præter illam non alia existat, qua vera sit & salvifica. Unicam debere esse Ecclesiam, demonstravimus in opusculo de Indifferentismo, & supra à pag. 35. & 59. idque clarum est ex SS. literis, in quibus Ecclesia dicitur *Corpus Christi, unum ovile* &c. Unica igitur esse debet, scilicet *Totalis*; nam partiales & particulares Ecclesias (inter se tamen conspirantes) dari plures, v.g. Gallicanam, Indicam, Peruanam, Chinensem, Moguntinam, Augustanam &c. nemo negat. De hac Ecclesie unitate hæc non est sermo, sed de unitate, de qua

2. Sciendum 2. ex Bellarm. Ecclesiam multipliciter posse dici unam. 1. Ratione ejusdem principij, id est, Dei vocantis. 2. Ratione ejusdem finis ultimi, scilicet salutis æternæ. 3. Ratione eorundem mediolorum, puta fidei, Sacramentorum, legum. 4. Ratione ejusdem Spiritus S. à quo tanquam

à Rectore Univerſa Ecclesia gubernatur. 5. Ratione ejusdem Capitit, tanquam Rectoris conjuncti, scilicet Christi, ac ejus Vicarij Papæ. 6. Ratione conjunctionis membrorum inter se, & præcipue cum Capite. Ex his acceptionibus data ultima denominant Ecclesiam proprie unam; nam per primam Ecclesia rectius dicitur *ex uno*, per 2. *ad unum*, per 3. *per unum*, per 4. *sub uno*, quam *una*. Per 5. & 6. verò proprie dicitur *una*, id est, unum corpus, unus populus, una societas. Et hunc discursum approbat ipse Gerardus, dum in LL. Theol. de Eccles. n. 34. ait de hac divisione: *Bellarms. hand inſcite philoſophatur de Ecclesia unitate.*

3. Sciendum 3. Sermonem nobis hæc fore duntaxat de hac duplici Ecclesie unitate, scilicet de unione membrorum inter se, & quidem præcipue circa fidei doctrinam, dein de unione cum Capite, seu supremo Iudice, & quidem viſibili, Christi Vicario. Per duos

duos igitur Syllogismos evidenter ostendam, Ecclesiam Lutheranam non esse veram Christi Ecclesiam; unitatis verò hujus duplicis notam convenire Ecclesie Romano-Catholicae.

## SYLLOGISMUS I.

Vera Christi Ecclesia debet esse una, seu concors in tota fidei doctrina.

Sed Lutherana non est concors in tota fidei doctrina.

Ergo Lutherana non est vera Christi Ecclesia.

Major est certa

4. 1. Ex S. Scriptura. *Unus Dominus, una fides.* Eph. 4. v. 5. *Non est dissensionis Deus, sed pacis.* 1. Cor. 14. v. 33. *Omne Regnum divisum contra se desolabitur: & omnis civitas, vel domus divisa contra se, non stabit.* Mat. 12. v. 25. Ubi autem inter membra Ecclesie non est concordia in tota doctrina fidei, & in omnibus dogmatis, non est *una fides*, Deus fieret *Deus dissensionis*, & regnum Christi ac domus Dei esset *divisa contra se*.

2. Ex Symbolo Niceno, quod ab Adversarijs admittitur, in quo Ecclesia vocatur *una*; inter varias autem unitates eminet *unitas fidei & doctrinae*, ut vel ipse Gerardus fateretur n. 231.

3. Ex Confessione Augustana, in qua docent, quod *una* sancta Ecclesia perpetuo mansura sit. Una autem non est, si in fidei articulis divisa est, & aliqua membra hoc, alia aliud credunt. Addit enim Confessio: *ad veram unitatem Ecclesia satis est consen-*

R. P. Pichler Theol. Polemica,

*tire de doctrina Evangelij & administratione Sacramentorum.*

4. Ex ratione. Vera Christi Ecclesia regitur à Christo, & à Spiritu S. ergo in articulis fidei debet conspirare, cum utique Spiritu S. utpote Deus, non possit docere opposita, sibi ipsi contradicere, huic istud, alteri aliud credendum proponere. Ergo, ubi est contradictio in doctrina fidei inter ejusdem Ecclesie membra, evidens est, talem Ecclesiam non esse Christi, nec regi à Christo & Spiritu S. adeoque veram Ecclesiam non esse.

Ob. 1. Lutherani non negant, Ecclesiam debere esse unam in fidei doctrina; sed tantum negant, unitatem in doctrina qualemcunque, & solitariè acceptam, esse notam veræ Ecclesie; nota enim veræ Ecclesie, est unitas in doctrina *vera*; adeoque videndum prius est, an Ecclesia habeat *veram* doctrinam, deinde an sit una; cum unitas ex veritate probanda, non vicissim. Igitur pura Verbi Divini prædicatio erit nota veræ Ecclesie, non unitas &

Gg 2 con.

concordia doctrinae. R. Est in quaestione, quam Ecclesia habeat *veram* doctrinam fidei, hoc ipso, quod quaratur, quam sit *vera* Ecclesia: ergo unitas in doctrina *vera* quae vera non potest esse nota vera Ecclesia; conspiratio in doctrina potest esse signum, an doctrina sit vera nec ne: non vicissim.

Dices. Vel unitas in doctrina vera, vel unitas in doctrina falsa, est nota vera Ecclesia? Non unitas in doctrina falsa: ergo unitas in doctrina vera, adeoque antecederet ad hanc notam debet constare, quam sit vera Ecclesia: ad quid ergo haec nota? R. N. M. quando dicimus, unitatem in doctrina esse notam vera Ecclesia, abstrahimus, utrum sit unitas in doctrina vera vel falsa, & praecise attendimus, utrum in aliqua Ecclesia detur unitas & concordia in doctrina: si advertimus non dari, inferimus evidenter negativè, talem Ecclesiam non esse veram: contra si deprehendimus talem unitatem, inferimus affirmativè (saltem si adsint caetera nota, vel si sit unitas, ex uno infallibili ac universali Iudice dependens) Ecclesiam talem esse veram, & proponere veram doctrinam. Adeoque veritas Ecclesiae probari potest & debet ex unitate & consensu fidelium in doctrina.

Ob. 2. Vera Ecclesia potest consistere, etiam si non in omnibus fidei articulis sit una & concors, modo detur concordia in articulis fundamentalibus & primariis: ergo. R. N. Ant. Dein Adversarij non possunt determinare, quinam articuli sint fundamenta-

les; ubi enim de his vel verbum in Scriptura? Adversarij probant Ant. 1. In Ecclesia primitiva Christi, quae utique fuit vera, fuerunt dissensiones circa fidei articulos, nimirum erat secta Simonianorum, Ebionitarum, Corinthianorum &c. 2. Etiam veri fideles se opponerant Apostolis quoad observationem Legis Mosaicae, Act. 11. 3. Ipsi Apostoli interdum discordarunt inter se, ut Petrus, Paulus, Barnabas. Gal. 2. Act. 15. 4. Ipse Christus praedixit: *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Mat. 10. v. 34. 5. S. Cyprianus cum Ecclesia Africana dissentiebat à Romana circa baptizandos illos, qui ab haereticis iam baptizati redibant ad Ecclesiam. R. ad 1. Simoniani &c. fuerunt haeretici, & ideo non membra Ecclesiae. Ad 2. Dissensio quoad observationem Legis Mosaicae non repugnavit unitati fidei, cum ejus abrogatio tunc nondum fuerit definita. Corinthij & Galatae gravius errarunt, sed non pertinaciter: quae tamen pertinacia requiritur ad haeresim formalem. Ad 3. Apostoli non discordabant in fide, sed in facta quaedam particularia, uti an Petrus rectè fecerit simulando Judaismum? An Marcus fuerit assumendus in socium Missionis Evangelicae? Ad 4. Christus non praedixit pugnam fidelium inter se circa res fidei iam definitas, sed fidelium cum infidelibus, vel cum ijs fidelibus, qui volunt avertere à servitio Divino. Ad 5. S. Cyprianus restitit Ecclesiae Romanae tunc, quando nondum erat definitum, baptizatos ab haereticis non esse rebaptizandos. Postea errorem suum, quem for-



tè æquo ardentius prius defenderat, cortexit, & cum Ecclesia Romana sentiens etiam Martyrio eluit.

7. Ob. 3. Etiam sectæ falsæ possunt habere unitatem in sua doctrina, imò habent, uti Mahumetanismus, Judæismus, & hæreses omnes; absque ea enim non constituerent unum corpus, unam sectam: ergo. 2. Etiam in regno Antichristi dabitur aliqua unio, imò datur defacto in regno Sathanæ, ut Salvator indicat. Mat. 12. 3. Sicut una est Ecclesia, ita & una est diaboli Babylon: ergo siue detur unitas in Ecclesia aliqua, siue non, nihil inde probatur. 1. universaliter, nos unitatem in doctrina (separatam à cæteris notis, & abstrahendo, quòd proveniat ab aliquo visibili & universali Capite ac Iudice Controversiarum infallibili) non vendere pro nota veræ Ecclesiæ affirmativa, quasi ibi eo ipso detur vera Ecclesia, ubi reperitur unitas in doctrina, sed tantum pro negativa, ita ut, ubi non reperitur unitas in doctrina fidei, ibi nec vera reperitur Ecclesia. Deinde tantum inquirimus Ecclesiam veram ex ijs, quæ Christiano nomine gloriantur; non autem fit comparatio ad sectas Paganorum & Judæorum, quarum falsitas ex alijs capitibus ostenditur.

2. specialiter ad singula. Ad 1. potest negari Ant. absolute de illa unitate, quæ habetur circa omnes fidei articulos dependenter ab aliquo supremo & infallibili Iudice. Cæterum nec Mahumetanismus, nec Judæismus est uniformis, sed in diversas sectas divisus; imò nec Alcoranus, qui

est liber Symbolicus Judæorum, secum ipso concordat, ut præter alios ostendit Gualterius in Tab. Chron. sæculo VII. & alibi. Quæ sit hæreticorum tum veterum tum recentiorum unitas, patet inde, quòd viri, etiam diligentissimi, vix statuere poterint, aut hodieum possint eorum dogmata. Unde jam olim à PP. variè reſerebantur Eutychetis, Pelagij &c. hæreses. In hoc uno concordēs sunt semper hæretici, quòd conspirent ad devastandum agrum Ecclesiæ Romanæ, à qua egressi sunt rebelles: nimirum capitibus quidem diversâ spectant, caudis tamen sunt invicem colligati; sicut vulpes, quas caudis colligatas, positas in medio earum facibus, Samson immisit in segetes Philistæorum, easque vastavit. Judic. 15. Ad 2. erit quidem conspiratio in recipiendo Antichristo, & forte etiam in negotijs ad regimen Politicum spectantibus, non tamen in omnibus fidei dogmatis. Adde, quòd nec ista consensio in recipiendo Antichristo futura sit diuturna, iisque circumstantijs affecta, quibus splendet consensio in vera Christi Ecclesia. In regno Sathanæ ferè similis est concordia, qualis est apud hæreticos, & in regno Antichristi; solum enim in hoc conspirant, quòd omnes reluctentur Deo, & hominibus nocere cupiant; in cæteris sunt summè discordes, nullus apud ipsos ordo, sed mera confusio. Ad 3. Ferè est eadem responsio; quippe Babylon diaboli tantum una est unitate Capitum, non unitate sententiarum, & fidei, quia in regno diaboli nulla datur fidei doctrina.

G g 3

Ob.

3. Ob. 4. Unio seu unitas Ecclesiae est spiritualis: ergo insensibilis: ergo non potest esse nota vere Ecclesiae. B. D. M. unio inadæquatè sumpta. C. M. adæquatè sumpta. N. M. Unio interna & spiritualis sit sensibilis per externam & sensibilem ejusdem fidei professionem, quæ est altera pars unionis completæ & adæquatæ.

*Minor offenditur*

1. Ex contradictionibus Lutheri, Lutheranae sectæ protoparentis, secum ipso pugnantis, quæ certissima nota sunt falsæ doctrinæ, vel ipso Luthero teste, qui ad Embserum sic scripsit: *Qui in materia Religionis sibi ipsi adversatur, & vel in uno tantum articulo mentitur, e Deo non est.* Contradictiones autem Lutheri sunt ferè innumeræ: Jodocus Coccius in Thesauro Cathol. to. 1. §. 8. a. 7. ex libris Lutheri colligit 80. antilogias manifestas de Invocatione Sanctorum, de Purgatorio, de Ecclesia, de Primatu Pontificis, de Sacramentis, de Missa &c. Circa unicum mysterium, nempe de Communionem sub utraque specie Gaspar Querhamer numerat 36. contradictiones. Alij integra volumina scripserunt de Lutheri contradictionibus. Adducamus unum vel alterum exemplum. De potestate Papa scribens admittit omnia septem Sacramenta. *De Captiv. Babil.* dicit: *principio neganda mihi sunt septem Sacramenta, & tantum tria pro tempore ponenda: Baptismus, Penitentia, Panis &c. Quamquam, si usque Scriptura loqui ve-*

*lum, non nisi unum Sacramentum habeam, & tria signa Sacramentalia &c.* Si rigide loqui volumus, tantum duo sunt in Ecclesia Dei Sacramenta, Baptismus & Panis. De Papatu sic scribit epist. de Anabaptismo ad duos Parochos to. 2. Germ. f. 229. *Nos ingenuè fatemur, quod in Papatu multa bona sint, quæ & inde ad nos usque promanarunt. Fatemur nimirum, quod in Papatu vera sit S. Scriptura, verus Baptismus, verum Altaris Sacramentum, vera claves ad remissionem peccatorum, verum concionandi munus, verus Catechismus &c.* At in Postilla Eccles. in ep. Dom. 2. Adventus ait: *Non nisi diabolica impostura est, quidquid in Papatu existit, à summo vertice usque ad imum pedis. Quomodo hæc & similia cohererent?*

Non possunt hæc negare Lutherani, sed Magistrum suum excusare conantur dicendo, eum initio fuisse adhuc *insemissimum Papistam*, ut ipse Lutherus se vocat in præf. tom. 1. Lat. nec factis illuminatum, atque sensim reformasse Ecclesiam. Sed prorsus frivola & ridicula hæc est excusatio. 1. Quia Deus, si mittit Prophetam, prius ipsum perfecte instruit, & illuminat; Dei enim perfecta sunt opera. Nec ostendes illum verum Prophetam, & Apostolum, qui sibi contradixit, & hac excusatione indiguerit. 2. Quot homines interea fuerunt seducti, & falsâ doctrinâ tracti ad interitum? 3. Assignari non potest tempus, quo perfecte illuminatus fuerit hic novus Prophetæ; quid si id nunquam contigisset, cum

eum variare non desierit, dum vixit? Certus saltem minimè es de perfecta ejus illuminatione, ac de tempore, quo facta sit: quidni igitur etiam posterioribus temporibus docuisset contra Scripturam S. sicut antè docuisset eum tu fateri cogeres? 4. Etiam contradixit sibi circa ea, quæ post multos sue defectionis annos scripsit &c.

10. 2. Ex dissensionibus Doctorum Lutheranorum, qui nunquam conspirarunt, neque conspirabunt deinceps, cum desit Judex supremus, cujus iudicio omnes debeant acquiescere. Hinc quilibet credit, quod vult, cum interpretetur Scripturam, ut vult. Si autem loqui placeat de integro Ministerio Verbi, iterum nullum se subijciat alterius iudicio. Augustanum non se subijciat Norimbergensi, Norimbergense non Ratisbonensi &c. Wirtenbergensis Ecclesia non Saxonica, Saxonica non Danica, Danica non Suecica &c. cum horum Ministeriorum & Ecclesiarum Doctores quilibet putent, se aequè sapere, ac alij videntur sapere sibi, meliùs intelligere Scripturam, quam alij &c. Quid mirum, si dissentientibus Doctoribus dissentiant & discipuli? Si oves nesciant, quid credendum, cum id ignorent Pastores, saltem non convenient in rebus fidei, & quidem gravissimis? Spectemus tantisper litigantes & se mutuo dilacerantes Praecones, Magistros, Doctores, & Superintendentes Lutheranos.

Anno 1568. jussu Augusti Electoris Saxoniae, & Jo. Guilielmi Ducis Saxoniae convenerunt Altenburgum 12. Theologi deputati, nimirum sex

Electores, & sex Ducales, ut finem imponerent periculosis litibus de Justificatione, libero arbitrio, & adiaphoribus, sed infelici eventu; nam de unico Justificationis articulo ( utique fundamentalis, utpote praeipuo ) calidè ac callidè disputantes nihil aliud effecerunt, nisi quòd errores mutuos utrinque & cupidè annotarent, & alteros gravissimis dictionibus impeterent, *Servetianos, Antinomos, Enthusiastas, Manicheos, Epicureos, Pseudo-prophetas, prophanos, stolidos, talpis caeciores, spectra fugacia, Sycophantas, falsarios, impios, errorum & corruptelarum palliatores, aegyptiarum & praestigiarum similes, furoris aestu percitos* &c. appellitando. Vah! quàm elegantia hæc sunt nomina; haud dubiè ex Promptuario Lutheri à genuinis discipulis desumpta. Imò nec de *Norma* & libris Symbolicis convenire poterant furiosi hi Disputatores, quippe Electores inter Symbolicos reponabant libros Melanchthonis & auctam ab eodem Augustanam Confessionem, Ducales verò repudiabant &c. Vid. Forer. in Bello Ubiquist. & alios passim. Iidem Ducales DD. objecerunt Electoralibus, quòd à Verbo Dei, à Confessione Augustana, Apologia, & Scriptis Lutheri devierint tum in alijs, tum in his propositionibus: *Bona opera sunt ad salutem necessaria: impossibile est sine bonis operibus salvari aut justificari: nemo sine operibus salvatus est unquam.* Econtra Electores inter alia objecerunt Ducalibus has propositiones tanquam erroneas: *Deus sine operibus nostris non effi-*

*cit iustos & saluat, quia ipse in nobis operatur contritionem. Bona opera sunt pernicioſa ad ſalutem &c.* En alij, nempe Electorales dicunt, bona opera eſſe neceſſaria ad ſalutem, alij nempe Ducales, eadem eſſe pernicioſa ad ſalutem. Ultra pars verum dicit in articulo primo & præcipuo apud Confeſſionistas? Quis decidit, vel decidere poteſt apud ipſos hanc Controverſiam? cùm qualibet pars pro ſe jactet Scripturam, cùm neutra agnoſcat alteram pro Judge. Idem eſt de libero arbitrio, & alijs Controverſijs, in quibus hodie dum neſciunt Lutherani, quid ſentiant, vel ſentire debeant. Unde tam ambiguarum circa has materias apud ipſos locutiones, nominatim apud Lomerum.

Præterea teſte Tan. Anat. l. 3. tit. 3. communiã apud Lutheranos ſunt ſequentiã pronuntiata. 1. Omnia opera, quantumvis bona, hominis etiam juſti, ex ſe & natura ſua eſſe peccata mortalia, ſecundùm miſericordiam Dei verò venialia. 2. Hominem non habere liberum arbitrium faciendi bonum & omitendi malum. 3. Opera bona non eſſe neceſſaria ad ſalutem: quod non ſolum Lutherani Rigidi cum Illyrico & Ambscherſio, verum etiam Molliores in memorato Colloquio Altenburgenſi cum Wigando & ſocijs defenderunt, ubi dixerunt, hanc propoſitionem, *Bona opera ſunt neceſſaria ad ſalutem*, à plerisque Eccleſijs Lutheranis eſſe damnatam &c. Longè alia hic Auguſtina docentur nunc à M. Lomer, dum dicit, hominem in ſtatu renovationis per gratiam Dei habere liberum arbitrium faciendi bonum vel malum.

Saurbrunnens. *Cur Diſcourſ.* 13. 15. &c. & alibi, hominem teneri bona opera facere, ſine operibus bonis non poſſe hominem ſalvari, cùm fides ſine operibus ſit mortua; item Deo placere noſtra bona opera, ex fide proſecta, Deum remunerari ex gratia, & ex promiſſione teneri noſtra opera bona præmiari &c. *Diſcourſ.* 15. cit. & alibi. Idem Lomerus *Diſc.* 3. p. 54. ait, in Novo Teſtamento opus non eſſe Sacerdotibus propriè dictis, adeoque non dari veros Sacerdotes: econtra alius, qui eodem anno, & in eadem cauſa ſcripſit (Horallector ficto nomine) multis contendit, Lutheranos Præcones eſſe veros Sacerdotes &c. Aliqui Duce Illyrico & Spannenbergio dicunt, peccatum originale eſſe ipſam naturam & ſubſtantiam hominis, alij cum Selneccero, Heſhuſio &c. illud eſſe accidens tradunt. Et ſic de alijs articulis loquendo. Neque dicant, privatos Doctores utique poſſe diſſentire ab alijs, & diſſentiendo errare; nam oſtendant aliquem vel aliquos Doctores, qui ſint publici, & erroris incapaces. An non omnes ſunt homines privati apud ipſos? Nunquid una Communitas in rebus fidei nullatenus vult ſubſeſſe alteri? &c. Ne verò excipiant, & concordiam doctrinæ prætentant in ſuis libris Symbolicis contentam, *Minor* Syllogismi ulterius probatur.

3. Ex diſſenſionibus librorum Symbolicorum inter ſe, & Doctorum cum libris Symbolicis. Inter libros Symbolicos, ad quos adſtringuntur Lutherani utpote communiter receptos, ſunt

Confessio Augustana, ejusdem Apologia, liber Concordiæ, Articuli Smalcaldici, Catechismus uterque Lutheri tam minor quam major. Jam de *Confessione Augustana* loquendo, illa imprimis non concordat secum ipsa, sed mutata est tum à Melancthone, imò in corrupta nunquam prodijt ab anno 1530. usque ad annum 1580. Latina discrepat à Germanica notabiliter: in Viennensi Bibliotheca asservantur quatuor valde discrepantes editiones ejusdem diverso tempore à Lutheranis oblatæ Casari: neque negant Lytherani, suam Confessionem sæpe fuisse variatam, & de ejus depravatione integrum librum conscripsit Chytraeus Lutheranus. Desinde non concordat cum alijs libris Symbolicis: nam in præfatione fatetur, Papam habere potestatem congregandi Concilium Uniuersale, adeoque agnoscit eum pro Capite totius Ecclesiæ; e contra articulus 4. Smalcaldicus, & defacto Lutherani communiter habent eum pro Antichristo: in Art. 18. concedit homini libertatem ad efficiendam iustitiam spiritualem cum gratia Spiritus S. e contra in articulis Smalcald. negatur omnino libertas ad bonum: in art. 7. fatetur Ecclesiam perpetuò visibilem; Lutherani id passim negant: in art. 3. de abus. dicit, Missam retineri apud Lutheranos & summa reverentia celebrari; e contra nullam Augustæ videmus Missam, sed passim à Lutheranis vocatur Idololatria. Respondent aliqui, ibi nomine Missæ intellectam fuisse Cœnam. Sed contra est 1. debuerunt intelligere Protestantes Sacrificium Missæ, tum

R. P. Pichler Theol. Polemica.

quia de hujus abrogatione jam tum accusabantur, tum quia ante illud tempus nemo hominum nomine Missæ intellexit Cœnam, sed Sacrificium Eucharistiæ. 2. De Cœna jam fuit tractatum art. 10. ergo hic de Missa propriè dicta, & non iterum de Cœna egit Confessio Augustana.

Sic *Apologia* Conf. Aug. neque secum ipsa, neque cum ipsa moderni Lutherani conspirant; quæ imprimis ante editionem Chytraeanam 1585. nunquam prodijt genuina, quæ autem prodijt 1531. in duplici forma, scilicet in 4. & 8. prodijt, sed neutra cum altera conspirabat; nam prior rotundè sic docet de bonis operibus: *Wir bekennen / daß das ewige Leben ein Lohn sey als ein Sach / die uns GOTT von wegen seiner Verheißung schuldig ist.* Posterior verò non absolute id asserit, sed ita tergiversatur: *Wann wir schon sagten / das ewige Leben sey ein Schuld von wegen der Verheißung / sagten wir doch nichts ungereimbtes.* Similes discrepantias inuenies de Cœna Domini in memorata duplici editione, plures in alijs circa alias materias. Bellum Ubiquist. p. 97. Dein Apologia, cum ex instituto tractat de numero & usu Sacramentorum art. 13. sic loquitur: *Verè igitur sunt Sacramenta, Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, que est Sacramentum penitentia. Nam hi ritus habent mandatum DEI & promissionem gratia, que est propria novi Testamenti; paulò antè verò dixit, se agere de Sacramentis propriè dictis: ergo numerat Penitentiam inter Sacramenta propriè dicta,*

Hh

tum

tum quia addit *verè & propriè*, tum quia addit rationem, in essentia Sacramenti propriè dicti fundatam, tum quia eodem modo loquitur de Absolutione, quo modo loquitur de Baptismo & Eucharistia. Atqui Lutherus cum cæteris Lutheranis modernis negat, Pœnitentiam esse Sacramentum propriè dictum: ergo. Idem dici potest de *Ordine*, quem prædicta Apologia Aug. Conf. loc. cit. pariter Sacramentis accenseri permittit, contra communem Lutheranorum doctrinam.

*Liber Concordiæ*, qui litibus mederi voluit, eas magis accendit. Imprimis enim adversatur Augustanæ Confessioni, dum dicit art. 7. *Panem & vinum propter sacramentalem unionem verè esse Corpus & Sanguinem Christi*, damnatque *transubstantiationem*. Confessio autem art. 16. dicit: *Quòd Corpus & Sanguis verè adsint &c.* Gemanicum exemplar originarium sic habet: *Dass der wahre Leib und Blut Christi wahrhaftig unter der Gestalt des Brods und Weins im Abendmahl gegenwärtig sey / und da ausgetheilt und genommen wird.* Ubi clarè indicatur *transubstantiatio*, eum corpus Christi dicatur esse sub *speciebus panis & vini*, non sub pane & vino, multò minus quòd panis & vinum sit verè Corpus & Sanguis Christi, ut ait *liber Concordiæ* contra omnem etiam rationem; eum evidenter implicet, panem esse Christum, non miris ac hircum esse cervum. Dein *liber Concord.* p. 266. edit. Tubing. 1580. dicit, hominem in *conversione actuali esse instar aranei, lapidis, & columna salis, &*

deoque non liberè operari *justiciam, & cooperari Divinæ gratiæ*, sed primum *post conversionem*, quam solus Deus in ipso, etiam resistente, operatur, acquirere vires liberè cooperandi ad bonum: quòd est contra Conf. Aug. art. 18. Præterea *liber Concordiæ* admittit, *Humanitatem Christi ubique & in omni loco esse præsentem propter unionem cum Personalitate Verbi*, quem articulum habet pro fundamentali, quamvis non modò repugnet art. 3. Aug. Confess. docenti, quòd *Christus fuerit natus, descenderit ad inferna, resurrexerit à mortuis, ascenderit ad cælos &c. adeoque etiam repugnet Symbolo Apostolorum*; si enim *Humanitas Christi est ubique*, ubi est *Verbum Divinum*, non potuit incipere esse in aliquo loco, in quo prius non fuit: sed nasci, descendere ad inferna, resurgere, ascendere ad cælum &c. formaliter dicunt mortuum ad locum, ubi prius non erat; & hinc secundum *Divinitatem*, nemo dicit, Christum esse natum, ascendisse ad cælos &c. Sed etiam repugnat maxime parti Lutheranorum, qui scilicet huic Bergensi formulæ non subscriperunt, sed detestati sunt, uti Synodus Dresdensis. 1571. Theologi Anhaltini, Hallsi, Helmstadienses, Bipontini, integra Dania, Urbes plurimæ, nempe Norimberga, Spira, Wormatia, Francofurtum, Argentina, Brema &c. Imò iste articulus de Ubiquitate Christi est contra omnes Lutheranos, eum tollat Sacramentum Cœnæ; si enim *Humanitas Christi est ubique*, tunc *Corpus Christi & Sanguis sumitur in quo-*

vis prandio & coena, ubi sumitur panis & vinum, quidni etiam in popinis cum cerevisia aut farcimine? Quid enim deest?

12. 4. A priori. Ibi nec potest esse unitas & concordia in doctrina fidei, ubi nullus est aptus & infallibilis Judex Controversiarum, qui lites componat: sed Lutherani non habent aptum & infallibilem Judicem, eò quòd Pontificem & Ecclesiam auctoritatem repudia verint: ergo.

Dices. Etiam apud Lutheranos est consensus in articulis fundamentalibus, & si qui dissentiant in his, parati sunt mutare mentem, si quis eis contrarium ostenderit ex Scriptura: ergo etiam Lutherani habent sufficientem unitatem in fidei doctrina. R. 1. N. Ant. quoad 1. membrum: ratio negandi patet ex paulò ante dictis. Adde, quòd pessimè fiat discrimen inter articulos fundamentales & non fundamentales, cum omnes, si satis innotuerint, sint necessariò credendi, eo ipso quòd sint articuli fidei, & à Deo revelati, qui utique nec in parvis rebus fallere potest, aut suam auctoritatem ita prostituere, ut homini liberum relinquat credere vel non credere, quòd ipsi loquitur. Accedit, quòd Adversarij non possint determinare ex fundamento aliquo certo, quinam articuli sint fundamentales, qui non. R. 2. N. 2. membrum Ant. vel potiùs ejus suppositum, quòd sufficiat, si quis tantum paratus sit doceri ex sola Scriptura, quia ex hac non facile quis potest convinci, utpote quæ varios plerumque sensus patitur. Convincat Lutheranus ex sola Scriptura.

R. P. Pichler Theol. Polemica.

si possit, Sabellianum, ut admittere debeat mysterium SS. Trinitatis, Anabaptistam, ut cogatur admittere Baptismum parvulorum, Calvinistam, ut presentiam Christi corporalem agnoscat in Eucharistia, Schwencfeldianum, ut fateatur existere Scripturam S. & Divinam, iisque libris comprehendi, quos Lutherani agnoscunt pro Divinis. Quàm parùm convincer Lutheranus istos ex sola Scriptura, tam parùm convincere potest alium Lutheranum, circa articulos fundamentales à se discrepantem, ex sola Scriptura: semper enim reponet, se melius intelligere Scripturam. Unde R. 3. Omnes hæretici hoc dixerunt, & etiamnum hoc ipsum pretendere possunt, se paratos mutare mentem, si ex Scriptura S. ipsis ostendatur error, probè gnati, muti hujus Judicis sententiam facile eludi posse, vel textum ipsum vocando in dubium, vel interpretando in commodum suæ Ecclesiæ &c.

Supposita igitur & evidenter probata in rebus fidei Lutheranorum discordia, quero nunc, si quis vellet Lutheranam Religionem capellere, ubinam haurire eam possit sinceram, puram, & illibatam? Vel si dubium incidat circa dogma fidei inter Lutheranos. v. g. de justificatione, Ubiquitate Humanitatis Christi &c. de quibus articulis hodie apud ipsos controversa est & diversitas, quem Judicem adeant, cui partes litigantes omnes parere debeant, qui infallibiliter litem decidat, & clare &c. Scriptura sola evidenter non sufficit, cum omnes eam se niti clament: Ministerium Verbi externum, aut

H h 2

Magi-

Magistratus Politicus sunt homines, & ideo fallibiles, nec una civitas aut regio attendit, & velut Judicem agnoscit Magistratum aut Ministerium alterius civitatis aut regionis. Interim civitates & regiones ferè omnes inter se discrepant in rebus fidei; ad quam ergo securè ibit, qui puram sequi cupit doctrinam Lutheranae Ecclesiae?

*An Ecclesia Romana habeat unitatem in tota fidei doctrina?*

13. R. affirmativè. Probat 1. à posteriori; constat enim ab experientia, fideles omnes omni tempore & loco per totum orbem conspirasse in omnibus fidei articulis, sufficienter propositis, omnèsque Ecclesiae Romanae Doctores, licet scripserint in diversissimis locis, temporibus, linguis, miro semper consensu prorsus eadem docuisse dogmata, utut aliàs genio, indole, natione, studijs dissimiles. Nec potest ab Adversarijs ostendi ullus Papa, aut Concilium Generale, quod alicui fidei articulo, ab Ecclesia vel à Scriptura sufficienter jam proposito, contrarium statuisset.

Hic tamen tria advertenda sunt. 1. Successu temporis aliqua posse ab Ecclesia definiti & declarari pro certis fidei articulis, quae prius è Scripturis vel Traditionibus non satis clarè eruta, ac definita fuerant; quo casu illa, quae successu temporis creduntur *explicitè*, utpote explicitè ad credendum proposita, olim & semper credebantur *implicitè*: quod nihil obest unitati in doctrina fidei, sicut unitati non oberat

in Veteri Testamento, in quo plurima, in Scripturis contenta de Christo, & alia mysteria, credebantur solum implicitè per actum universalem credendo omnia, quae Deus revelavit; quae nunc praesente Christo magis eruta credi debent explicitè; in hoc enim est nulla contradictio. 2. Antequam aliquid clarè & explicitè definitum sit à Sede Apostolica, & pro articulo fidei nondum sufficienter propositum, liberum esse Doctoribus in utramque partem disputare, & sentire pro libitu citra lisionem unitatis fidei, quae tantum versatur circa articulos fidei *sufficienter propositos & clarè definitos*. 3. Doctores privatos, siquid doceant contra articulum fidei definitum, nihil praedjudicare unitati Ecclesiae Universalis; vel enim scienter id faciunt, vel ignorant: si ignorant; error iste est materialis, nec ipsos separat ab unitate fidei, quia per actum fidei generalem, quo credunt omnia à Deo revelata, credunt suae doctrinae oppositum, & id ipsum, quod explicitè negant per ignorantiam: si scienter; desinunt esse Catholici, & fiunt haeretici, persistente interim *Universali* Ecclesia in unitate fidei.

Neque dicas, id ipsum posse responderi à Lutheranis, scilicet eos, qui sentiunt contra fidei articulos à Lutherana Ecclesia receptos, non amplius esse Lutheranos, sed haereticos. Nam contra est 1. Quia Lutherana Ecclesia vel ipsis fatentibus non est Universalis, sed particularis: ergo, qui sentit contra eam, non sentit contra Ecclesiam Universalem, consequenter propterea haeticus non est. Romana



autem est Universalis, ut hic supponitur, infra probabitur. 2. Quia nescitur, quid in multis articulis, quos pro fidei articulis tamen habent omnes Lutherani, sentiat Ecclesia Lutherana v. g. de Ubiquitate Christi, de bonis operibus & justificatione, de libero arbitrio &c. dum una pars hoc, alia aliud sentit. 3. Quia nescitur, penes quos sit pura doctrina Ecclesiae Lutheranae, an penes illos, qui receperunt librum Concordiae, an penes illos, qui illum rejecerant, utram apud Rigidos, vel apud Molles Lutheri discipulos &c. cum neque libri Symbolici, neque Doctores conspirent, ut vidimus. 4. Quia apud Lutheranos unica credendorum regula est Scriptura; quilibet autem dicet, se juxta Scripturam sentire, etiam si sentiat contra articulos à Lutheranis receptos; qui igitur probabunt, talem non esse membrum Ecclesiae Lutheranae? 5. Quia Lutherani agnoscunt pro suis, qui profitentur se Augustanae Confessioni addictos, licet sciant, hos plurimum inter se discrepare. Et sane si tantum illos agnoscerent pro membris Ecclesiae Lutheranae, qui in omnibus fidei articulis consentiunt, tunc planè pusillus foret grex, & Ecclesia valde exilis, imò innumera forent Ecclesiae Lutheranae, ac ferè tot, quot membra Augustanae Confessionis: quamnam ex his erit genuina? Nam unam Ecclesiam non constituunt qui in doctrina fidei non conspirent. At ex hoc ipso, quòd ij, qui habentur pro Lutheranis, non conspirent, sequitur, quòd sicut non unam, ita nec veram constituant Ecclesiam. Et ex hoc ipso, quòd ex secta Lutheri sta-

tim alia plurimae, inter se distinctae, & jam tempore Bellarmini omnino certum numerabantur, pululaverint, prudentes inferebant, Lutheranam sectam non esse veram Christi Ecclesiam.

14. Probatur 2. à priori, quia in Ecclesia Romana datur regula credendorum certa, infallibilis, viibilis, scilicet Romanus Pontifex, aliquid definiens pro fidei articulo vel sine vel cum Concilio Universalis, juxta ea, quae diximus in Papatu nunquam errante. Unde sic demonstro unitatem & concordiam Ecclesiae Romanae in rebus fidei: vel creduntur ubique à Romano-Catholicis ea omnia, quae proponuntur credenda à Romano Pontifice, credendorum regula; vel non creduntur? Si creduntur ubique, hoc ipso datur unitas & concordia fidei: si non creduntur ubique ab omnibus, qui se profitentur Romanae Ecclesiae addictos, tunc isti homines particulares, scienter discrepantes, non amplius sunt membra Ecclesiae Romanae: ergo omnia membra Ecclesiae Romanae semper & ubique necessario conspirent in fidei doctrina.

15. Ob. 1. Etiam inter doctores Theologos Ecclesiae Romanae sunt gravissima dissidia v. g. de gratia efficaci, de praedestinatione, de causalitate Sacramentorum &c. praesertim inter Dominicanos & Jesuitas: ergo nec apud Papistas est illa adeò decantata unitas fidei. 2. Tot sunt divisiones & schismata apud Romano-Catholicos, quot sunt diversi ordines v. g. Benedictinorum, Augustinianorum, Franciscanorum &c. ergo, & ad i. N. Conf. vel Dist. Ant. sunt gravissima dissidia in ijs rebus, quae non-

nondum sunt publica Ecclesie auctoritate pro articulis fidei definita & declarata. C. A. in articulis fidei jam definitis ab Ecclesia, vel clarè contentis in Scriptura. N. A. Ingenus & multiplex disparitas est inter Catholicos dissidentes, & inter Lutheranos dissidentes. 1. Catholici Doctores non dissident in articulis fidei, sed tantum in aliqua opinione, scholasticis disceptationibus adhuc relicta, econtra Lutherani dissident in articulis fidei v. g. de Ubiquitate Christi, de necessitate bonorum operum ad salutem &c. 2. Catholici dissidentes simul sunt parati se submittere iudicio Ecclesie, ejusque definitioni quamprimum acquiescere, si fuerit secuta, & hinc non absolute discordant, sed semper sub hac tacita conditione: nisi aliter delinierit Ecclesia. 3. Apud Catholicos disceptantes non est pertinacia: sine pertinacia autem nemo est hereticus. Econtra Lutherani suum placitum absolute tueantur, & cum ingenti pertinacia, eò quod alium Judicem nolint admittere, quam Scripturam, quam tamen qualibet pars per se & pro se esse claram jactitat, suæ imaginationi pertinacissime inherens, quidquid dicant alij. Ad 2. N. A. diversi Monachi non in fide, sed in modo vivendi & se vestiendi discrepant; quod tam parum tollit unitatem in Republica Ecclesiastica, quam parum tollit in Politica, si unus alba, alter nigra &c. indutus veste incedat, si unus castus, alter pisces comedat &c. Neque Fundatores

SS. Ordinum fuerunt Auctores novæ doctrinæ fidei, sed institutores severioris vitæ ac disciplinae.

Ob. 2. Quamvis in Regno Pontificio sit externa quedam unitas, quam ipsi concedimus, inquit Gerardus de Ecclesia n. 239. vera tamen ac interna unitas ipsi deest. 2. Unio in Ecclesia Romana est servilis & coacta à Papa, qualis est unio miscellanei exercitus, in quo sunt milites sub uno quidem Duce, sed variè affecti interius; ergo non est vera unitas fidei. R. ad 1. Gratis & sine fundamento negatur nobis unitas vera ac interna in rebus fidei, si conceditur externa unitas in professione externa eorundem dogmatum. Talis enim quisque debet præsumi esse interius, qualem se gerit exterius, nisi probetur esse hypocrita. Et quamvis de singulis non sit certum, an habeant eandem fidem internam, quam profiterentur exterius, de tota tamen collectione certum est, quod in ijs saltem aliqui (quamquam ego ordinariè de plerisque, & majori parte verum esse censeam) habeant etiam veram fidem internam, ne pereat tota Ecclesia, quam perire non posse, supra ostendimus. Ad 2. N. Ant. Nam omnes boni Catholici in consueta fidei professione jurata dicunt, se fidem Ecclesie Romanæ profiteri *sponte*. Neque obstat, quod subjiciant suum sensum sensui Ecclesie, quia id liberè præstant, sicut quando subjicimus sensui Christi, vel Sectarij subjiciunt suo proprio sensui verba Scripturæ.

## SYLLOGISMUS II.

Vera Christi Ecclesia debet habere Caput visibile, & Judicem supremum ac infallibilem.

Sed Lutherana non habet visibile Caput, & Judicem supremum ac infallibilem.

Ergo Lutherana non est vera Christi Ecclesia.

*Major probatur evidenter*

17. 1. Ex Scriptura S. in qua comparatur Ecclesia Corpori. Eph. 4. Regno. Dan. 2. Domui. 1. Tim. 3. Navis. 1. Petri 3. Exercitui ordinato. Cant. 6. Atqui in corpore debet esse Caput, in Regno Rex, in domo Paterfamilias, in navi Gubernator, & in exercitu Dux quidam supremus; verbo unum Caput supremum, cui omnes pareant, idque visibile. Cum igitur Ecclesia sit Corpus, Regnum, Domus &c. visibilis, ut ostensum de Visibilitate Ecclesie, pariter Rector & Caput visibile ipsi adaptatum sit oportet, subordinatum tamen Capiti invisibili principali Christo, à quo Ecclesia regitur invisibiliter.

Confirmatur 1. Christus defacto suae Ecclesie constituit Caput aliquod sui Vicarium, visibile, & in terris supremum, nempe D. Petrum, dicens ei soli: *Pasce oves meas.* Jo. 21. *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in caelis.* Mat. 16. ergo D. Petrum constituit supremum Pastorem, cui omnes, quotquot volunt esse oves Christi, sive Apostoli sint, sive Episcopi, sive alij fideles, obedire voluit, e-

jusque doctrinam fidei (hac enim pascuntur oves rationales) in omnibus sequi; consequenter, ne tota erret Ecclesia, infallibilitatem ipsi conferre debuit in *solvendis quibuscunque* fidei controversijs. Eadem autem forma Ecclesie, quam Christus instituit, semper durare debet. Confirmatur 2. Apostolus ait: *Oportet haereses esse.* 1. Cor. 11. v. 19. ergo oportet & Judicem esse visibilem ac infallibilem, qui errantes corrigit, fideles confirmet, dubia solvat, controversias decidat, quem homines adire & audire possint.

2. Ex universali dictamine omnium gentium, usu, & praxi; quippe constat à posteriori, nullam fuisse unquam gentem tam barbaram, quae, postquam semel in societatem civilem coiverat, non sibi aliquod vivum, visibile, & supremum Caput, ac Judicem (abstrahendo, an suprema haec auctoritas sit penes unum vel plures) constituisset. Idque confirmant judicia Philosophorum, qui magistratus omnes probabant, spectaliter tamen Regimen Monarchicum, tanquam optimum. Quae Gentes & Philosophi, quamvis omnino judicant, Deum (vel Deos) esse a-

lio-

liquin supremum rerum humanarum arbitrum, nihilominus tamen aliquem ex hominibus, Deo subordinatum, Judicem cujuslibet Communitatis statuendum esse censuerunt. Si igitur naturale lumen omnibus dicitur, cuiuslibet Communitati præficiendum esse aliquod Caput visibile, & supremum Judicem, Deo quidem subordinatum; quis id negabit Ecclesie Christi, cum & ipsa sit aliqua Communitas, & quidem *ordinata*, cui utique Christus non minus providerit pro sua infinita sapientia & dilectione Sponsa sua, quam providit Natura Communitatibus Politicis. Neque deseruerit Regnum suum secundum visibilem præsentiam, quin ei constituerit ac perpetuo conservet Pro-Regem, qui suas vices suppleat in visibili Regimine ( sine hoc enim sensibiles homines non possunt regi connaturaliter ) ac omnibus cum suprema potestate præsit tanquam summus Judex.

19. 3. Ex ratione. In qua Ecclesia nullus est Judex supremus, auctoritate infallibilis, ibi immortales sunt lites, interminabiles controversie, nulla in fide consensus, nulla in credentibus concordia, nulla unitas, & quod caput est, nulla firmitas & certitudo in credendo. Ferè sicut, si in aliqua Republica Politica nullus esset Judex & via legitima componendi controversias civiles, metra foret confusio, omniaque litibus personarent & dissensionibus. Ergo necesse est, ut in vera Christi Ecclesia, in qua debet esse pax & concordia fidei, summa certitudo in credendo &c.

existat aliquis Judex supremus, ac infallibilis. Quia & visibilis; quia ut aliquis Judex sit utilis Communitati, debet posse adiri & audiri à Partibus litigantibus, & ita ab eo pronuntiarì sententia, ut Partibus evidenter constet, penes quam sit victoria. Atqui nisi Judex supremus in Ecclesia esset homo visibilis, non posset adiri & audiri ab hominibus, qui sunt Partes litigantes: ergo &c.

Ob. 1. ex Scriptura. *Christi reg-* 20.  
*nam non est de hoc mundo.* Jo. 28. Et cum contentio esset orta inter discipulos, *quis eorum videretur esse major.* Luc. 22. Christus eos reprehendit, & dixit: *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic.* Item cum Apostolus Eph. 4. describeret Regimen Ecclesie, nullam fecit mentionem unius Capitis & supremi Judicis, dum ait: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos &c. Unum Corpus, unus Spiritus* Nec dixit: unum Caput visibile, Pontifex, supremus Judex. R. Christi Regnum non est quidem *de hoc mundo*, hoc est, non est mundanum & seculare; est tamen *de hoc mundo*, hoc est, aliquo Capite visibili & Judice supremo instructum, sicut Regna hujus mundi, & inter homines constituta. Christus non reprehendit simpliciter in suis discipulis aliquam præminentiam, sed illam, quæ ambitiosè affectatur, & despoticè geritur, ut sit apud Reges Gentium. Apostolus ibi non descripsit ordinem & Hierarchiam Ecclesie, sed varia enumeravit dona, quæ sunt in Ecclesia. In altero textu implicitè innui.

innuitur *Caput* per verba *unum Corpus*, nam *Corpus* sine *Capite*, & quidem proportionato, monstrum est.

21. Ob. 2. Ecclesia est *Corpus mysticum* Christi: ergo solus Christus est *Caput* Ecclesie; in corpore enim mystico non requiritur *Caput* visibile. 2. Si Ecclesia præter Christum habet aliud *Caput*, est biceps, & monstrum. 3. Ecclesia est *Sponsa* Christi: ergo præter Christum non debet dari alius *Sponsus*, vel aliud *Caput*; nam *vir*, seu *Sponsus*, est *caput mulieris*. Et per se absurdum est, ut *Vicarius Regis* sit *Sponsus Reginae*: ergo licet aliquis esset *Vicarius Christi* in regenda Ecclesia, is tamen non posset esse *Sponsus* & *Caput* Ecclesie. & ad 1. *Dist. Ant.* est *Corpus mysticum* Christi, constans tamen ex meris membris *physicis* & *visibilibus*, scilicet ex collectione *fidelium*, qui indigent *Rectore* pariter *visibili* & *Capite* proportionato C. A. constans ex membris *mysticis* & *invisibilibus* &c. N. A. *Corpus mysticum* dicitur eatenus, quatenus membra Ecclesie constituunt unum corpus morale, à Christo erectum, sanctificatum, & perpetuo gubernandum per internum & in visibilem influxum. Deinde solus Christus est quidem *Caput* Ecclesie principale, & nunc *invisibile*, hoc tamen non impedit, quò minus admitti possit aliud *Caput* visibile, *vicarium*, *subordinatum*. Ad 2. Neque propterea Ecclesia fit biceps, sicut biceps non fit *Regnum Politicum*, si *Rex abiens* constituit *Pro-Règem* & *Vicarium* *suprema potestate donatum*; sicut *mulier* non fit biceps, si præter *Caput naturale* acquirat aliud morale,

R. P. Pichler Theol. Polemica,

nempe *virum*. Si Ecclesia non haberet *Caput proportionatum*, scilicet *visibile*, foret *acephala*, hoc est, sine *Capite*, satis utique monstrum. Ad 3. N. Conf. Allegoria de *Sponso* & *Sponsa* rectè quidem accommodatur Christo & Ecclesie, sed non in omnibus: sicut nec allegoria de *Capite* & *Corpore* *physico* in omnibus quadrat; nam *Corpus physicum* non habet unum *Caput principale*, & aliud *subordinatum*, licet *Corpus morale* & *mysticum* habere possit. Neque in moralibus absurdum est *Vicarium* esse *Sponsum Reginae* *subordinatum*; licet in *physicis desponsationibus* absurdum foret.

*Minor patet ad oculum*

1. Ex evidenti inspectione gubernationis, quæ viger in Ecclesia Lutherana. Lutherani enim non agnoscunt inter se ullum *Principem sæcularem*, aut *Prædicantem*, aut *Superintendentem*, qui toti *Confessionistarum Ecclesie* præsit, sed quisque *Princeps* in sua ditione ( independenter ab alterius auctoritate ) *Ministerium* suæ Ecclesie instituit, & ordinat: hi autem *Ministri*, à *Principe sæculari* alicujus provincie, vel à *Magistratu* alicujus civitatis constituti, nihil prorsus auctoritatis habent in alijs Provincijs, in alijs Civitatibus, eidem *Confessione Augustana* addictis. Ita *Prædicantes*, & *Ministerium Wirtembergense*, nihil possunt in ditione *Hannoveriana*, *Danicum* nihil in ditione *Saxonica*; *Augustanum* nihil *Ulmæ*, *Norimbergense* nihil *Ratisbonæ* &c.

2. Ex *Confessione propria Lutheranorum*

Ij

22.

norum, sic Lutherus in assertionibus articuloꝝ art. 29. ait: *Via nobis facta est enervandi auctoritatem omnium Conciliorum, & liberè contradicendi eorum gestis, & iudicandi eorum decreta.* Et alibi: *Capite hoc Evangelium, quia neque Papa, neque Concilij, neque ulli hominum commissum est, ut concludat, quid sit fides. Ideo debeo dicere, Papa, tu conclusisti cum Concilij; nunc habeo ego iudicium, an acceptare queam nec ne.* Et in Præf. assert. articuloꝝ: *Scriptura ipsa per sese certissima, facilissima, apertissima, sui ipsius interpres, omnium omnia probans, iudicans &c.* Sic Hunnius Sess. 13. protocoll. Monac. edit. 2. p. 295. & 302. *Non tantum possunt, sed etiam debent Christiani, iudicium examinare, an decisio facta sit secundum canonem Verbi Dei.* Et quamvis Prædicantes in Colloquio Ratisbon. falsi sint Sess. 9. præter Scripturam S. esse aliquem Iudicem vivum, scilicet *ipsum Ministerium Verbi*, hoc est, Prædicantes; simul tamen addiderunt, hunc ipsum Iudicem non esse supremum, non iudicare auctoritate Prætoria, cui videlicet absolute & sine alia inquisitione obtemperandum sit; ejus iudicium esse non potestatis, sed interpretationis; non absolute infallibile, sed sub hypothesi tantum incerta, si videlicet, & quamdiu sequitur ductum Divini Verbi &c. Vide Tannerum Anat. p. 2. Demonstr. 6. §. 2. Nec suaserim ulli Ministerio, ut sibi in iudicando supremam auctoritatem arroget; mox enim, & jure, peteretur ab eo, ut suæ potestatis & infallibilitatis documenta ostenda-

deret, Divinum chirographum &c. Haud dubie ceteri Prædicantes reponerent, se æquè sapere, æquè doctos, probos, à Deo illuminatos, ac Scripturarum peritos esse &c. nec indigere aliorum magisterio &c. Hæc & similia utique humilitas Prædicantica, & spiritus omnibus apostatis propè congenitus, eructare non desisteret.

3. Ex superbo ac notorio contemptu & repudiatione legitimi Iudicis, nempe Romani Pontificis, qui à Christo constitutus Jo. 21. *Pasce oves meas* &c. in possessione muneris Pastoralis Universalis, ac supremi Regiminis jam tempore Lutheri per 15. sæcula extitit.

Ob. 1. Scriptura S. est optimus Iudex, nec opus est alio: Scripturam S. habent Lutherani: ergo. p. N. M. Ratio negandi est 1. Quia Scriptura est lex: sed lex in nulla Republica humana est Iudex, sed præter leges constituitur Iudex, cum auctoritate juxta leges pronuntians. 2. Quia non est Iudex Universalis, & omnium controversiarum; nam plurimæ sunt lites de ipsa Scriptura, scilicet an sit aliqua Scriptura Divina, quænam illa sit, quibus libris comprehensa, an non corrupta in rebus fidei & morum, & plerumque quisnam sit legitimus sensus Scripture &c. has autem controversias non potest decidere sola Scriptura; cum ista specialiter & clarè non pronuntiet, an interpretatio Lutheranorum sit vera, an verò Calvinistarum, aut Catholicorum &c. sed post litem eadem tibi verba exhibeat, quæ ante litem, adeoque litem non decidat. 3. Quia in multis est ob-

23.  
scura

scuta etiam fidelibus, & iniquorum peccatis, unde & Christus & Apostoli Scripturam Veteris Testamenti, quæ erat de Christo, interpretabantur Auditoribus suis. 4. Quia etiam summa mysteria, uti Trinitatis, Processionis Spiritus S. numerum Sacramentorum &c. non factis exprimit, aliæque ad salutem necessaria, uti Baptismum parvulorum, &c. 5. Quia utique litteram nudam Scripturæ seu corticem non assignabunt pro Judice Controversiarum Lutherani, sed interpretationem genuinam illius ac sensum legitimum. *Nec enim patemus, in Verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu; non in superficie, sed in medulla &c. Gra de periculum est, in Ecclesia loqui, ne forte de interpretatione perversa de Evangelio Christi hominis fiat Evangelium, aut, quod pejus est, diaboli.* Verba sunt S. Hieron. in c. 1. epist. ad Galat. to. 6. Atqui de interpretatione genuina & legitimo sensu Scripturæ porissima lis est, nec à Scriptura deciditur: ergo.

Dices. Spiritus S. in- & per-Scripturas loquens est Judex, utique legitimus: ergo. R. N. A. tum quia non omnia mysteria per-Scripturas nobis loquitur clarè, & quidem necessaria ad salutem, tum quia non decidit controversias de ipsa Scriptura agitabiles, tum quia non clarè explicat sensum genuinum Scripturæ, tum quia Judex legitimus debet esse talis, quem partes litigantes possint adire, audire, & ita distinctè percipere, ut altera pars evidentè sciat, se causam obtinuisse, altera evidentè sciat, se causam perdidisse, quantum est ex parte hujus Judicis.

R. P. Pichler Theol. Polemica.

Atqui Scriptura, vel Spiritus S. loquens per Scripturam, non ita distinctè dicit sententiam, ut altera pars evidentè sciat, se causam obtinuisse, altera se eam perdidisse, quantum est ex parte hujus Judicis: ergo. Denique si Scriptura, vel Spiritus S. per Scripturam loquens est sufficiens Judex, quare constituunt Lutherani tot Ministros Verbi, & Prædicantes ad discenda fidei dogmata? Ad quid perditio hæc in inutilibus his hominibus sustentandis cum eorum familia, uxore, & liberis, si Scriptura, & Spiritus S. loquens in- & per Scripturam ipsos sufficienter doceat tanquam certissimus, infallibilis, & universalis Judex? Spiritus S. non tantum per Scripturas voluit nobis loqui, sed etiam per Ecclesiam & instrumenta animata per Vicarium Christi.

Ob. 2. Magistratus Politicus potest esse Judex legitimus etiam in controversiis fidei: ergo Lutherani habent legitimum Judicem. R. N. Ant. Ratio negandi est 1. Quia iste Judex non est Universalis per totam Ecclesiam Confessionistarum, nam una Regio vel Civitas sicut in Politicis, ita nec in Ecclesiasticis, paret Principi vel Magistratui alterius Regionis vel Civitatis. 2. Quia non est infallibilis, cum juxta Lutheranos omnis homo sit fallax & mendax. 3. Quia caret legitima potestate, quia à Christo nunquam est dictum Magistratui Politico: *Tibi dabo claves Regni Cælorum: super te edificabo Ecclesiam meam: quodcumque solveris: pasce oves meas &c.* à populo autem, quæ hanc spirituales potestatem ducendi animas ad finem su-

Ii 2

per-

pernaturalem ipsamet non habet, accipere non potest. 4. Quia Ecclesia primitiva per 300. annos regebatur à Capite visibili & supremo quodam Iudice, non tamen à Principe Politico, quia per illud tempus serè totum fuit nullus Princeps secularis, Christianam fidem amplexus. Idem serè dic de Ministerio Verbi cujuslibet ditionis privatae.

25. Ob. 3. Spiritus S. hominem interiorius docens & illuminans est sufficiens Iudex: hunc habent Lutherani sibi loquentem: ergo. R. N. M. Ratio negandi est 1. Quia probari non potest, quòd iste spiritus cujuslibet hominis privati sit Spiritus S. testimonium, & non potius spiritus privatus, dictamen erroneum, imaginatio inanis. & pertinax, vel omnino spiritus atri magistrum. 2. Quia diversa secta, imò diversi homines ejusdem sectae allegant singuli testimonium Spiritus S. internum, & quidem ad probanda dogmata contradictoriè opposita. 3. Quia nulli homini privato promissa est divinitus infallibilitas. 4. Quia fideles debent uniformiter instrui & regi: sed spiritus internus diversis diversa dicit, 5. Quia Iudex inter homines debet sensu percipi, ejusque sententia: sed internus spiritus non potest sensu percipi à partibus litigantibus. 6. Quia nulli privato competit potestas coactiva in alios: hæc autem vel maxime requiritur in Iudice; aliàs ejus sententia non curatur. 7. Si fideles omnes se dirigi crederent à Deo unice per internas inspirationes, fieret mera confusio, cum nullus curaret suos Præpositos,

& hinc 8. frustra constituerentur Pastores, Doctores, Concionatores &c.

*An Ecclesia Romana habeat visibile Caput, & Iudicem legitimum ac infallibilem?*

R. Habet, & semper habuit, nimirum Romanum Pontificem, vel cum Concilio Universali, vel sine hoc aliquid definitem pro articulo fidei, utpote qui est Vicarius Christi in tertis, & Successor in Pontificatu D. Petri, cui Christus omnes omnino oves suas sine ulla exceptione pascendas commisit Jo. 21. super quem edificavit Ecclesiam suam, cui illimitatam solvendi & ligandi potestatem dedit Mat. 16. pro quo rogavit, ut non deficiat fides ejus Luc. 22. Atque Romanum Pontificem pro Christi Vicario, ac visibili Capite, & supremo Iudice semper à temporibus Apostolorum agnoverunt omnes fideles, ac tota Ecclesia Catholica, quæ propterea Romana dici consuevit. Isque in omnes Provincias Christiani orbis exercit suam supremam potestatem & universalem, instituendo vel deponendo Episcopos, ferendo leges, & censuras, dispensando, appellationes admitrendo, hæreses damnando, Concilia Universalia convocando, approbando, ijs præsidento &c. Proinde est in antiquissima & perpetua possessione supremi Regiminis, & muneris pastoralis Universalis. Vide Theses nostras de Papatu nunquam errante per totum, præcipuè art. 4. & infra cap. 4. §. 4. de Capite Ecclesie. Con-



Confirmatur ex SS. PP. S. Irenæus, qui vixit II. sæculo post Christum, l. 3. c. 3. ita pronuntiat: *Ad Romanam Ecclesiam propter majorem principalem necessesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles.* S. Hieron. to. 2. epist. 58. ad Damasum de hypost. nomine: *Hic in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat; ego interim clamito, si quis Cathedra Petri jungitur, meus est.* Optatus Milev. inde probat 2. contra Parmen. Donatistas non pertinere ad Ecclesiam veram, quod non essent conjuncti cum Syricio Papa. S. August. de Cæciliano Episcopo sic loquitur epist. 162. *Cum se videret Romana Ecclesia, in qua semper Apostolica Cathedra viguit Principatus, per communicatorias litteras esse conjunctum.* Vide Coccium l. 7. art. 6. Præterea observatum est, illas Ecclesias, quæ ab isto Capite, controversiarum Judice supremo, Pontifice Romano defecerunt, aruisse velut ramos à radice præcisos. Sic contigit Ecclesijs Asiaticis, Africanis, & Græcis, quæ quamdiu cum Romano Pontifice communicarunt, tamdiu erant in flore, ita ut celebrarent integra Concilia, multos numerarent viros. vel doctrina, vel sanctitate, vel utraque hac dote simul illustrissimos. Nunc verò his aliisque omnibus ornamentis destitutæ squalent &c.

Ob. 2. Integra Concilia, etiam cum Papa, errarunt sæpius: ergo Ecclesia Romana non habet infallibilem Judicem. R. Cùm hujus loci non sit ad singula in particulari descendere, quod

factum est in *Papatu nunquam errante* art. 5. hic summariter & generaliter adduco novem fontes, ex quorum uno vel pluribus semper dari poterit sufficiens responsio ad casus particulares. 1. Concilia, ex quibus formantur objectiones, subinde sunt tantum Particularia, non Generalia: solum autem decisiones Generalium Concc. faciunt articulum fidei. 2. Vel non sunt unita cum Pontifice, aut approbata ab eodem. 3. Vel approbata quidem, sed solum ex parte, & non secundum ea, in quibus est error. 4. Vel, quod adducitur, non est sententia Concilij, sed alicujus tantum Patris. 5. Vel, quæ proferuntur, solum sunt argumenta, probationes, & disputationes præviæ; hujusmodi autem non sunt de fide, sed solum de fide est ipsa sententia definitiva, sive id præcisè, in quo est decisio. 6. Vel verba Concilij subinde depravantur, & perperam citantur ab hæreticis. 7. Vel saltem malevolè trahuntur in perversum sensum. 8. Vel tantum continent errorem facti, non juris, seu circa factum aliquod particulare, nullam habens connexionem necessariam cum decisionibus fidei. Cùm per errorem Papæ circa factum particulare tota Ecclesia non inducatur in errorem circa res fidei & morum. 9. Vel, si circa mores sit decretum, tantum est error quoad *circumstantias*, scilicet loci, temporis, personarum &c. non quoad substantiam; si enim erraret quoad substantiam, præcipiendo vitia & prohibendo virtutes, tota Ecclesia deberet credere, vitia esse bona, virtutes malas, & sic

erraret in fide, & desineret esse sancta in decretis morum. Si verò erret quoad circumstantias modi, personarum &c. nimis multas & graves leges ferendo &c. Leges istæ non sunt iustæ, adeoque nec obligatorie, atque sic Ecclesia, cum non teneatur eas acceptare, non inducitur in errorem. Ex his fontibus semper haurire poteris aliquam vel plures responiones, præsertim si in historia Ecclesiastica probè versatus fueris.

28. Ob. 2. Pontifices Romani jam sæpe errarunt, & sibi met contradixerunt: ergo Pontifex Romanus non est legitimus Judex. R. D. A. errarunt aliquoties in vita & moribus tanquam homines privati. C. A. errarunt in rebus fidei tanquam Doctores publici, quæ definiunt, & ex Cathedra loquentes. N. A. & C. Quid ad casus particulares respondendum sit, vide in *Papatu nunquam errante. art. 7. & 8.* Vel consule primum enumeratos novem fontes, ex quibus perenda sunt responiones ad objectiones ex Concilijs petitas; multi ex ijs, præsertim posteriores, etiam hic servire possunt.

Dices 1. Si Pontifex potest labi in alia scelera, non amplius est ratio, cur non possit labi in peccata contra fidem: ergo potest errare etiam in fide; cum intellectus non sit firmior voluntate. R. N. A. nam si Pontifex erraret in fide, quæ definiens, tunc tota Ecclesia erraret in fide, cum omnes fideles teneantur sequi hunc Judicem, sibi à Deo constitutum, tanquam oves Pastorem:

totam autem Ecclesiam Deus non potest permittere in errorem labi. Si verò Pontifex ut homo privatus labatur in alia peccata, non pervertitur tota Ecclesia. Deinde intellectui Pontificis est promissa infallibilitas in fide, non verò voluntati immutabilitas in virtutibus alijs. Pro Petro rogavit quidem Christus, *ut non deficiat fides ejus*, non autem rogavit, ut non deficiat charitas, justitia, castitas &c. illius.

Dices 2. Est probabile, quòd Pontifex, ut homo privatus, possit incidere in hæresim ( sit, quòd eam docere, & Ecclesie credendam proponere nequeat) ergo potest esse hæreticus: ergo non requiritur unio fidelium cum Pontifice tanquam Capite. R. Trans. Enthymema, quod à Bellarm. & alijs multis non male negatur; quæro autem: vel Papa hæreticus esset notoriæ talis & notoriæ contumax? Quo casu deponitur, & desinit esse Pontifex, nullusque fidelium tenetur amplius ei obedire. Vel esset hæreticus occultus? Tunc non esset vitandus, sed Ecclesia cum ipso externam saltem communionem habere deberet; id tamen sine ullo suo periculo; cum Deus non possit permittere, ut Papa occultè hæreticus vel aliquid definiat, vel ( si permiserit eum aliquid definire ) ut definiat falsum & hæreticum; eò quòd infallibilitas Pontifici promissa & data sit intuitu Ecclesie, ne scilicet tota Ecclesia inducatur in errorem.

ARTI-

## ARTICULUS IV.

## De Nota Sanctitatis.

## SUMMARIUM.

1. *Alia est Sanctitas doctrina, alia morum: de utraque est sermo.*
2. *Vera Christi Ecclesia debet esse sancta in doctrina.*
3. *Et haec sanctitas est nota vera Ecclesiae.*
4. *Apud Lutheranos non est sanctitas doctrinae.*
5. *Quod confirmatur.*
6. 7. *Nec vere promouent gloriam Dei, nec falsi quid nos ipsis imputamus.*
8. *Ecclesia autem Romana verè sancta est in doctrina.*
9. 10. *Quam frustra vitare nituntur Adversarij.*
11. *Sed & sancta in suorum membrorum vita ac moribus debet esse vera Ecclesia.*
12. *Quae sanctitas morum est nota vera Ecclesiae, imò se sola est nota etiam affirmativa vera Ecclesiae.*
13. *Non verò reperitur apud Lutheranos, ut tum à posteriori,*
14. *Tum à priori patet.*
15. *Quomodocumque se excusent.*
16. *Sanctos sibi fingere, vel ad se rapere nituntur plagiarij. At Romana Ecclesia semper habuit sanctos homines utriusque sexus.*
18. *Ut vel ipsi Adversarij fatentur.*
19. 20. *Nec obest, quòd in ea semper etiam fuerint scelerati, aut quaedam scelera in quibusdam circumstantijs tolerata.*
21. *Miraculis optimè confirmatur sanctitas tam doctrinae quam morum.*
22. *Quae triplici modo accipi possunt,*
23. *Tamen duae tantum eorum classis ad veritatem comprobendam aptae sunt.*
24. *Quomodo miraculum verum à falso discerni possit ac debeat.*
25. *Vera miracula sunt certissima signa vera Ecclesiae.*
26. *Vera Christi Ecclesia debet esse conspicua miraculis.*
27. 28. *In cassum nituntur eliminare miracula, aut eorum vim infringere Adversarij.*
29. *Etiam hodie dum fiunt, & fieri oportet miracula.*
30. *Apud Lutheranos nullum unquam repertum est verum miraculum, in confirmationem suae Ecclesiae aut dogmatum factum.*
31. 32. *Inanes eorum exceptiones.*
33. *At Romana Ecclesia plurimis miraculis per singula saecula fuit conspicua.*
34. *Non fuerunt effectus naturales,*

*figmentis, aut praestigis, ut mentiuntur heretici.*

*Romano - Catholicam confirmabant.*

35. *Nec solam fidem Christianam, sed*

36. *Gerardi vertigo.*

1. Sciendum 1. Sanctitatem, qua de hic agimus, esse duplicem, scilicet doctrinae & hominum; sanctitatem doctrinae poteris dicere etiam speculativam, hominum vero seu membrorum Ecclesiae sanctitatem practicam, vel sanctitatem morum. Quamvis meo iudicio ipsa doctrina rectius dicatur sancta tam speculative quam practice; speculative sancta est, quatenus recte docet credere, practice sancta est, quatenus recte docet facere. Unde

Sciendum 2. Ad sanctitatem doctrinae tria requiri. 1. Ut omnia, quae docet, sancta sint negativè, hoc est, ut nihil doceat falsum, indecens, iniquum &c. 2. Ut ejus dogmata etiam sancta sint positivè, seu talia, quae per se placent Deo, bona, decentia, & iusta sunt. 3. Ut sancta sint etiam practice, hoc est, talia, quae ostendant, quomodo acquirenda sit vera sanctitas morum.

Sciendum 3. Quamvis sanctitas hominum seu membrorum Ecclesiae simpliciter consistat in gratia sanctificante, & omnes (saltem in infimo gradu) sancti sint, qui sunt in statu gratiae, & observant mandata Dei sub peccato

mortali obligantia; ad majorem tamen sanctitatem membrorum Ecclesiae requiritur 1. Fides actualis, & observatio mandatorum etiam sub levi peccato obligantium, ita ut haec saltem non facile & cum plena deliberatione violentur. 2. Observatio etiam Consiliorum Christi. 3. Dominium passionum, ne perturbent rationem, & dominantur voluntati. 4. Variarum virtutum & bonorum operum exercitium. Et quò amplius quis in istis profecerit, eò majorem sanctitatem (quae sublimior sanctitas vocatur etiam *Perfektio*) obtinebit.

Sciendum 4. Ad discernendam veram Christi Ecclesiam à falsis nos iterum usuros duobus Syllogismis, uno circa sanctitatem doctrinae, altero circa sanctitatem morum, vel membrorum Ecclesiae. Cùm verò miracula sint valde illustre signum utriusque sanctitatis, quam habere debet vera Christi Ecclesia tam in doctrina, quam in membris suis, adjiciemus tertium Syllogismum de miraculis, ex quibus egregie, sicut sanctitas dignoscitur, ita Ecclesiae veritas discernitur.

### SYLLOGISMUS I.

Vera Christi Ecclesia debet esse sancta in doctrina.  
Sed Lutherana non est sancta in doctrina.  
Ergo Lutherana non est vera Christi Ecclesia.

*Majo-*

*Major est indubitata*

2. 1. Ex Scriptura S. *Lex Domini immaculata.* Pl. 18. v. 8. *Iustitia Domini recta.* v. 9. *Sobrietatem, & prudentiam docet, & iustitiam, & virtutem.* Sap. 8. v. 7. *Domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudo- nem dierum.* Psal. 92. v. 9. *Ego Johannes vidi sanctam civitatem Ierusalem novam descendentem de caelo &c.* Apoc. 21. v. 2.

2. Ex Symbolo Apostolico & Nicæno, in quo Ecclesia dicitur *sancta.* Imò Confessio Augustana in terminis docet art. 7. quod una *sancta* Ecclesia perpetuo manura sit. Atqui absolute sancta dici non posset, nisi esset sancta in doctrina. Quis enim ex Lutheranis Ecclesiam Calvinistarum, Zwingliano- rum, Anabaptistarum simpliciter sanctam appellabit, eò quod credat in Christum, habeat Scripturam sanctam, & Baptismum &c.? Itaque requiritur, ut Ecclesia vera in omnibus suis dogmatis sit sancta, nihilque falsum, indecens, & injustum doceat, atque ut à vitijs suos cultores abducat, ad virtutes stimulet.

3. Ex ratione. Vera Ecclesia est vera Religio: vera autem Religio in omnibus suis tum dogmatis fidei, tum præceptis morum debet esse sancta, sive Deo placens; nam Religio vera nihil est aliud, quam modus colendi Deum, ab ipso Deo profectus, & quidem colendi eo modo, quo ipse vult coli. Ergo omnis ejus doctrina tam fidei quam morum, utpote a Deo profecta, & voluntati Divinæ (quæ est regula omnis sanctitatis creatæ) conformis, non po-

R. P. Pichler Theol. Polemica.

test non esse sancta. Et hoc argumen- tum adeò est evidens, ut à nemine nega- ri queat.

Dicunt tamen Lutherani cum Gerat- do suo. Quamvis Ecclesia sit & esse debeat sancta in omni sua doctrina; ta- men hæc sanctitas doctrinæ non potest esse nota veræ Ecclesiæ. Probat: non potest constare, an & quantum doctrina sit sancta, nisi ex Scripturis: ergo sanctitas doctrinæ non est nota per se, utpote aliunde primùm probanda. Confirmant 1. Si sanctitas doctrinæ est nota veræ Ecclesiæ, tunc etiam ipsa doctrina sancta erit nota veræ Ecclesiæ, quia hæc duo sunt unum & idem. At- qui posterius non admittitur à Papistis, alias enim deberent admittere, quòd pura prædicatio doctrinæ sit nota veræ Ecclesiæ: de puritate autem & sanctita- te doctrinæ non potest constare nisi ex SS. literis. Confirmant 2. Sanctitas doctrinæ non potest cognosci, nisi ali- quis discutiat omnes articulos alienjus Ecclesiæ: hoc autem est fere impossibi- le, præsertim indoctis: ergo sanctitas doctrinæ est fere incognoscibilis: ergo non potest esse nota.

R. N. assertum. Ad probationem N. A. Quis negabit, sanctitatem doctri- næ, quæ vigeat in Lege Veteri, ante- quam ulla Scriptura S. exstaret, scilicet ante Moysen, item sanctitatem doctri- næ, quam prædicabat Christus & Apo- stoli, potuisse cognosci? Sed tunc, pri- mo saltem septennio (nam ante annum Christi 41. nec Evangelium, nec epi- stola, aut alius liber Canonicus Novi Testamenti fuit conscriptus) non exsta- bat Scriptura, complectens Christi doctrinam

K k

doctrinam & Apostolorum. Sanctitas igitur doctrinæ patere potest tum per se & adminiculo luminis naturalis, nullo errore aut inconueniens in ea videntis, tum ex eo, quod manifestè appareat apta perducere homines ad virtutis studium, ac retrahere à vitijs, tum quòd actu perducatur ad omnem honestatem, lumine naturali cognitam. Hæc igitur doctrinæ *immunitas* ab errore manifesto, & *aptitudo* ad peccatores emendandos, ac implantandas virtutes (adeoque sanctitas doctrinæ, tam positiva, quam negativa) longè est notior, quam vera Scriptura; cum veritas Scripturæ primùm dignosci queat ex veritate Ecclesiæ, veritas autem Ecclesiæ ex sanctitate doctrinæ & alijs notis. Probenim Lutherani, si viri sint, Gentilibus sanctitatem doctrinæ suæ ex Scripturis. Isti, tamdiu negabunt Scripturæ auctoritatem, donec eam ipsis probaverint ex testimonio Ecclesiæ &c. ut fatetur Gerardus de Ecclesia c. 10. n. 126. Quomodo igitur alibi dicere potest, doctrinæ sanctitatem non posse constare nisi ex Scriptura?

Unde patet ad Confirmationem 1. Nos Catholici enim, quando dicimus, Sanctitatem doctrinæ (vel doctrinam sanctam, quæ duo utique idem sunt) esse notam veræ Ecclesiæ, intelligimus talem sanctitatem, quæ consistit in immunitate ab errore manifesto & aptitudine ad emendandos peccatores &c. quæ patere possunt independentè à Scriptura S. Ad 2. Confirmationem N. M. nam si rudis (rationis tamen capax) nullum videt errorem manifestum in doctrina, quam haurit, & aliunde

novit per famam & experientiam, homines juxta hanc doctrinam viventes fieri valde sanctos, à gravioribus vitijs liberos, virtutum studiosos, item valde multos hujusmodi vitæ sanctimoniam insignes adslipulari huic doctrinæ &c. satis cognoscit sanctitatem doctrinæ, quin discutiat particulari examine omnes & singulos articulos. Unde Ecclesiam veram optimè discernere poterit à falsâ, si unius doctrinam videat immunem ab errore manifesto, atque aptam stimulare homines ad majorem Dei cultum tum externum, tum internum, ad diligens Pietatis, Castitatis, Charitatis aliarumque virtutum studium &c. actu perducentem; non item doctrinam alterius Ecclesiæ.

*Minor probatur facile*

1. Ex oculari inspectione articulo-  
rum Ecclesiæ Lutheranae, quorum aliqui 1. evidenter sunt incredibiles & falsi. 2. Aliqui simul evidenter Deo injuriosi & indecentes. 3. Aliqui evidenter sceleribus faventes & virtutibus inimici. Adeoque Sanctitate tam negativa quam positiva, speculativa & practica destituti. Hos autem articulos, quos habent Lutherani Auctores & libri magni nominis (quod paratus sum postulanti ostendere) nunc recensabo.

Evidenter incredibiles & falsi sunt 1. hominem carere libero arbitrio ad faciendum bonum & omittendum malum. 2. Non posse observare mandata Dei. 3. Peccare per omnem concupiscentiam motum mortaliter, etiam si is involuntarius sit & indeliberatus, in infantia, in amentia, in somno contingens, ut

expresse docet Lomerus in seiner fortgesetzten Abfertigung. 4. Etiam iustum in omni opere bono peccare, & quidem mortaliter, cum iuxta ipsos omne peccatum ex natura sua sit mortale, & dignum supplicio aeterno. 5. Lutheranos esse certissimos certitudine fidei de sua salute &c.

Evidenter injuriosi Deo ac indecentes sunt 1. Deum precipere & exigere ab hominibus observationem suorum mandatorum, & impletionem legis, nec tamen ipsi dare vires ad id necessarias; quod est facere Deum insipientem & stultum. 2. Deum punire eos aeternum, qui violant sua mandata, cum tamen observare non potuerint; quod est Deum facere tyrannum, injustum. 3. Deum precipere, ut homines peccent mortaliter; cum precipiat aliqua opera sub gravi obligatione, quae tamen praestari non possunt ab hominibus; imò facere, ut omnia opera, quia nunquam fieri possunt, quin aliquid imperfecti, consequenter mortaliter peccaminosi admixtum habeant, sint mortaliter peccaminosa: quod est Deum facere peccatorem, & auctorem peccati. 4. Deum gravissime peccantes, modò credant se esse justos & non puniendos, sed salvandos, non punire; quod est Deum facere factorem scelerum & sceleratorum. 5. Deum reputare justos, qui tamen re ipsa peccatores sunt, scilicet peccatis originali & actualibus (rectis tamen) gravissimis inquinati; quod est Deum facere inepte indulgentem affectui. 6. Deum aliquos salvare & aeternum premiari propter fidem, alios

R. P. Fichler Theol. Polemica.

autem aeternum punire igne infernali propter carentiam fidei; cum tamen nec illis fides, nec illis carentia fidei fuerit libera, cum solus Deus operetur fidem, & alios actus spirituales in hominibus, ad salutem necessarios, homines autem careant potestate & libero arbitrio ad eos eliciendos vel omitterendos; quod est facere Deum injustum personarum acceptorem. 7. Christum etiam quoad naturam Divinam fuisse Mediatorem inter Deum & hominem; quod est facere Christum minorem Patre, licet Deus sit, vel omnino negare, ipsum esse Deum &c. Taceo blasphemias propositiones Lutheri, dicentis, *diabolum esse Deum nostrum juxta Scripturam*. Tom. 2. Witt. Germ. 1548. pag. 266. Et: *Christus Jesus ist / lieber Teufel / auch dein Teuffel worden*. Tom. 1. Witt. p. 87. b. in c. 2. ep. ad Gal. anno 1538. explicatum. Christus fuit *maximus peccator. Maximus latro, homicida, adulter, fur, sacrilegus, blasphemus*. Colloq. Mens. 1. 101. item 10. 1. Witt. fol. 86. 152. 153. in Epist. ad Gal.

Evidenter faventes sceleribus, & inimici virtutibus sunt 1. hominem justificari & salvari per solam fidem; quod angustam caeli portam nimis dilatat. 2. Bona opera non esse necessaria ad justificationem, & salutem, imò obesse; quod extinguit studium virtutis & bonorum operum. 3. Summam mandatorum Dei esse agere penitentiam & credere in Evangelium; agere autem penitentiam nihil esse aliud, quam se emendare; quod est probare peccata

Kk 2

præ-

præterita, vel saltem non improbare.  
 4. Præter fidem requiri quidem opera bona, sed solum ut effectum & testimonium fidei coram hominibus, non verò coram Deo, ubi nihil valet, nisi fides; quod est facere hypocritas humanis oculis servientes. 5. Non-renatos nullum posse elicere actum fidei, charitatis Dei &c. internum, non-renatis autem æquiparari eos, qui per peccatum violant sædus Baptismale, ut docet Gerard. de Eccl. n. 252. adeoque Lutheranos, cum peccent ferè singulis momentis juxta sua ipsorum principia, non posse credere, Deum diligere &c. quod facit homines desides in exercitio harum virtutum, & nec meriti nec demeriti capaces, utpote non liberos.  
 6. Præcepta Divina non posse observari; quod facit audacter transgredi præcepta, cum nulla sollicitudine servari possint. 7. Confessionem distinctam peccatorum non esse faciendam homini; quod est frantum optimum adversus vitia tollere. 8. Vota castitatis, obedientiæ &c. non debere observari; quod est facere sacrilegos. 9. Hominem per omnia sua opera, etiam optima, nihil mereri apud Deum, non heri Deo gratiorem, nec plus præmij habiturum &c. quod est Deo minnere gloriam, & tollere eorum virtutis. 10. Jejunia, peregrinationes, afflictiones corporis voluntarias nihil prodesse coram Deo; quod est fovete carnem & augere tentationes. 11. Sanctos religiosè coli & invocari non posse; quod est debito honore privare Sanctos in cælo, homines verò in terra existentes illorum patrocinio, & sequutura inde

ingenti utilitate. 12. Pro Defunctis non esse orandum; quod est communionem Sanctorum, & charitatem erga miseros tollere. 13. Omnibus rei uxoria dandam esse operam, & Matrimonium esse præceptum; quod est consilium & exemplum Christi spernere, ac Sanctorum. 14. Nullum esse peccatum, per quod homo excedere possit æterna felicitate, præter infidelitatem; quod est latam viam aperire omnibus sceleribus.

2. Probatum ex eo, quod doctrina Ecclesiæ Lutherana non sit sancta, quia per illicita adminicula introduci & conservari debuit, scilicet 1. per falsationes SS. litterarum, uti sapius fecit Lutherus, v.g. dum ista verba Rom. 3. v. 20. *per legem cognitio peccati*, ita vertit: *Durch das Gesetz kombt nur Erkantnuß der Sünden*. Quasi verò lex tantum ideo esset data, ut cognoscatur peccatum, & non potius ut observetur. 2. Per fraudes, quibus Catholicos infamant, quasi adorarent ligna & saxa non aliter, ac Ethnicis sua Idola, quasi Sanctos & B. V. adorarent ut Deos, quasi merita Christi nihil, sua autem maximè curarent &c. 3. Per alia mendacia innumera, quibus vel aliqua dogmata asingunt Catholicis, vel pessime interpretantur, vel viris egregijs varia crimina v. g. proditioes principum, cedes regum, varia turpitudinum genera impiissime impingunt &c. illos præsertim, qui eorum conatibus maxime obsistunt, per libellos famosos, per publicas conciones &c. ubique infamare, & contemptibiles reddere satagunt &c. confictis nescio



scio quibus criminibus. Idque semper fecerunt, & adhuc faciunt.

6. Ob. 1. Illa doctrina verè est Sancta, quæ solius Dei & Christi Mediatoris gloriam maximè promovet, humanum econtra fastum & arrogantiam deprimat: sed utrumque facit doctrina Ecclesiæ Lutherana: ergo. Min. prob. docet, solum Deum esse adorandum & invocandum, non Sanctos, & creaturas: item docet, omnem fiduciam esse collocandam in Christi meritis, nullam in hominibus, aut in meritis proprijs &c. ergo. R. D. M. quæ maximè promovet gloriam Dei &c. verè, & in omnibus. C. M. Quæ solum fide id facit, nec in omnibus dogmatis. N. M. Quam Deo injuriosa, omnique honestati inimica dogmata alia reperiantur in Lutherano, paulò ante vidimus. Adde, quòd nec allata verè promoveant gloriam Dei & Christi, sed tantum fide. Magis enim ipsa gloriosum est Deo, hominumque fastum deprimat, si illi non soli audeant comparere coram tanta Majestate sine Patronis, qui tanquam familiares & dilecti amici tanti Regis invocantur tanquam intercessores: utique enim magis gloriosum est Principi supremo, si habeat supplices non tantum gregarios & plebem, sed etiam magnates & principes, qui & ipsi omnem suam dignitatem se ei fatentur debere. Rursus meritis Christi nihil derogatur, sed potius augetur gloria Christi, si dicatur, eum non solum meruisse nobis primam gratiam & gloriam æternam, sed etiam ipsos, qui semel ab eo in gratiam sunt recepti, ac libertate præditi, vitæ impetrasse per sua merita. merendi augmen-

tum gratiæ & gloriæ æternæ: sicut Omnipotentiam Dei non deprimat, sed extollit, qui dicit, eam non agere omnia per se solam, sed etiam rebus creatis contulisse vim agendi. Neque propterea per se datur ansa superbiendi creaturis, cum agnoscant & fateri cogantur, se sibi solis relictas nihil omnino posse, posse tamen & debere quemlibet cum Apostolo dicere: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Phil. 4. Item: *Non ego, sed gratia Dei mecum.* 1. Cor. 15.

7. Ob. 2. Multa impinguntur Lutheranis à Catholicis, quæ ipsi non docent. Sic 1. non docent absolute, mandata Dei non posse observari, sed tantum, non posse perfecte in hac vita impleri. 2. Opera bona requiri tanquam signa & effectum fidei, licet non requirantur ut dispositio ad justificationem, & ut merita. 3. Etiam Lutherani hortantur ad observationem mandatorum Dei, & ad exercitium bonorum operum. R. 1. me paratum esse omnia, quæ retuli, ostendere vel in libris Lutheri, vel in libris Lutheranorum Symbolicis, imò pleraque etiam in lucubrationibus Lomeri, qui hic & nunc scripsit. Audiamus unum vel alterum apophthegma Lutheri. In argumento in epist. ad Gal. editionis primæ sic pronuntiat: *Summa ars & sapientia Christiana est nescire legem, ignorare opera & totam iustitiam activam.* Ad c. 2. epist. ad Gal. *Quando sic docetur: fides iustificat quidem, sed simul servare oportet mandata Dei, quia scriptum est: si vis ad vitam ingredi, serva mandata: ibi statim Christus negatus est &c.*

In assert. art. art. 31. *Fusus in omni opere bono peccat.* De Captiv. Babyl. c. de Baptismo. *Nulla peccata hominem baptizatum damnare possunt, nisi sola incredulitas.* Alibi: *Nihil ad nos Christianos praecepta Decalogi pertinent.* Quod idem reperi in Colloquio Altenburgensi. R. 2. Quamvis defacto non ita docerent omnes, aut etiam non ita doceant ubique, tamen causam suam non faciunt meliorem, quia inde intelligitur manifesta discordia in rebus fidei, dum moderni contradicunt antiquis, hic existentes alibi degentibus.

8. R. 3. ad singula. Ad 1. sufficit, modo fateantur, Deum exigere sub peccato mortali tam perfectam observationem mandatorum, quam perfecta in hac vita possibilis non est; ex hoc enim jam sequitur, Deum imprudenter praecipere, injuste minitari transgredientibus infernum &c. Ad 2. Imprimis aliter docuit Lutherus, & Rigidi Lutherani: deinde quaro: vel sine bonis operibus possunt homines justificari & salvari, vel non? Sive deinde dicas, ea requiri per modum causae & dispositionis, sive per modum effectus & signi. Si non possunt: ergo opera bona sunt necessaria ad salutem, falsumque est, fidem solam sufficere, quod semper jactant: si possunt salvari sine bonis operibus, nemo curabit multum bona opera, & sic sequentur illa absurda, supra. n. 4. intinua. Ad 3. Quid juvat exhortari ad observationem mandatorum Dei, si observari non possunt? ad exercitium bonorum operum, si ista sint pec-

caminola, ad salutem non necessaria?

Dices. Juste potest Deus exigere ab homine, quod sibi debetur, si homo propria culpa id sibi impossibile reddidit: sed homo per peccatum originale propria culpa sibi reddidit impossibilem observationem mandatorum Dei: ergo juste eam Deus ab illo exigit, tanquam sibi debitam. 2. Non possumus Deum diligere, uti diligendus est: neque evitare motus concupiscentiae: ergo primum & ultima duo mandata Decalogi non possumus observare. R. ad 1. N. Ma. N. Mi. & Conf. Quis enim juste & prudenter exigeret à servo suo pedibus destituto, ut ambulet; licet servus pedes suos propria culpa amississet v. g. rixando? Dein per peccatum originale difficilius quidem nobis facta est observatio mandatorum Dei, non tamen impossibilis, adjuvante Dei auxilio, semper parato. Ad 2. Non praecipitur nobis summa intentio in amando Deo, quae utique impossibilis est etiam Sanctis in caelo: sed tantum praecipitur amor appreciatiue summus, ita ut Deum praeramus omnibus rebus creatis, existentibus & possibilibus, quae possint nos separare à Deo; quod facere possumus. Motus concupiscentiae non sunt peccata, quamdiu non accesserit consensus voluntatis, quem semper habemus in nostra potestate, & cohibere valeamus.

*An Ecclesia Romana sit sancta in doctrina?*

R.

8. R. quòd sic. Probatnr 1. Quia nihil docuit unquam recte rationi contrarium, & falsum; nihil Deo indignum, & indècens; nihil iniquum. Nihil enim tale à lyncæis Adversarijs inquam deprehendi & ostendi potuit: ergo est sancta in doctrina negativè. 2. Quia Ecclesia Romana non tantum prohibet omnia, quæ sunt contra mandata Dei, contra dilectionem proximi, & contra lumen rationis, sed etiam insuper hortatur suos, & urget tum per consilia, tum per præcepta, ad omnis generis opera pia, sancta, Dei honorem ac hominum salutem promoventia: qualia sunt orationes frequentes, publicæ & private, sacrificia tum celebranda tum audienda, Sacramentorum decens usus, castigationes corporis variae; præsertim jejunia, opera misericordiae tum corporalia, tum spiritualia, elemosynæ &c. ergo ejus doctrina est etiam sancta in doctrina positivè & practicè. 3. Quia hortatur suos, ut etiam sequantur consilia Christi, ut scilicet per observationem accuratam voluntariae paupertatis, perpetuæ castitatis, & obedientiæ perfectæ ad apicem sanctitatis & perfectionis Evangelicæ perveniant: ad quas virtutes inviolabiliter observandas multa millia imò multi milliones voto nuncupato se jam obstrinxerunt, relictis sæpe ingentibus divitijs, summis mundi dignitatibus, & quandoque etiam sceptris & coronis, integris principatibus & provincijs &c. ergo est sancta eminenter.

Ob. 1. Ecclesia Romana vilipendit Scripturam S. cique æquiparat verba Pontificis, Traditiones humanas &c.

ergo in sua doctrina non est sancta. 2. Doctores Catholici docent valde laxas sententias contra bonos mores v. g. fornicationem simplicem non esse peccatum: ergo. R. ad 1. Falsum est, quòd Ecclesia Romana vilipendat Scripturam S. sed id asserit, quòd Traditiones Divinæ & Apostolicæ habeant eandem prorsus auctoritatem, quam habent Scripturæ Divinæ & Apostolicæ, quatenus nempe Deus nobis loquitur non minus per Traditiones istas ab Ecclesia propositas, quàm per Scripturas nobis ab Ecclesia propositas & declaratas. Neque interest, an Verbum Dei sit scriptum, vel traditum, modò constet, quòd sit Verbum Dei. Imò per Traditionem & auctoritatem Ecclesiæ debet nobis constare, an & quamnam Scriptura sit Divina & Apostolica. Unde negatur suppositum, quòd Verbum Pontificis ex Cathedra pronuntians, aut Traditiones sint verbum hominum, nisi instrumentaliter tantum, sicut est ipsa etiam Scriptura: principaliter verò & originaliter sunt Verbum Dei, nobis loquentis per os Ecclesiæ. Ad 1. Licet aliqui privati Doctores subinde tradiderint nimis laxas sententias, tamen illas non approbat Ecclesia: imò ejusmodi propositiones solent gravissimè prohiberi à summis Pontificibus, uti factum est ab Alexandro VII. Innoc. XI. XII. &c. post cujusmodi prohibitionem nulli Catholicorum licet proponere illas docere, aut in praxim deducere. Deinde quòd ullus Catholicorum doceat, fornicationem non esse peccatum, haud credo; cum clarè repugnet Juri Naturali, & Divino; nam Paulus ex-  
pressè

presè excludit à Regno Dei fornicarios.  
1. Cor. 6. v. 9.

10. Ob. 2. In Jure Pontificio reperiuntur quaedam planè flagitiosa, ac inter alia in Decreto Gratiani c. 2. causa 12. q. 1. dicitur, *amicorum omnia debere esse communia, etiam uxores.* Et c. 4. Dist. 44. ex Conc. Tolet. docetur, *eum, qui non habet uxorem posse habere concubinam.* Ergo doctrina Ecclesie Romana non est sancta. R. ad 1. Assumentum illud de *communione uxorum* est suppositivum, nec reperitur in manu-scripto authentico Clementis

Romani, ex cuius epist. citatur textus. Gratianus saepe ex viciosis exemplaribus malè descripsit, & eatenus tantum auctoritatem habet, quatenus cum originibus concordat. Ad 2. Ibi nomine *concubine* intelligitur vera uxor, sed minùs solenniter ducta, scilicet sine tabulis dotalibus, & sine alijs Juris tum Civilis tum Canonici solennitatibus & privilegijs juxta veterem morem, præsertim Antiquæ Legis. Videtur fuisse conjugium hoc simile illi, quod hodie vocatur Matrimonium Conscientiæ.

## SYLLOGISMUS II.

Vera Christi Ecclesia debet esse sancta in suorum membrorum vita & moribus.

Sed Lutherana non est sancta in suorum membrorum vita & moribus.

Ergo Lutherana non est vera Christi Ecclesia.

### Major probatur

11. 1. Ex Scriptura. *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem honorum operum.* Tit. 2. v. 14. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret &c. ut sit sancta & immaculata.* Eph. 5. v. 26. 27. *Omnis arbor bonos fructus facit. A fructibus eorum cognoscetis eos.* Mat. 7. v. 16. *Vos autem genus electum, Regale Sacerdotium, gens Sancta.* 1. Petri 2.

v. 9. Idem insinuant illæ parabola, in quibus Ecclesia comparatur saganæ pisces bonos & malos congreganti, & area triticum & paleas (hoc est, homines sanctos, & peccatores) asservanti. Ergo in Ecclesia Christi semper debent esse homines sancti, saltem aliqui.

2. Ex efficacia doctrinæ. Non enim doctrina sancta, quam habere debet Ecclesia Christi, potest esse sine fructu; id enim intendit Christus per suam doctrinam, per consilia Evangelica, per suas adhortationes ad sui sequelam, ad sectandam perfectionem, sanctitatem vitæ, charismata meliora &c. ut sal-

saltem aliqui, exemplum Christi proximius imitantes, excellentiorem sanctitatem adipiscerentur; spectatque ad providentiam Christi, ut semen suae doctrinae afferat fructum, trigefimum, sexagesimum, vel etiam centesimum. *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum.* dicit Deus Isa. 54.

3. Ex confessione propria Lutheranorum, juxta quos Ecclesia ex essentia sua est congregatio *Sanctorum*, ita ut peccatores non sint membra illius vera, sed solum admixti in externa societate. Ceterum pro certo supponendum hic est, quod vera sanctitas & perfectio Evangelica non consistat in sola fide, sed in hac, & simul in actibus aliarum virtutum, praesertim charitatis erga Deum, & proximum; qui enim non diligit, manet in morte, 1. Jo. 3. Et si quis fidem omnem haberet, ita ut montes transferreret, charitatem autem non haberet, nihil ipsi prodesset. 1. Cor. 13. Praeterea insignem sanctitatem, in diligenti imitatione Christi consistentem, nunquam obrinet, qui solum observat praecipua, nisi etiam sequatur consilia Christi, actus virtutum arduos exerceat, se ipsum fortiter vincat, passionem animi domet, pura in omnibus ducatur intentione &c. Haec enim omnia Christus in suo Evangelio vel praecipit vel suavit: utique autem non frustra praecipit, nec frustra suavit; ita ut non semper habeat aliquos saltem, apud quos fructificent ejusmodi mandata & consilia.

4. A posteriori, cum experientia  
*R. P. Pichler Theol. Polemica.*

constet, & ex factis hystorijis, in vera Ecclesia utriusque Testamenti existisse viros eximia, imò & prodigiosa sanctitatis, uti erant Patriarchae in Lege Naturae; Prophetae ac alij in Lege Scripta; Apostoli, Episcopi, Patres, Doctores, Martyres, Virgines, Ordinum sacrorum Fundatores &c. in Lege Gratiae: ergo signum est, quod Providentia Divina in vera Religione semper florere velit sanctitatem in vita ac moribus proflus conspicuam, & coram mundo illustrem, ut inde glorificetur & magis colatur Deus, juxta illud: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est.* Mat. 5. v. 16.

Notandum hic est, sanctitatem in vita & moribus fidelium, juxta doctrinam suae Religionis viventium, etiam se sola esse notam verae Ecclesiae, non modò negativam, sed etiam affirmativam, si de illa sufficienter constet, uti constare potest attentis diligenter circumstantijs, praesertim si accedat communis persuasio hominum, vel etiam miracula, vaticinia &c.

Dices. Sanctitas est interna & invisibilis: ergo non potest esse nota Ecclesiae verae. R. Licet vera sanctitas consistat praecipue in actibus voluntatis internis, ea tamen sufficienter dignoscitur per opera pia & sancta, tanquam bona radix ex bonis fructibus, vel sicut anima hominis fit sensibilis ac exterior cognoscitur per discursus & operationes racionales. Per operationes igitur externas virtutum, sine quibus nec

LI darur

datur sanctitas interna, sit ista sufficienter sensibilis, adeoque interna per sanctitatem externam.

Urgebis. Opera externa sunt communia hominibus bonis & malis, & saepe nos decipiunt, suntque non raro re ipsa hypocrisis, qui nobis videntur sancti: ergo sanctitas vitae & morum non potest esse nota verae Ecclesiae. R. T. A. nam diu non potest simulari sanctitas coram attentis & curiosis observatoribus. N. C. vel D. C. ergo sanctitas vitae singulorum hominum in particulari & seorsim non est nota verae Ecclesiae. T. C. Sanctitas vitae omnium, qui in aliquo certu habentur pro sanctis. N. C. Licet forte in quolibet particulari homine possimus falli circa ejus sanctitatem veram, non tamen possimus falli circa sanctitatem totius collectionis; Deus enim non potest permittere, ut non aliqui saltem (licet nobis determinate & in individuo non cogniti) sint veri sancti ex fidelibus; qui enim alias Ecclesia possit dici *Sancta*, uti tamen dicitur in Symbolo Apostolico, si nulla ejus membra essent vere sancta? Vera igitur fides, licet in singulis possit dari absolute sine sanctitate, non potest tamen dari in omnibus simul sumptis sine sanctitate tam interna quam externa.

*Minor constat*

1. A posteriori: cum nullus unquam fuerit habitus pro sancto ab Orbe Christiano, qui Lutheranismum professus est, non minus, ac nullus pro sancto est habitus, qui Arianam, Pelagianam,

Anabaptisticam, vel aliam haeresim secutus est. Neque ullus fecit miraculum vel unicum, cum tamen Deus semper solitus sit sanctos & dilectos servos suos multis magnisque prodigijs facere conspicuos coram Mundo in contestationem sanctitatis eorum. Unde apud Germanos natum est verus illud proverbium: *Man glaubt an keinen Heiligen / er thue dann Wunder, Zeichen.* Ostendant Lutherani & nominent nobis vel unicum suae sectae addictum, qui fecerit miraculum verum, qui ab Orbe Christiano fuerit habitus pro Sancto &c.

Confirmatur 1. Si aliquis fuisset insigniter & vere sanctus apud Lutheranos, tunc utique fuisset Martinus Lutherus eorum protopater & Reformator: sed iste certe non fuit; is enim, cum reformare aggressus est Ecclesiam, ac inducere Lutheranismum, fuit homo votifragus, Deo & superioribus suis rebellis, perfidus Apostata, sacrilegas nuptias post emillum castitatis perpetuae votum contrahens cum Moniali pariter jam Deo devota, atque in hoc sacrilego connubio permansit usque ad finem vitae. Item fuit homo blasphemus in Deum & Sanctos, superbus & arrogans, ebriosus belluo, obscenus & trivialis scurra, maledicentissimus in quosvis sibi adversantes, etiam Principes tam Ecclesiasticos quam Politicos, familiaris diaboli discipulus, audax Bibliorum & Symboli Apostolici corruptor &c. Vide *meum Examen Polemicum August. Conf. art. 2.* Major inde suadet, quia utique decet, ut primus, qui reformat, sit insigniter sanctus, ceteri enim hunc sequuntur.

Si

Si igitur Reformator non est sanctus, nec ceteri esse possunt.

Confirmatur 2. ex propria confessione Adversariorum, qui non tantum nullum insigniter sanctum ex nova doctrina enatum referunt, sed potius de suorum perverſitate multum conqueruntur. Lutherus in Poſtilla Domest. Dom. 1. Adv. Videmus (ait) quod hoc tempore (Reformationis Lutheranae) homines sint multo peiores, crudeliores, tenaciores, libidinosiores, quam antea unquam in Papatu fuerunt. In Praef. ad Poſtillam Eccles. Noſtrorum plerosque septiceps ille diabolus invaſit, & deteriores effecit, quam in Papatu fuerunt. Andreas Musculus celeberrimus Praeco Dom. 1. Adv. Cum nobis Lutheranis hoc tempore ita agitur, ut, si quis videre velit ingentem turbam nebulonum, hominum turbulentorum, fallacium, impostorum, ſenorum, civitatem aliquam adeat, in qua Evangelium pure (id est, Lutheranice) predicatur, caſervatim sales ibi reperiet &c. apud quos homines omnis virtus & honestas penitus extincta est &c. omnia diabolo ſrena laxa &c. Similem confessionem publicam de ſuis Lutheranis faciunt Melancthon ad c. 6. Mat. Jo. Brentius ad c. 3. Mat. Jacobus Andreæ conc. 4. ad c. 21. Luca, Wigandus & alij apud Coccium to. 2. l. 8. art. 12. Jam sic argumentor. Si tanta perverſitas Lutheranorum exiſtitit ſtatim primis Reformationis temporibus, ubi communiter ſolet eſſe major fervor & pietas, quid poſterioribus annis evenerit? Unde non mirum, quod inter Calviniſtas, dum genio indulgere volebant, dicatur

R. P. Pichler Theol. Polemic.

invaluisse hoc proverbium: *Hodie Lutheranice vivamus.* Nec ægè ferre poſſunt, quod de ipſis ſcripſit P. Vitus Ebermann in ſuis Trophæis troph. 1. c. 8: ipſe, ait, qui per 23. annos cum Lutheranis vixi, tantum non jurare auſim, me neminem unum, qui cum iis perſeveraverit, viſſe, de quo probabiliter judicare potuerim, eum eſſe Spiritualem, Spiritu DEI agi, quærere, que *ÆSU* Chriſti, non autem, que ſua ſunt. Ejuſmodi homo in catu Lutheranorum eſt rara avis, alioque ſimillima corvo.

2. A priori; talia enim principia habent Lutheranæ, ut nullus poſſit eſſe sanctus. Nam ad ſanctitatem 1. requiritur obſervatio mandatorum Dei, in qua conſiſtit dilectio Dei, ad ſalutem neceſſaria: *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me.* Jo. 14. v. 21. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Mat. 19. v. 17. Sed Lutheranis eſt impoſſibile obſervare mandata Dei. 2. Immunitas à peccatis, ſaltem mortalibus; *Odio enim ſunt Deo impius & impietas ejus.* Sap. 14. v. 9. Sed Lutheranæ in omnibus operibus peccant, etiam bonis, cum ſemper agant contra Legem Dei, ad tam perfectum ſervitium ipſos obligantem, quam perfectum eis eſt impoſſibile; & quidem peccant mortaliter, cum nullum peccatum ex natura ſua veniale admittant. Adde, quod in ipſis uſque ad mortem perduret peccatum originale, omnesque motus concupiſcentiæ, etiam involuntarij, ſint peccati moſi mortaliter. 3. Requiritur exercitium bonorum operum, & variarum virtutum, præſer-

L 2

tin

tim Charitatis, sine quibus fides est mortua, nihilque prodest, ut fatentur: Sed apud Lutheranos nulla dantur bona opera coram Deo, imò omnia opera sunt peccaminosa, atque eo ipso ingrata Deo, nulla spiritualia, aut in potestate hominis constituta. 4. Macerationes & castigationes corporis voluntariè suscepta. v. g. Jejunia, flagella, humilationes, sibi subtrahere voluptates etiam licitas, refranare cupiditates & passiones animi &c. uti semper fecisse Sanctos constat, & Paulus ipse docuit: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.* Gal. 5. v. 24. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* 1. Cor. 9. *Mortificate corpora vestra,* Coloss. 3. v. 5. Sed Lutherani opera penitentiae, castigationes, & mortificationes corporis cane pejùs & angue oderunt, imò rident in Catholicis. 5. Sequi consilia Christi; nam sanctitas vera consistit præcipuè in eo, ut faciamus secundum voluntatem, beneplacitum, & cor Dei: voluntas autem Dei bona, beneplacens, & perfecta utique sunt mandata ejus & consilia: consequenter verè & insigniter sanctus est, qui cum gratia Divina non tantum observat mandata, sed etiam consilia Christi; is enim adipiscitur sanctitatem perfectam, seu Evangelicam perfectionem juxta illud: *Si vis perfectus esse, vade, vende, quae habes, & da pauperibus; & veni, & sequere me.* Mat. 19. v. 21. *Omnis, qui reliquerit domum, vel Fratres, aut Sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut Uxorem, aut Filios, aut agros propter nomen meum, centuplum acci-*

*piet, & vitam aeternam possidebit.* v. 29. Sed Lutherani non tantum non sequuntur hæc & similia Christi consilia, sed etiam contemnunt ac rident in Catholicis, præsertim Religiosis. Ostendant nobis vel unicum, qui per totum tempus, quo viger Lutheranismus, amore perfectionis Christianæ & Evangelicæ domum, agros, parentes, uxorem, liberos reliquerit, qui spreta ampla hæreditate, stemmatis nobilitate &c. spes & res tantas præcisè ideo deseruerit, ut Christum arctius imitaretur pauperem pauper &c. ac ad perfectionem Evangelicam eluctaretur, quantas res & spes quot annis, & non ita pridem hic Augustæ, reliquerunt, & relinquunt Catholici utriusque sexûs in summo etiam flore ætatis, valetudinis &c. Ergo apud Lutheranos nec sunt, nec esse possunt veri & eximie sancti homines.

Ob. 1. Quamvis opera bona, si spectentur secundum rigorem Legis & Justitiæ Divinæ, ea exigentis, semper sint aliquo modo peccaminosa, tamen propter Christum ex Misericordia Dei acceptantur, & verè credentibus non imputantur ut peccaminosa. 2. Licet bona opera aliquid imperfecti & peccaminosi in se habeant, tamen non sunt peccata, nisi in ijs ponatur fiducia, quasi possemus per ea aliquid mereri. 3. Quamvis Lutherani propter permanentiam peccati originalis, & propter peccata actualia sint peccatores & immundi, tamen propter fidem in Christum non imputantur ista peccata renatis.

R. ad 1. Quod peccaminosum est & contra legem Dei, non potest accepta-



ri à Misericordia Dei ut bonum, *Deo enim odio sunt impius & impietas ejus;* vel igitur Misericordia Dei debet facere, ut opera bona non sint peccaminosa, non ponendo legem, cui adferentur, vel debet odire, non acceptare, sed imputare in peccatum. 2. Implicare videtur in terminis *opus bonum peccaminosum.* 3. Lutherani nunquam possunt ponere conditionem necessario requisitam ad hoc, ut opus peccaminosum, vel peccatum aliquod ipsis non imputetur; hæc enim conditio est *verè credere:* verè credere est mandatum Dei, quod à Lutheranis non potest perfecte impleri, consequenter peccant etiam credendo; quomodo ergo per & propter fidem, tanquam per actum peccaminosum, potest ipsis imputari iustitia Christi, & non imputari peccatum? 4. Fides vera in Christum non est, nihique valet juxta modernos Lutheranos sine dilectione Dei. *Pomer in seiner Saur-Bruppen: Cur p. 395.* nunquam autem possunt diligere Deum tantum, quantum juxta ipsos præcipitur in primo præcepto Decalogi sub pena inferni: ergo. 5. Præter fidem & dilectionem requiritur etiam penitentia, seu dolor de peccato commisso. *Saur-Bruppen: Cur p. 270.* sed juxta principia Lutheranorum nemo potest ita dolere, ut non magis teneatur dolere sub peccato: ergo quis dolendo, & volendo delere peccatum peccat. Qualis hæc sanctitas? 6. Peccatores, sedus baptisimi violantes, quod ferè semper fit apud ipsos, æquiparantur non-renatis; non-renati non possunt

verè credere: ergo. 7. Actus inter-nus fidei & alij actus spirituales non sunt liberi Lutheranis: ergo non est in eorum potestate ponere conditionem, sine qua non fiunt justii. 8. Denique per se absurdum est, Deum videre peccatum in homine, illud tamen non imputare; quomodo enim Dei mundissimis oculis placere possunt tanquam dilecti amici, qui sunt peccato maculati, tanquam leprâ infecti, tanquam caractere diaboli insigniti &c.? *Le-prosus non fit mundus per hoc, quòd pulchro pallio ejus tegantur sordes, et si tu velis ipsum reputare pro mundo; sic neque peccatores fiunt justii, amici, filij Dei, nec Ecclesia munda, sancta, & immaculata, non habens maculam aut rugam.* Eph. 5. per hoc, quòd iustitiâ Christi ipsi imputatâ tegantur peccata, vel quòd fideles reputentur justii & sancti. Ferè sicut non potest reputari sapiens per sapientiam alterius, qui in se stultus est, ac intrinsecâ caret sapientiâ.

Ad 2. Lutherani utique non ponunt fiduciam in suis bonis operibus, & tamen juxta ipsos peccaminosa sunt, ita ut Lutherus in Serm. de novo Test. seu de Missâ pronuntiaverit: *Caveamus à peccatis, sed maxime ab operibus bonis & legibus.* Item in serm. de Bapt. *Quanto sceleratior es, tanto citius Deus suam gratiam infundit. Si adornes te, ut catus, bonis operibus, ut re Deus acceptet, nihil efficies.* Deinde cur opera bona fiant peccata, si aliqua fiducia ponatur in bonis operibus; cum Christus adeptorem iustitiæ &

salutis alligaverit certis operibus bonis & observationi mandatorum Dei? Nemo potest firmam & certam fiduciam ponere in meritis Christi, nisi ex sua parte ponat opera, sine quibus non est promissa iustitia & salus, nempe fidem, timorem Domini, penitentiam, dilectionem Dei, Deus enim *promisit coronam vite diligentibus se.* Jo. 1. v. 12. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* 1. Jo. 3. Non igitur ex sola fide de factis promissionibus, sed etiam ex bonis operibus nascitur fiducia & spes firma: aliàs non est fiducia, sed praesumptio. Principalis quidem causa nostrae salutis est Dei misericordia & merita Christi, secundaria autem, & conditio *sine qua non*, sunt bona opera. Ad 3. patet ex dictis ad 1.

16. Ob. 2. Etiam Lutherani habent suos Sanctos, nimirum 1. Infantes baptizatos. 2. S. Petrum, S. Paulum, & ceteros Apostolos. 3. Illos, qui vitam probam & honestam ducunt, quales invenire est plurimos inter Lutheranos. 4. Martyres, qui pro Confessione Augustana graves cruciatus, imò & mortem perpessi sunt. 5. Lutherum, & eius vestigia legentes. Lomeus praeter eos, per quos tum in Antiquo, tum in Novo Testamento paravit Deus prodigia, nullum nominat, dicens, eos, quos posset adducere, tantum fore videndos. Haud dubie intellexit Lutherum &c.

R. N. assertum. Ad 1. dico, infantes non habere fidem actualem, per quam tamen juxta Adversarios apprehenditur Christi iustitia, & homo ju-

stificatur & salvatur. Deinde hic est sermo de sanctitate morum: infantes autem nec bene nec male possunt esse morati. Praeterea quare Lutherani hos infantes tribuunt potius suae Ecclesiae, quam Calvinistae? Imò infantes baptizati spectant ad Ecclesiam Romano-Catholicam, sicut ipse Baptismus, quem Lutherani habent mutuum à Catholicis. Ad 2. Quo fundamento Lutherani sibi tribuunt potius S. Petrum, & alios Apostolos, quam Catholici, apud quos in longe maiore veneratione sunt quam apud Lutheranos? An non hos ipsos pro sua secta potuissent eodem jure adducere Ariani, Pelagiani &c. olim, & nunc Calvinistae &c.? Quare non etiam Lutheranos sanctos fuisse dicunt, vel quo jure dicerent, Abraham, Isaac, Jacob, imò & Adamum? Deinde Sancti debent reperiri in Ecclesia omnibus saeculis; nominare igitur oportet eos post tempora Apostolorum, qui ab Orbe Christiano fuerint habiti pro Sanctis, & tamen crediderint in omnibus, ut Lutherani. Praeterea quomodo S. Jacobum, qui in terminis contradicit fundamentali articulo Lutheranorum, asserens, *hominem justificari ex operibus, & non ex fide tantum.* c. 2. v. 24. possunt numerare inter sanctos Lutheranos? Idem faciunt S. Petrus & S. Paulus, quorum ille ait: *Charitas operit multitudinem peccatorum.* ep. 1. c. 4. v. 8. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis; haec enim facientes non peccabitis.* epist. 2. c. 1. v. 10. Et Paulus: *Si habueris omnem fidem, charitatem*

*ritatem autem non habuero, nihil sum.*

1. Cor 13. v. 2. Ad 3. Vel isti, qui ducunt exterius vitam probam & honestam, etiam interius sunt boni, & errore invincibili circa fidem laborantes? tunc boni sunt quidem, non tamen ex ductu sui Evangelij Lutherani, sed ex bonitate suæ Indolis, ad honestatem pronæ, aut ex bona educatione, aut ex instinctu rationis, & isti spectant insuper re ipsa ad veram Christi Ecclesiam, nempe Romano - Catholicam, non ad erroneam, scilicet Lutheranam. Vel laborant ignorantia vincibili, aut alijs peccatis sunt interius fadati? & isti utique non sunt sancti, cum hæresis formalis sit inter gravissima flagitia. Deinde sorte non admodum multi ex adultis Lutheranis sunt verè & moraliter boni interius, seu ab omni peccato mortali liberi, etiam si invincibiliter putent se esse in vera fide, sed sunt sæpe sepulchra dealbata, sicut etiam sæpe solent esse Ethnici & Gentiles, qui multas virtutes morales exercent v. g. misericordiam erga pauperes, mansuetudinem &c. Præterea etiam si sint verè moraliter boni, & in gratia sanctificante constituti propter Baptismum, & earentiam omnis peccati mortalis delibentari; non tamen habent splendorem sanctitatis & perfectionis Christianæ; de hujusmodi autem Sanctis, in gradu excellenti, hæc nobis est sermo. Ad 4. Qui propter Augustana Confessionis fidem sustinuerunt tormenta aut mortem ipsam, non magis sunt Martyres quàm rebellis subditus, aut miles transfuga, qui mortè mulcatur; quia pariter fuerunt rebelles Matri Ecclesiæ,

& illius perfidi desertores, sine sufficienti causâ, sine probato errore in fide, in quem vera Christi Ecclesia nunquam prolabi potest. *Non pœna Martyrem facit; sed causa*, dixit S. Aug. Conc. 2. in Pl. 34. Causa igitur, pro qua passi sunt, mala fuit; ideo non Christi, sed diaboli Martyres exstiterunt. Adde, quòd isti Martyres Lutherani plerumque etiam passi sunt propter alia gravissima crimina, & non præcisè propter fidem suam, nimirum quia fuerunt simul perturbatores quietis Politicæ, homines blasphemæ, sacrilegi &c. Ad 5. Pro Luthero æquè potuisset nominari Judas Iscariotes aut Julianus Apostata, horumque assecla. Unde rectè fecit Lomerus, silentio suppressens suos Sanctos, rideri metuens, si nominaret.

Nunquam igitur habuerunt sanctos Lutherani, nec modò habent; atque ex horum defectu rectè infertur etiam defectus doctrinæ sanctæ; si enim doctrina esset sancta, etiam aliquos saltem homines efficeret sanctos, juxta ea, quæ dicta sunt in probatione *Majoris* n. 11. Proinde Ecclesia Lutherana non est *sancta*, nec in doctrina nec in moribus, cum tamen veram Christi Ecclesiam *sanctam* esse debere fateantur nobiscum in Symbolo Apostolico.

*An Ecclesia Romana sit sancta in moribus & vita suorum membrorum?*

R. semper fuit. Probat 1. ex Annualibus Ecclesiasticis, Martyrologijs,

& alij libris Historicis, in quibus describuntur vitæ sanctissimorum hominum utriusque sexus, non modo insigni innocentia, pietate, virtutum studio, sed etiam miraculis splendentium; & quidem per singula sæcula à temporibus Apostolorum usque ad tempus modernum. Legentibus occurrunt SS. Patres, Ecclesiæ Doctores, summi Pontifices, uti S. Clemens, S. Dionysius Areop. S. Ignatius & S. Cypr. MM. S. Hieron. S. Ambros. S. August. S. Basilus, S. Leo, S. Gregorius &c. Occurrunt Martyres innumeri, & ultra 11. milliones, qui summa alacritate inter gravissimos cruciatus omnia cum vita & sanguine profuderunt pro fide Ecclesiæ Romanæ, uti S. Laurentius, S. Sebastianus, S. Georgius S. Vitus &c. Occurrunt propè infiniti SS. Confessores, ac inter hos multi Episcopi, & Fundatores Ordinum, uti S. Henricus, S. Udalricus, S. Benedictus, S. Bernardus, S. Dominicus, S. Franciscus &c. cum plurimis eorum filijs, Placido, Roberto, Antonio Patavino, Vincentio Ferrerio &c. Occurrunt Virgines plurimæ, uti S. Agnes, S. Catharina Alexandrina, & Senensis, S. Gertrudis &c. Ex iisdem constat, viros sanctissimos fuisse, qui prædicarunt fidem Ecclesiæ Romanæ, eamque in varias provincias introduxerunt, uti S. Lucius D. Pauli Discipulus, qui prædicavit primus Ratisbonæ in Bavaria circiter anno 61. S. Marcus ejusdem D. Pauli Discipulus Passavij anno 70. S. Maternus D. Petri Discipulus Treviris anno 95. SS. Quirinus & Maximilianus in Austria anno Christi 291. S.

Narcissus Augustæ anno 307. S. Rupertus in Bavaria anno 535. SS. Kilianus & Burchardus Herbipoli anno 687. S. Willibaldus Eustadij, & S. Bonifacius in Thuringia ac reliquæ Germaniæ partibus circa annum 746.

Confirmatur ex Annalibus recentioribus hominum memoriæ haud multum supergressis, ex quibus constat sanctitas extraordinaria ac toti mundo notissima virorum, qui vixerunt tempore Lutheri & post Lutherum in Ecclesiâ Romana, quod est evidens indicium, in Ecclesiâ Romana adhuc vigere integram, veram, & incorruptam fidem Christi, utpote extra quam nulla datur vera & tam prodigiosa sanctitas. Tales autem fuerunt S. Pius V. Papa, S. Carolus Borromæus Cardinalis, S. Thomas de Villanova Archiepiscopus, S. Franciscus Salesius, & S. Andreas Corsinus Episcopi, S. Ignatius, S. Philippus Neri, S. Petrus Nolasco, S. Joannes Dei, & S. Cajetanus, cum S. Theresia, Fundatores Ordinum, S. Franciscus Xaverius, S. Ludovicus Beltram, S. Petrus de Alcantara, S. Franciscus Borgia, B. Franc. Solanus, B. Stanislaus Kostka, B. Aloysius Gonzaga &c. Confessores & Religiosi, S. Maria Magdalena de Pazzis, S. Rosa Lima, Virgines Religiosæ. Taceo alios plurimos, famâ sanctitatis & miraculis conspicuos, pro quorum sanctificatione jam formati sunt Processus. Unicus Dominicus à JESU MARIA Ord. Carmel. Discalce. qui per plures annos in nostra Germaniâ versatus, cum Duce Baviaræ Maximiliano castra secutus, & post victoriam contra Fridericum Palati-

latinum & Sectarios haud procul Pragâ prodigiôsè obrentam Viennæ mortuus est. Ille unicus, inquam, sufficeret ad confundendos omnes Sectarios, & veram sanctitatem tum Ecclesiæ Romanæ tum suam satis supèrque probandam, cum tota ejus vita ferè nil fuerit nisi continuum & concatenatum miraculum.

Probatur 2. ex constanti, communi, & certissima fama, uti & ex vulgatis Calendarijs, ex quibus nemini non constat, plurimos in Ecclesiâ Romana reperi, quos totus Christianus Orbis habet, & semper habuit pro veris sanctis. Quòd autem isti fuerint membra Ecclesiæ Romanæ, patet evidenter 1. ex libris, quos isti sancti elucubrârunt. 2. Ex factis, quæ ediderunt, uti erant cultus & invocatio B. Virginis MARIE aliorumque Sanctorum, Jejunium Quadragesimale, adoratio Eucharistiæ Sacrificium Missæ, preces pro Defunctis, castigationes acerbæ corporis, usus Sacramentorum Confirmationis, Extremæ Unctionis &c. 3. Ex votis Religiosis, quia multi fuerunt Monachi, Abbates, aut alij Religiosi. 4. Ex subjectione erga Pontificem Romanum. 5. Ex officijs, quæ obierunt ex demanatione Pontificis Romani. 6. Ex zelo, quo prædicârunt & propagârunt fidem Romanæ Ecclesiæ. 7. Ex devotione erga arces & loca sacra. 8. Ex reverentia, quam exhibebant SS. imaginibus &c. 9. Ex communi persuasione hominum.

18. Probatur 3. ex confessione Adversariorum. Lutherus in epist. de Anabapt. ad duos Parochos rotundè fate-

*R. P. Pichler Theol. Polemica,*

tur, *sub Papatu esse nucleum Christianismi, & multos pios, magnosque sanctos.* In epistolam ad Gal. c. 5. ait: *Admiratur mundus sanctitatem Benedicti, Gregorij, Bernardi, Francisci, & similium; quia audit, eos magnifica in speciem, & insolita quadam opera fecisse.* Melancthon in Apol. Aug. Conf. tit. de votis Monasticis Bernardum, Franciscum, aliosque Monachos vocat *Sanctos.*

Quanti æstiment Lutherani sanctitatem Ecclesiæ Romanæ, patet etiam ex eo, quòd plurimi, doctrinâ, nobilitate, aliisque dotibus eximij, instante mortis periculo (ubi vel maxime solemus eligere ea, quæ judicamus meliora, Deo magis grata, nostraque saluti magis proficua) ad Ecclesiâ Romanam transierint, inter quos meritò nominari debet Joannes Elector Saxonie, qui fuit primus ex Principibus antea Lutheri sectator, in agone tamen iterum respuit, & Catholico ritu ultima Sacramenta recepit, ut authenticè constat ex Confess. & Anti-Confess. August. Card. Kollonit. Alij, etiam valentes adhuc, unius amore salutis, & perfectionis Christianæ, ad Romanam Ecclesiâ redierunt relictis parentibus, amicis, opibus, honoratis officijs &c. Et vix est Princeps aliqua familia, quæ elapsò sæculo non unum aut plures Catholicis submisserit. Exempla recentia coram oculis habemus Regem Augustum, Saxonie Electorem, Reginam Hispaniæ, Ducem Wolfenbitelianum &c. Econtra non memini, ullum ex Catholicis Principibus post illam primam generalem defectionem,

*Mus*

*ia*

in summis rerum perturbationibus factam, relicta Ecclesia Romanâ ad Lutheranam defecisse. Item non memini, de ullo me legisse vel audisse, qui instante propinqua morte deseruisset Ecclesiam Romanam, liberè desciscens ad Lutheranos, ut tutius veniret ad cælum. Rursus non memini, neque credo, vel unicum, rerum peritum, ex Catholicis amplexum esse fidem Lutheranam, ut hac via vitam duceret sanctiorem, facilius assequeretur perfectionem Christianam, & salutem aeternam. Sed qui deficiunt à nobis ad Sectarios, vel sunt mali Sacerdotes & Religiosi apostata, vel pauperes, quorum illos petulantia carnis, istos penuria panis trahit in ruinam: aut sunt homines feclerati, leves, venales, desperati, quos vel timor iusti supplicij, vel spes lucri, promotionis, gratiæ Principum &c. præcipites agit.

Audiamus adhuc alios duos ex Adversarijs Recentioribus, clarissimum testimonium pro sanctitate Sacerdotis Catholici & quidem Jesuitæ, nimirum S. Francisci Xaverij deponentes. Philippus Baldeus in Historia Judica (III der warhafften und ausführlichen Beschreibung der berühmten Ost-Indischen Küsten anno 1672. Amstelodami impressa c. 13. p. 76.) de eo ita pronuntiat: *Si Xaverius fuisset nostra Religionis, etiam apud nos ut alter Paulus cum veritate esset estimandus, & volendus, velut alter Sanctus Paulus. Quamquam autem Religionis fuerit à nostra diversa, aio, bonos omnes ejus zelo, vigilantia cura, & morum sanctitate excitari debere ad cau-*

*vendam in faciendo Dei opère negligentiam -- Si considero patientiam & lenitatem, qua magnis juxta ac infimis sanctos virosque Evangelij latices propinavit &c. cogor exclamare: quis in mirabilibus istis similis illi? -- Utinam, cum talis tantusque existeris, esses, aut fuisses nostra Religionis! Altius adhuc attollit Tavernierius, vir, dempta Religione, omni ex parte egregius (Recueil de plusieurs relations & traités singuliers & curieux) more Catholici ita loquens: *Sanctus Franciscus Xaverius hoc in loco vitam cum Missionis finivit, fide Christiana, quacunque transisset, mirifico cum progressu stabilitâ, non solum suo Zelo, sed & vita exemplo morumque sanctitate -- Doctrinam Christianam propagatam fuisse studio & curâ sancti hujus viri, quem rectè Sanctum Paulum, & verum Indiarum Apostolum nominare possis.**

Notentur in his elogijs verba Sanctus Xaverius, alter Sanctus Paulus, ejus morum sanctitate, vite exemplo, sancti hujus viri, in Mirabilibus, sanctos Evangelij latices, verum Apostolum: *utinam esses vel fuisses nostra Religionis! Si Xaverius fuit sanctus, morum integritate, & Apostolicis virtutibus ornatus, si verus Apostolus propagavit fidem Christianam, puros Evangelij incorrupti latices propinans, mirabilia patrans, alter Sanctus Paulus &c. ut vel Adversarij rei veritate convicti fateri debent: quid est, quod quis dubitet, num in Ecclesia Romano-Catholica sint veri Sancti, & doctrina illius tota sit vera, pura, sancta, Evangelica, Apo-*

Apostolica? Edicite, quis prudens suspicari possit (neciam asserere) Romano-Catholicos esse impios Idololatrias, supersticiosos, in Deum & Christum injuriosos, dum offerunt Sacrificium Altaris pro vivis & defunctis, dum adorant Christum in Eucharistia, dum formant signum Crucis in fronte, dum adhibent aquam lustralem, dum se Deo nuncupatis voluntariè votis obstringunt, dum invocant Deiparam, dum à Summo Pontifice Indulgentias petunt, dum fidem solam ad salutem sufficere prædicant &c. ? Hæc enim omnia & singula prædicavit & fecit Franciscus Xaverius, Catholicus, Sacerdos, Religiosus, Jesuita, quem vosmetipsi non potestis non proclamare *Sanctum, verum Apostolum, alterum S. Paulum, morum sanctitate conspicuum, vite exemplo illustrem, mirabilium patratorem, sanctos Evangelij latrices propinquentem.*

19. Ob. 1. In Ecclesia Romana semper reperire fuit homines plurimos valde sceleratos, & reperiuntur etiamnum: ergo nec fuit nec est sancta sanctitate morum in suis memb. is. Ant. prob. 1. plurimi fuerunt scelerati Pontifices. 2. Cardinales, Episcopi, Clerici, Religiosi. 3. Qui fuerunt boni, subinde facti sunt pessimi: ergo hominum Sanctitas, utpote instabilis, non potest esse nota, Ecclesiam Romanam esse veram. R. 1. T. A. N. C. Modò semper aliqui existant boni & sancti in aliqua Ecclesia, jam datur nota veræ Ecclesiæ. Propter aliquos sanctos jam potest Ecclesia dici *sancta* per Synecdochen, scilicet propter partem, eamque nobilitat.

R. P. Pichler Theol. Polemica.

rem. R. 2. Dist. Ant. ita tamen, ut semper fuerint, & adhuc sint plurimi sancti & justi. Transf. Ant. ita ut nulli, vel non nisi paucissimi existerint sancti & justi. N. A. Nimis lyneei sunt Sectarij in observandis peccatis Catholicorum, cum tamen longè plura invenire possent inter suos, nisi sponte cæcutire vellent. Ad 1. Pontifices scelerati non fuerint plurimi, sed respectu tanti numeri, & tantæ eminentiæ, paucissimi. Cur dissimulant, quòd ferè tertia pars Pontificum Romanorum publice annumerata sit Sanctis? Ad 2. non distemur, in agro Ecclesiæ sæpius fuisse zizania, etiam inter Clericos & Religiosos, præsertim tempore Apostasiæ Lutheranæ; inter pessimos autem corypheus exstitit Lutherus, & Calvinus, ille quidem inter Religiosos, iste inter Sacerdotes, uterque dux non ovium Christi, sed malè oleantium hædorum sui similibus. Ad 3. N. Conf. Non enim sanctitas alicujus personæ singularis, de qua utique certitudinem non habemus, utrum vera sit vel ficta &c. sed sanctitas plurium alicujus certis, & constans per omnes ætates saltem in quibusdam, nota est veræ Ecclesiæ.

Ob. 2. Catholici, imò etiam Romani Pontifices in suis urbibus erigunt Lupanaria: ergo nulla est sanctitas morum apud Catholicos. R. D. A. erigunt Lupanaria, vel potiùs erigi permittunt ac tolerant ad cavenda majora mala, nempe adulteria, incestus, aliasque peiores libidines. T. A. probant & approbant. N. A. Ubi omnia mala impediri nequeunt, recte permittuntur

Mm 2

mi

minora ( non probantur ) ut evitentur  
majora. In Ecclesia Romana, si omnes  
viverent juxta directionem illius, om-  
nes forent boni & sancti; si igitur abu-

sus ac scelera itrepant, per accidens est,  
non secundum doctrinam & leges Ec-  
clesiæ, quæ semper carpit & punit vi-  
tia, nunquam docet aut approbat.

### SYLLOGISMUS III.

Vera Christi Ecclesia debet esse conspicua miraculis.

Sed Lutherana non est conspicua miraculis.

Ergo Lutherana non est vera Christi Ecclesia.

21. Sciendum 1. Geminam sanctitatem  
tam doctrinæ quam morum opti-  
mè confirmari miraculis; quia hæc sunt  
quasi Sigillum Dei infallibiliter aliquid  
attestantis. Siquidem verum miracu-  
lum non nisi Divina virtute fieri potest;  
proinde si in confirmationem alicujus  
Religionis, vel hominis sancti, videa-  
mus contingere miraculum, evidens  
signum ac nota est, ejusmodi Religio-  
nem esse veram, vel hominem esse ve-  
rè sanctum; cum evidenter repugnet,  
Deum testari falsum. Miraculum igitur  
vel unicum, si de eo constaret evi-  
denter, evidenter probaret, Religio-  
nem, in cujus contestationem factum  
fuisset, esse veram: si verò constet so-  
lum moraliter & evidenti credibilitate  
de illo, saltem probat, ejusmodi Reli-  
gionem esse evidenter credibilem, &  
quidem tanquam nota affirmativa.  
Quod verò miracula sint etiam nota  
negativa, ita ut vera Ecclesia esse non  
possit, quæ miraculis caret, probabi-  
mus postea probando *Majorem Syllo-  
gismi* facti.

22. Sc. 2. Miraculum accipi tripliciter.

1. Latè pro omni effectu raro & mira-

bili, cujus causa non statim apparet,  
licet causa sit naturalis vel artificialis;  
& hæc vocantur miracula naturæ, mi-  
racula artis; suntque potius *mirabilia*,  
quàm verè *miracula*. 2. Strictius  
pro extraordinario Dei opere, licet non  
absolute vires totius naturæ superante,  
sive dein id faciat Deus solus, sive cum  
aliqua creatura: cujusmodi miraculum  
erat loquens asina Balzam, aut curatio-  
nes prodigiose quorundam morborum  
in organis nondum destructis &c. proba-  
biliter enim aliquis Angelus jussu Dei  
movit linguam asinæ in voces articula-  
tas, sicut dæmon movit os serpentis,  
ut loqueretur Evæ: sic Angeli, vel Sancti,  
ex speciali beneficio Dei possunt appli-  
cando occultè pharmaca curare morbos  
aliquos &c. 3. Propriè & strictissime  
pro opere supernaturali, omnium  
creaturarum vires & exigentias superan-  
te, ita ut à solo Deo fieri possit, sive  
quoad substantiam operis, sive quoad  
modum & circumstantias, in quibus  
opus fit. Cujusmodi miracula, & o-  
pera quoad substantiam supernatura-  
lia sunt vera resuscitatio mortuorum,  
illuminatio cæcorum, curatio claudu-  
rum,



rum, ut fatetur Gerardus ipse de Eccl. n. 247. item penetratio duorum corporum, replicatio, retrocessio solis, glorificatio corporis humani, predictio futurorum & donum prophetiae &c. Opera quoad modum supernaturalia essent v. g. productio rosae in hyeme, curatio febris sine ullo pharmaco adhibito &c. licet enim naturae vires non transceudar produceret rosam absolute, aut vires artis pellere febrim, transcendit tamen in his circumstantiis, in quibus causae naturales & creatae nihil possunt, sed vel solus Deus, vel saltem influxu speciali operari debet divina virtute.

23. Sc. 3. Miraculum in prima acceptione non servit ad probandam veritatem Religionis, miraculum vero in tertia acceptione, utpote opus & testimonium Dei, fallere impotentis, certissime sufficere ad probandam veram Ecclesiam. De miraculo autem in secunda acceptione aliquos dubitare, an sufficiat ad probandam veram Religionem, vel aliam rem. Mihi indubitatum est, ejusmodi miracula secunda classis apta esse ad aliquid probandum, in cuius nempe testificationem fiunt, cum talia miracula fuerint multa exiis, quibus suam Divinitatem Christus, & suam Missionem Propheta, aut viti Sancti & Apostolici veram fidem comprobarent, uti fuerunt evocatio ignis de caelo facta ab Elia. 3. Reg. 28. illa vox de nube resonans: *Hic est Filius meus dilectus*: Mat. 3. &c. Verum in his miraculis debet bene attendi, ne fraus diaboli, cum ejus vires absolute non transcendat, interveniat. Ut

autem verum miraculum à fraudibus diaboli, praestigijs, illusionibus sensuum, verbo, à falso miraculo secure, & saltem morali certitudine discerni possit.

Sc. 4. Verum miraculum à falso sufficienter discerni posse, si praevia oratione ad Deum ac ex intentione sincera considerentur haec quatuor 1. Opus ipsum quoad materiam & formam. 2. Operans. 3. Operandi modus. 4. Finis operis. Si enim *Materia*, ad cuius confirmationem miraculum putatur esse factum, sit vana, inutilis, curiosa, impia, aut aperte falsa, S. Scriptura, Traditionibus, Patribus, miraculis alijs manifestis, aut lumini naturali repugnans, merito censetur esse fraus & opus daemonis. Si *forma* non sit legitima, nimirum si opus ipsum nec supernaturale quoad substantiam aut modum, nec aliud Dei opus extraordinarium esse, ex circumstantiis deprehendatur. Si *operans* sit homo sceleratus; quamvis enim donum patrandi miracula sit gratia gratis data. 1. Cor. 13. non necessario supponens charitatem & statum gratiae, atque conferri possit etiam peccatoribus, imò & infidelibus, uti concessum est donum prophetiae gentilibus Sybillis; ordinariè tamen Deus operari miracula consuevit per homines bonos & sanctos. Si *operandi modus* sit superstitiosus v. g. Si adhibeantur ineptae ac superfluae ceremoniae, si res fiat clam, coram paucis testibus, usque exiguae fidei &c. merito suspectum redditur miraculum. Praesertim si *finis operis*, vel operantis sit malus, v. g. si ex superbia, avaritia,

aut alio pravo affectu fiat opus insolitum ad obtinendum magnum nomen, divitias, voluptates carnales &c. His casibus certè miraculum non est, sed fraus & dolus hominum, aut ludibrium & præstigiæ diabolicæ.

Quòd si verò intendatur gloria Dei, veritas fidei, aut alius finis sanctus. Si res agatur publicè, sine ineptis ceremonijs & nugis. Si operans credatur esse homo probus vel sanctus. Si opus ipsum deprehendatur prorsus extraordinarium, specialem, vel etiam solius Dei influxum requirens. Si denique materia, in cuius contestationem fit, sit digna testimonio divino speciali; omnino & certò judicandum est, esse verum miraculum, præsertim si accèdat examen & iudicium hominum proborum & prudentum, vel etiam Episcoporum, sine quorum approbatione noluit Trident. Concilium nova miracula promulgari; quantumvis hoc decretum ex praxi limitandum sit ad publicas conciones & libros.

25. Sc. 5. Lutheranos, aliòsque Sectarios, cùm omnibus omnino veris miraculis destituti sint, negare, miracula esse notam veræ Ecclesiæ, ac insuper asserere, primùm ex Scriptura colligendum, quòdnam miraculum sit verum, quòdque falsum; adeòque non veritatem Doctrinæ & Ecclesiæ ex miraculis, sed miraculorum veritatem ex doctrina desumendam esse. Quod planè est hysteron proteron, & falsissimum. 1. Quia Christus non iussit Judæos ex Scriptura examinare, utrum miracula vera essent, quæ patravit, sed eos abrogavit ad sua miracula, atque sic non

miraculorum veritatem ex doctrina sua, sed doctrinæ veritatem probavit ex miraculis. 2. Quia, dum Apostoli converterunt Gentes per miracula, non poterant eas ablegare ad Scripturam, ut ex hac examinarent eorum miracula, cùm nullam Scripturam antecedenter agnoverint; sed ex miraculis credibilem faciebant ipsis doctrinam suam, & Scripturam ipsam. 3. Quia miracula sunt effectus veræ Ecclesiæ, veræ fidei, veræ Scripturæ: ergo potius hæc per illa, non illa per hæc probari debent. 4. Quia miracula sunt per se magis nota, quàm Scriptura & doctrina, atque propter excellentiam & insolitum splendorem suum per se satis quemlibet convincunt, & palam faciunt, quòd sint opera à Deo facta, qui testari falsum non potest. Tam apertè se non prodit Scriptura S. aut vera doctrina. Id tamen concedo, si aliunde jam satis constet de vera Ecclesiæ, vera doctrinæ, vera Scripturæ, miraculorum veritatem per illius approbationem validè confirmari. Adeòque non soli Turcæ ac Mahumetani omnem miraculis vim adimunt, ac antiqui hæretici, Ariani, Eunomiani &c. omnia tribuentes Scripturis à Deo dictatis (quas tamen à Deo dictatas esse probare nequeunt) sed etiam moderni Sectarij, miracula ridentes, quibus carent, solà Scripturâ contenti. Contra hos jam

*Maior Syllogismi probatur*

1. Ex Scripturâ S. utriusque Testamenti, ex qua constat, in Ecclesiâ vera semper viguisse donum miraculorum, 26.

tum ad ipsam doctrinam hominibus persuadendam, tum ad fidem faciendam ijs, quos Deus vel ad mores reformandos, uti Prophetas, vel ad introducendam novam doctrinam, uti Christum & Apostolos, modo extraordinario misit. Audiatur aliqui textus. Cum Moyses mitteretur à Deo ad populum Israël ex Aegypto liberandum, is autem tergiversaretur, dicens: *Non credent mihi, neque audient vocem meam* &c. non respondit Deus: debent credere, velint nolint, sed dedit ipsi potestatem faciendi miracula, nempe baculum suum vertendi in colubrum, & vicissim, manum in sinum positam inficiendi leprâ, & iterum repurgandi, aquam fluminis transmutandi in sanguinem &c. Exodi 4. Neque Christus ipse voluit credi sibi, aut Apostolis, nisi facerent miracula. *Opera, que ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite.* Jo. 10. v. 25. 37. 38. Rabbi, scimus, quia à Deo venisti Magister: nemo enim potest hæc signa facere, que tu facis, nisi fueris Deus cum eo, dixit Nicodemus Jo. 3. v. 2. *Convocatis autem duodecim Apostolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia demonia, & ut languores curarent.* Luca 9. v. 1. Eandem potestatem dedit Christus septuaginta Discipulis, dicens: *In quamcunque civitatem intraveritis &c. curate infirmos, & dicite illis: appropinquavit in vos Regnum Dei.* Luc. 10. v. 9. Amen amen

*dico vobis, qui credit in me, opera, que ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.* Jo. 14. v. 12. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo demonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes rollent &c.* Marc. 16. v. 17. *Illi autem profecti predicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermone confirmante sequentibus signis v. ult.*

Confirmatur ex PP. Tertull. l. de præscript. advers. heret. *Si alium Deus predicatis, ait ad hæreticos, cur eiusdem rebus & litteris utimini, contra quem predicatis? si eundem predicatis, quomodo aliter? alioqui probate vos novos Apostolos: dicite, Christum iterum descendisse, & dedisse vobis virtutem eadem signa edendi, qua edidit ipse.* S. August. l. de utilit. credendi c. 16. docet, quod illa sit habenda pro vera Ecclesia, quam *Miraculis confirmatam omnium Gentium assensus profiteretur.* Et in l. contra epist. Fundam. c. 4. ait: *Multi sunt, que in Ecclesie gremio iustissime teneant &c. tenet auctoritas miraculis inchoata.* Vide plures in Papatu Catholico P. Kelleri.

2. Ex ratione. Vera miracula sunt vox & testimonium Dei: ergo illa Ecclesia est vera, pro cuius dogmatis fiunt miracula: ergo miracula sunt nota certissima vera Ecclesie, & omnium illustrissima: atqui non est credibile, quod Deus Ecclesiam suam, ad quam amplectendam cunctis obligat, privare voluerit notâ certissimâ, illustrissimâ: ergo. Hic observa, quod miracula, etsi subinde directe fiant ad gloriam ali-

alicujus *Sau* illustranda, indirectè etiam suam confirmat & clarè ostendunt veram Ecclesiam; est enim impossibile, ut aliquis falsæ Religionis cultor sit verè sanctus; *nam justus ex fide vivit, & sine fide impossibile est placere Deo*, Hebr. 11.

Confirmatur tum ex constanti experientia, vi cujus semper aliqua miracula patravit Deus in vera Ecclesia, nimirum Romana, ut postea dicitur, tum ex conversione plurimarum Gentium, quæ solis ferè miraculis ad fidem perductæ sunt.

27. Ob. 1. Miracula non sunt propria Ecclesiæ veræ, sed etiam communia falsis sectis: ergo non sunt nota genuina veræ Ecclesiæ. Ant. prob. 1. Vespasianus Ethnicus sanavit claudum & cæcum, item Balaam, & Sybilla prædixerunt futura. 2. Idem legitur de hæreticis Montanistis. 3. De Albigenibus verò, quod inceserint supra mare. 4. Magi Ægyptiorum coram Pharaone fecerunt opera similia, quæ fecit Moyses. Exod. 7. v. 8. aquam mutando in sanguinem, virgam vertendo in serpentem &c. 5. Adventus Antichristi erit in virtute & signis, teste Paulo 2. Thess. 2.

R. N. Ant. vel Dist. Non sunt propria veræ Ecclesiæ, hoc est, non necessariò & semper sunt ab hominibus sanctis, & veræ Ecclesiæ membris. C. Ant. hoc est, non sunt certissimum signum, illam Ecclesiam esse veram, in cujus confirmationem fiunt, N. A. & Conf. In probationibus, quæ afferantur, non sunt vera, sed falsa miracula, illusiones seu sensuum, præstigia &c. quod constat

partim ex ipsa Scriptura S. uti de miraculis Magorum Ægyptiorum, & Antichristi, partim ex accurata inspectione juxta ea, quæ diximus Sciendo 4. partim quia aliunde constat evidenter, gentiles & hæreticos habere dogmata falsa & impia, consequenter falsam Religionem: in testificationem autem rei falsæ non potest fieri miraculum verum. Quando igitur aliquid est apertè falsum, tunc miraculū, quod videtur contigisse in ejus testimonium, est evidenter spurium & præcisè apparens. Adde, quod miracula gentilium vel hæreticorum possint contingere ad veræ fidei dogmata confirmanda. Sic Sybillarum vaticinia erant in testimonium futuri Messie: vel etiam in commendationem Virginitatis, quæ colebatur à Sybillis & Vestalibus: vel insuper in testificationem Divinæ Providentiæ, ut Gentes ex ejusmodi signis supernaturalibus cognoscerent, Deum esse Auctorem supernaturalium, atque ideo fide supernaturali & cultu honorandum, ac supernaturalem remunerationem sperandam. Vespasianus non sanavit cæcum & claudum, in quibus organum naturale erat destructum, sed istud vel infidebatur à dæmone in eum finem, ut videretur sanari, cum dæmon desineret nocere: vel solum erat impeditum, & naturali medicina reparabile, quam occultè adhibere potuit diabolus. Simile quid dicendum ad miracula hæreticorum. De quibus insuper advertè, hæreticorum miracula, licet conflictata tantum, & præstigia sint, tamen esse admodum rara, ne scilicet aliqua apud imperitos concilietur falsis sectis

aucto:

auſtoritas. Cæterum ad Providentiã Dei ſpectat impedire, ne in confirmationem falſa ſectæ fiat prodigium tale, cujus falſitas deprehendi non poſſit: ipſeque teneretur facere aliud verum & majus miraculum ad conſutandum ſpurium, ſi alio modo ab hominibus dignoſci nequirit; ne ſcilicet à Deo inducantur in errorem, eum ipſis evidens ſit, miracula vera eſſe vocem Dei infinitè veracis.

28. Ob. 2. Miracula nec ſunt neceſſaria ad probandam veram fidem, vel extraordinariam miſſionem, nec ſunt utilia: ergo illis poteſt carere vera Eccleſia. Ant. prob. 1. Multi crediderunt, & adhuc credunt, licet nullum viderint miraculum: ergo. 2. S. Jo. Bapt. nullum fecit miraculum, & tamen fuit extraordinariè miſſus à Deo. 3. Dæmones ſeiverunt Chriſti miracula, & tamen ejuſ Divinitatem non crediderunt. 4. Qui non credit Scripturæ S. neque miraculis credit juxta illud Chriſti. Luc. 16. *Si Moysen & Prophetas non audiant, neque, ſiquis ex mortuis reſurrexerit, credent.* 5. Multi dicent mihi in illa die: *Nonne in nomine tuo prophetavimus &c.* Mat. 7. Et tamen dicit ipſis Chriſtus: *Non novi vos.* 6. S. Aug. dicit, Donatiſtis non eſſe credendum, eſti ſacerent miracula. Et l. de unit. Eccl. ait: *Quæcumque talia in Catholica ſunt, ideo ſunt approbanda, quia in Catholica ſunt: non ideo ipſa manifeſtatur Eccleſia, quia hæc in ea ſunt.*

R. Licet miracula non abſolutè ſint neceſſaria, cum Deus potuiſſet alio modo ſufficienſter credibilem reddere & cognoſcibilem veram Eccleſiam; tamen ipſi deſactò p acuit ijs uti ad faciendam

R. P. Pichler Theol. Polemica.

fidem myſterijs revelatis, & ideo ſaltem ſunt valde utilia, imò quandoque moraliter neceſſaria. Et hinc N. Ant. Ad probationem 1. Quamvis multi non viderint per ſe miracula, tamen audiunt cum tanta veritatis apparentia, ut prudenter negare nequeant, miracula in confirmationem certorum myſteriorum & ſuæ fidei facta eſſe. Ad 2. ſit, quòd S. Jo. Bapt. nullum fecerit miraculum ipſe, tamen miraculoſa fuit ejuſ conceptio, & nativitas, ita ut præ admiratione dicerent: *Quis, putas, puer iſte erit?* ergo miraculis teſtatum fecit Deus, quòd S. Jo. Baptiſtam extraordinariè miſerit. Deinde tam mirabilem ac inuſitatam ſanctitatis vitam duxit in deſerto, ut ea inſtar plurimum miraculorum fuerit, ita ut Chriſtus ipſe de illa teſtimonium perhiberet, dicens: *Non ſurrexiſſe majorem Joanne Baptiſta, eumque plus eſſe quam Prophetam.* Præterea S. Jo. Bapt. non prædicavit aliter, quam alij Prophetæ, ſed tantum alio tempore, nempe Chriſtum præſentem monſtrans, quem alij futurum annuntiabant. Nihil horum reperire eſt in Novatoribus, qui ſe Reformatores jaſtitant. Cur autem S. Jo. Bapt. non fecerit ipſe miracula, in cauſa fortè eſt, ne Judæi viſâ inſolitâ ejuſ ſanctitate haberent ipſum pro Meſſia, ſi accendiſſent miracula. Ad 3. Licet dæmones ſeiverint miracula Chriſti, dubitarunt tamen, utrùm Chriſtus ſit verus Deus, ſeu an ſit Filius Dei naturalis, vel adoptivus tantum. Ad 4. N. aſſertum. Chriſti dictum ſolum pertinet ad illos articulos, qui clarè ſunt expreſſi in Scriptura, & hos, ſi aliquis neget, qui ta-

Nn

men

men admittit Scripturam. S. neque mortuis credit. Ad 5. Esto quod etiam improbi possint absolute patrare miracula, non tamen possunt ad sanctitatem propriam, sed ad veram fidem confirmandam. Ad 6. S. August. locutus est de quibusdam occultis revelationibus, quas se habere dicebant Donatista, non tamen probabant. In altero insinuat, quod Ecclesia non probeatur seu *manifestetur* certo & evidenter per miracula; non tamen negavit, quod per ea fiat evidenter credibilis.

29. Ob. 3. Miracula solum erant necessaria pro primis Ecclesiae temporibus. *Signa enim dantur infidelibus, non fidelibus*: ergo saltem nunc non amplius probari potest veritas Ecclesiae ex miraculis. Neque nunc sunt miracula. Quamvis in rigore non forent necessaria miracula in ijs locis, ubi fides & Religio vera jam altas acquisivit radices; his enim possent sufficere alia motiva credibilitatis, praesertim fama certa de miraculis jam olim factis ab ijs, qui primitus hanc fidem praedicarunt & plantarunt. Nihilominus tamen tantus est amor Christi erga suam Ecclesiam, ut eam constanter ornamento miraculorum conspicuam reddat, & sicut miraculis introducere voluit, ita iisdem non cesset eam nutrire & conservare. Et hinc, licet non tantis ac tam copiosis Ecclesia propagata coruscare soleat prodigijs, quot & quantis fundanda fuit primitus, semper tamen aliqua in illa fieri consueverunt; illaque Ecclesia merito praesertur ceteris, in qua splendet miraculorum gloria. Deinde totus mundus est *infidelis* respectu

cujuscunque sectae & Religionis determinatae: ergo semper opus est miraculis, ut discernatur vera à falsis; cum nunquam desint infideles, qui possint converti. Sic respectu Religionis Lutheranae totus mundus est infidelis, quia est de novo introducta, vel (ut ipsi dicunt) post longissimam multorum saeculorum intermissionem restaurata apud mundum infidelem, cum ante Lutherum nemo unquam (vel saltem per plurima saecula, ut ipsi fatentur) ita crediderit in omnibus: ergo in Ecclesia Lutherana miracula fuissent, & adhuc essent necessaria; alia recte rejicitur, imò rejici debet. Imò hodie oportet subinde fieri miracula, tum ut languentes in fide excitentur & firmentur, tum quia Paulus 1. Cor. 12. Ecclesiam dixit esse corpus mysticum, cujus membra varijs donis, etiam miraculorum, nonnulla essent instructa.

*Minor est certa*

1. Ex defectu probationis; cum neque ex hystorijs, neque ex fama constet de ullo miraculo, à Lutheranis in confirmationem suae doctrinae facto. Lutherus ne museam quidem, non dicam hominem mortuum, excitare potuit, ejusque aieclae nec canem claudum sanare. Tentavit quidem Lutherus diabolum ex puella obsessa ejicere, sed non sine propria vitae periculo, in summas angustias à diabolo reductus, ut refert Staphylus in absoluta Responsi. contra Jac. Smidelinum p. 404. oculus testis, apud Coccium hic.

2. Ex confessione propria haud obscu-

seura; cum nunquam velint deveniri ad miracula, ut inde sua Sectæ veritatem probent, vel missionem specialem Lutheri ad prædicandum aliter, quam antea prædicatum erat in Ecclesia Christi.

31. Dicunt 1. Qui proponit doctrinam antiquam, jam sufficienter probatam miraculis Christi & Apostolorum, non opus habet miraculis novis: Sed Lutherani proponunt doctrinam antiquam, quæ jam olim miraculis Christi & Apostolorum fuit satis probata: ergo. R. 1. N. Ma. Ubi enim talis doctrina non amplius exstat ( uti doctrinam antiquam Christi & Apostolorum in toto mundo non amplius existisse volunt Lutherani per multa sæcula ante Lutherum ) iisdem eget adminiculis, ut agnoscat esse divina, & illa ipsa, quæ olim fuit miraculis confirmata, quibus olim eguit. Deinde Religio in ijs locis, ubi non est propagata & recepta, iisdem adminiculis indiget, ut recipiatur, quam doctrina de novo & primitus tradita: sed doctrina Lutherana in plerisque locis totius mundi non est propagata satis: ergo. R. 2. N. Mi. Ratio negandi patet ex dictis de nota Antiquitatis. R. 3. Hoc seutum servare & applicari posse eodem jure ab omnibus hæreticis, ac dici, se asserre doctrinam antiquam, jam satis firmatam miraculis Christi & Apostolorum.

32. Dicunt 2. Nec Ecclesia Lutherana destituta est miraculis; quid enim fuit aliud illa mirabilis propagatio doctrinæ Lutheri, nisi summum miraculum? Potentissimi Principes, Ecclesiastici &

R. P. Pichler Theol. Polemica.

Politici, testabantur pauperi Monacho, nec omnibus suis viribus impedire potuerunt cursum Evangelij, quò minus in plurimis provincijs reciperetur doctrina Lutheri. R. N. assertum. Si doctrina Lutheri fuisset aspera, si nova jejunia, abstinentias uxorum, flagellationes & asperitates alias, si voluptatum, divitiarum, & rerum omnium humanarum contemptum præcepisset vel suavisset, & tamen instar magnetis pertraxisset homines, & à vitijs ad excellens virtutis studium permovisset, speciem miraculi haberet. At verò cum Lutherus contraria omnia docuerit, & quidquid asperum, factique difficile est, removerit, sola fide contentus, cum jejunia, carnis mortificationes, castitatis aliarumque virtutum studium eliminaverit, distinctam peccatorum confessionem abrogaverit, aliæque sensualitati & vicijs hominum cupiditatis valde grata docuerit, nihil sanè *supernaturale*, sed potius multa *infra-naturale* ( ut ita loquar ) in hac Lutherani Evangelij propagatione reperitur, præeunte lascivorum & superbiorum Sacerdotum ac Religiosorum turba, qui præcones agebant, & trahente quosque magis sceleribus addictos, aut ignorantia tenebris magis excæcatos. Quid, quæso, miraculi est, si homo ad malum proclivis obvijs ulnis amplectatur carni tam amica dogmata, quæ pane dormientibus cælum pollicentur? quid mirum, si delicati mortales tam mellitam admittant doctrinam? quid miraculi, si homo remotis frenis cõsinatur currere, quò eum trahit vitiosa natura? Certè non majus

Na 2

hoc

hoc est miraculum, quàm saxa cadere deorsum, si obex removetur.

*An Ecclesia Romana sit conspicua Miraculis?*

33. R. Plurimis & maximis. Probat

1. ex fama communi & constanti, ex qua constat, non tantùm olim patrata fuisse in Ecclesia Romana, sed etiam hodiè patrari miracula, variæque beneficia conferri divinitus, præsertim per invocationem Sanctorum, applicationem Reliquiarum, cultum SS. imaginum, Missæ Sacrificium &c. quæ quidem prodigia eò magis confundunt Lutheranos, ac Ecclesiam Romanam confirmant, quia fiunt circa articulos fidei inter Catholicam & Lutheranam Ecclesiam controversos.

Probat 2. Ex historia, præsertim Ecclesiastica, atque ex Scriptoribus maxime auctoritatis, nempe Athanasio, Hieronymo, Augustino, Ambrosio, Gregorio, Theodoro, Eusebio Cesariensi, Sozomene, Rufino, Nicephoro, Simeone Metaphraste, Gregorio Turonensi, & mille alijs, quibus omnibus præfractè negare fidem summa pervicacia ac stultitia est, imò gravissima injuria tantorum virorum, qui vel mendacij, vel levitatis in credendo arguerentur, si ipsis negaretur fides. Quæso, ex quo fundamento Adversarij rejicere possunt testimonia gravissimorum virorum, quos ipsimet subinde in alijs materijs contra nos adducunt? quomodo suspectos habere, qui scripserunt ante Lutherum, adeoque Lutheranis non insens? quomodo negare si-

dem prudenter ijs, quibus tot sæcula indubitanter crediderunt? an Neotericis certiora sunt ea, quæ contigerunt olim, quàm ijs, qui illis temporibus vixerunt? Nempe dira necessitas ad hæc extrema cogit miseros Lutheranos; si enim fateantur, in Ecclesia Romana, & quidem circa articulos cum sua secta controversos, fieri & facta esse miracula, manifestè se ipsos damnarent, nec possent divortium facere ab Ecclesia Romana.

Percurramus breviter singula sæcula, & tum ex memoratis Scriptoribus, tum ex alijs, uti Coccio to. 1. l. 8. art. 13. Tannero p. 2. Anat. demonstr. 9. Fournero in Palma Triumph. Kellero in Patu Catholico à f. 487. in quibus plurima alia legere est ostendamus, in Ecclesia Romana semper viguisse donum miraculorum, consequenter veram fidem, juxta Christi promissionem & prophetiam: *Qui credit in me, opera, que ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.* Jo. 14. v. 12. adductò unò vel alterò tantum prodigiò in singulis.

In I. Sæculo miraculis claruerunt Apostoli, eorumque discipuli in universum orbem missi. In II. S. Dionysius Areopagita, pro fide Christi capite plexus, abscissum è cervice caput proprijs excepit manibus, & aliquandiu incedens portavit. In III. Gregorius Neocæsar. solo verbo aut manu uti tactu ægros curavit, sola oratione montem loco motum aliò transtulit &c. qui propter assidua miracula etiam nomen *Thaumaturgi* obtinuit. In IV. Per Paphnutium Abbatem & Eremitam, teste Rufino, non minis multa & mira signa virtute divina patrata sunt, quam



quàm olim per Apostolos ; nam solo verbo dæmones profligavit , cæcis visum , ægris sanitatem reddidit &c. S. Hilarius signo crucis formidabilem serpentem turmam fugavit , mortuum vitam donavit. S. Martinus tres excitavit mortuos , & post mortem tormiraculis inclatuit , ut eorum integros libros conscripserit Greg. Turon. In V. S. Patritius Hiberniæ Apostolus illuminavit cæcos , audire fecit surdos , suscitavit novem mortuos , & alia prorsus mirabilia edidit opera ad doctrinam , quam prædicabat , Ecclesiæ Romanæ propagandam. S. Remigius signo crucis restinxit incendium , curavit dæmoniacum , excitavit mortuum , & precibus impetravit sacrum Chrisma &c. In VI. S. Benedictus Abbas signo crucis confregit vas , in quo ei venenum erat paratum , futura prædixit , mortuum suscitavit. S. Augustinus Anglorum Apostolus , à Papa Gregorio M. illuc missus , cæcis visum , infirmis sanitatem restituit , aliisque miraculis coruscum suam , tum Ecclesiæ , cuius prædicabat doctrinam , sanctitatem comprobavit. Et huc usque miracula , uti & veram fidem , in Ecclesia Romana viguisse , haud ægrè plures fatentur Lutherani cum suo Magistro. Sed manus Domini non est abbreviata : nec postiora sæcula minus feracia fuere miraculorum quàm priora. Quippe

In VII. Sæculo S. Greg. M. qui clausit sæculum præcedens , fuit vir multorum prodigiorum , ac Petrus Diaconus saepe in ejus capite Spiritum S. in specie columbæ conspexit. Florentius Episc. Argentinensis , Dagoberti Fran-

corum Regis Filiam , à nativitate cæcam illuminavit &c. In VIII. S. Swibertus in carcerem conjectus ab Angelo liberatus est : cæcos illuminavit : paralyti & alijs morbis agrotantes sanavit , vitam defunctos resuscitavit &c. In IX. In translatione Reliquiarum SS. Petri & Marcellini cæcis visus , claudis incessus , surdis auditus , mutis sermo , ægris sanitas restituta est. Similia patravit S. Rembertus Hamburg. Episc. qui Suecos & Danos ad fidem Christi perduxit. In X. S. Udalricus Episc. Augustanus varijs morbis , præsertim comitialibus & epilepticis , laborantes persanavit , & glires usque in hodiernum diem ex sua diocesi proscripsit. In XI. S. Henricus Bavariæ Dux , postea Imperator à Papa Benedicto coronatus , & à D. Wolfgango educatus , cum paucis millibus pugnans contra 300000. Hunnos , Sclavos , Dacos , aliisque infideles , vidit Angelum Domini cum SS. MM. Laurentio & Adriano omnia hostium tela in ipsosmet Antagonistas retorquere , itaque suos tutari , ut nec unus caderet , aut fauciaretur , hostibus interneccione delictis. S. Cunegundis ejus Uxor & Virgo perpetua in adulterij suspicionem conjecta in signum innocentiae tredècim candentes yomeres illæsis vestigijs calcavit. In XII. S. Otto Episc. Bamberg. prædicans in Pomerania fidem Christi cursum rapidissimi fluminis oratione stitit , dæmones pepulit , in carceribus , item in mari periclitantibus forma corporali adhuc vivens apparuit , eosque liberavit , cum ejus opem ad Deum expeterent. S. Bernardus mu-

ros, claudos, aridos, febricitantes maximo numero sanavit. Item prædicans Verbum Dei & fidem Ecclesiæ Romanæ contra hæreticos Henricianos, qui realem Corporis Christi præsentiam in Eucharistia negabant, & Transsubstantiationem, Missæ Sacrificium, orationem pro defunctis, Invocationem Sanctorum (ut nunc Lutherani) inficiabantur, contra hos, inquam, prædicans D. Bernardus elevata manu & signo crucis multos panes in nomine Dei benedixit, dicens ad confertum populum: *In hoc sciatis, vera esse, quæ à nobis, falsa, quæ ab hæreticis, suadentur; si i firmi vestri gustatis panibus istis adepti fuerint sospitatem.* Postmodum tanta multitudo languentium gustato eo pane convalevit, ut per totam provinciam verbum hoc divulgaretur, & vir sanctus, per vicina loca regrediens, ob intolerabiles concursus declinaverit ab ijs. In XIII. duo Patriarchæ Ordinumque Institutores, S. Dominicus & S. Franciscus, tot miraculis insigniti erant à Deo, ut uterque sæculi sui miraculum, totâ vitâ, existisse merito dicatur. Illum fecit Deus suscitatore plurium mortuorum, huic impressit Christus quinque vulnerum stigmata &c. In XIV. S. Rochus innumeros epidimica peste laborantes sola sanctæ Crucis impressione curavit. S. Catharina Senensis Matrem suam, quæ sine confessione decesserat, ad vitam revocavit precibus, aliâque admiranda fecit. In XV. in quo natus est infelix Luther, S. Bernardus Senensis Græcæ ad Græcos conversionatus & intellectus est, licet eam

linguam non didicerit, per aquas siccis pedibus ambulavit, noxios imbres coërcuit &c. S. Antonius parum olei & mellis instar Eliæ multiplicavit, & præter aliamira & magna hominem defunctum revocavit ad vitam.

In XVI. in quo Euslebiensis Propheeta longè aliam doctrinam prædicans, quàm Ecclesiæ Romanæ cultores, nullum prorsus miraculum edere potuit, isti verò innumeris claruerunt in utroque Orbe. S. Franc. de Paula prunas ardentes illas portavit manibus, exanimis non paucos ad vitam reduxit. S. Ignatius Loyola Divinis visitationibus recreatus sæpe, aliquando in extasi mentis per octiduum jacuit, Divinæ patientis & cognoscens, alicujus ex focijs animam in Angelorum comitatu vidit cælum ingredi, Christum sibi apparentem habuit in via, & protectionem sui Ordinis promittentem audivit. S. Franciscus Xaverius tot ac tanta miracula tam ante quàm post mortem patravit, & quotidie patrat, ut iniri numerus nequeat: pestem fugavit, in pluribus locis simul exstitit, 25. mortuos suscitavit, arcana cordium inspexit, futura prædixit, absentia cognovit, ejus corpus post mortem durat incorruptum & integrum &c. Percipe unicum miraculum paulò distinctius, quod utique omnem virtutem creatam transcendit, & primæ classis est. Coulani, quæ urbs est maritima haud procul à Comorino, in regno Travancoris, prædicabat Evangelium Xaverius, & cum quidam pertinaciter resisterent agnitæ veritati, agens de illorum conversione cum Deo preces & lacrymas fudit: postmodum

spe plenus iussit pridie jam sepultum exhumari, & Barbaris rei expectatione suspensis, in genua provolutus post brevem precationem ad defunctum se convertit exclamans: *precipio, ut in nomine DEI vivi ad Religionis, quam predico, certam & indubitam fidem faciendam surgas.* Ad hanc vocem mortuus vivus & valens, nullius adminiculo, de terra se attollit. Erupit omnium una vox: *Magnus Christianorum DEUS: vera Lex, quam docet Magnus Pater.* Exin Baptismum certatim petunt & impetrant. Bouhours in vita S. Fr. Xav. à f. 156. Latine reddita. Notent Adversarij verba: *ad Religionis, quam predico &c.* Xaverius autem predicavit Religionem Romano-Catholicam, non Lutheranam, Calvinianam &c. & in ejus confirmationem Deus fecit manifestum miraculum, suscitando mortuum, consequenter testatus est, Fidem & Religionem Romano-Catholicam esse veram Deoque placentem.

Hec & alia S. Xaverij miracula adeo erant splendida, ut clara veritatis lux non tantum Gentiles ad Ecclesiam Romanam permoverit amplectendam, sed etiam sectariorum & hareticorum oculos non leviter perstrinxerit, atque confessionem tantarum rerum expresserit; unde Robertus Hakluit Anglicanus Præco ita scribere coactus est: *Pius ille Confessor, & solers Indorum instructor, Franciscus Xaverius, post multos exantlatos labores, post injurias, calamitates magno animo superatas, omnibus benedictionibus spiritualibus plenus obiit anno 1552. postquam multa*

*hominum millia ad fidem Christi perduxisset; de hoc viro, virtutibus ejus, & mirabilibus vim omnem Naturæ excedentibus, omnes recentes Indorum historie testantur.* Acoſta & Bouhours in vita Xav. Neque cessat Sanctus ille patrare mira in hodiernum usque diem; primum ante 10. annos in parva civitate Sabaudia la Roche (ad Rupem) dicta haud procul Geneva unius ex Patribus nostris per anulum, tactu digiti S. Xaverij sacratum, tot ac tam diversi generis miracula edidit, ut similia (excepta mortuorum resurrectione) à temporibus Apostolorum vix audita fuerint, cum ingenti admiratione finitimarum nationum. Taceo Barzaos, Anchieta, Ludov. Bertrandos, Martinos Valentinis, Aloysios, Stanislaos, & alios quam plurimos, stupendis prodigijs hoc ipso saculo claros. In XVII. S. Franc. Salesius pro concione dicens radioſo fulgore micuit, sub exhortatione in extasim raptus est &c. Dominicus à JESU MARIA ferè perpetuum fuit miraculum per totam vitam, raptus & extases fuerunt ipsi propè quotidianæ, corpore elevatus à terra videbatur sapius, dum orabat, futura prænovit &c. Similia passim legere potes in vitis Antonij Ruiz de Montoya, Jacobi Martinez, Ludovici de Ponte, Marina de Escobar &c. In XVIII. nuper inchoato, hinc inde in varijs mundi partibus, præsertim in Indijs, ubi convertuntur Gentiles, Deum per homines in hac vita existentes complura jam patrasse & adhuc patrate miracula, quæ nobis nondum cognita sunt, mihi indubitatum est ex usu

&

& stylo Dei consueto hucusque, continuis miraculis Ecclesiam Romanam per omnia secula illustrantis & amplificantis. Quod autem quotidie operetur vel in hostijs sacris miraculosè immutatis, ejusmodi asseratur hic Augustæ jam per 500. annos ad S. Crucem, vel per reliquias sacras, præcipuè S. Crucis, vel per imagines pias Crucifixi, qualis est in vicinia nostra Biberbachij, vel per statuas & imagines Sanctorum præsertim B. V. uti Laureti, Oettingæ Veteris, in Eremito, Cella &c. per Sacrificia Missæ &c. facile intelliget, qui ejusmodi pia loca adire, suspensa anathemata attendere, memorantes accepta beneficia audire, juratis testibus confecta desuper documenta publica perlegere volet. Ubi specialiter notandum venit, quod plurima miracula hæcenus contigerint, & hodie dum contingant circa res & mysteria inter Catholicos & Lutheranos controversa v. g. circa Sacrificium Missæ, circa Transsubstantiationem, circa suffragium pro Defunctis, circa adorationem Christi in Eucharistia, circa cultum Reliquiarum, venerationem imaginum, invocationem Sanctorum, circa Sacramenta Confirmationis, Confessionis, Extremæ Unctionis, Ordinis, circa aquam lustralem, ceram benedictam &c. Vide Fornerum in Palma Triumph. l. 1. c. 24. & seqq.

34. Ob. 1. Miracula Catholicorum sunt tantùm figmenta, præstigia, aniles fabulæ: ergo. 2. Sepe videntur esse opera ludicra. R. ad 1. N. A. Est enim evidenter incredibile, quod ex tot ac tantis miraculis, inter varias Gentes diverso loco, & tempore patrata, saltem

non aliqua sint vera; quis enim prudens tantæ est pervicaciæ, ut fident denegat viris summx aliàs auctoritatis, Hieronymo, Gregorio, Augustino, Palladio, Bernardo &c. qui talia scripserunt? Quis eos omnes arguat mendacij aut simplicitatis? Quis communem & constantem famam tam levitet contemnat? Quis Dei prodigiola beneficia evidenter expertos & publicè deprædicantes damnet fraudis in re tanti momenti, & quidem in tanto numero? An non est contra rationem, & manifesta calumniandi libido, præfractè tot ac tanta testimonia negare? An non inverecundæ est frontis pernegare ea, quæ sæpius coram ingenti hominum multitudine facta sunt? An non Judæi & Gentiles, & antiqui hæretici pari jure contempsissent, negassent, & adhuc negare possent miracula Christi, Apostolorum, & primorum Martyrum, ac dicere, fuisse figmenta, præstigia, effectus naturales? Unde patet etiam ad 2. & 3. Circa ultimum addo, si quædam miracula, quæ in speciem videntur vilia & quasi ludicra, ideo suspecta sint Lutheranis, legant Scripturam de asino loquente & conquerente contra Balaam, de Gedeonis lagenis & hydrijs contractis, de Samsonis vulpibus, de maxilla asini, de septem criminibus Samsonis à Dalila rasis &c. Cæterùm non diffitemur, aliqua ex ijs, quæ à plebe habentur subinde pro miraculis, deprehendi falsa, si ad severum examen trahuntur. Plurima tamen sunt talia, de quibus nemo prudens dubitare potest. Ne decipiaris, attende illas circumstantias, ex quibus

bus supra Sciendo 4. diximus discerni posse vera miracula à falsis. Deinde quæro ex Adversarijs, quare diabolus non faciat pariter tot ac tam splendida, tamque verisimilia miracula apud hæreticos, vel etiam in Ecclesia Lutherana, utijs prudenter negari fides nequeat? Certè si posset, non omitteret, quia sic facilius ipsi foret homines ad se pollicere. Cur neque ficta miracula habent hæretici, saltem multa, & valde illustria ad speciem? Cur nullum possunt ostendere, quod ritè examinatum subsistat, & in confirmationem alicujus dogmatis, Ecclesie Romanæ adversantis, factum sit?

53. Ob. 2. Miracula Ecclesie Romanæ solum confirmant fidem ejus Christianam, quæ Christiana est, non Papisticam & quæ Romano-Catholicam; seu solum confirmant ea, quæ in Papatu adhuc retinentur ex Christianismo antiquo, & quæ adhuc bona ac integra sunt: ergo non habent, cur glorientur Papistæ, cum ejusmodi prodigia sint communia omnibus Christianis.
- ¶ 1. Cur ergo ejusmodi prodigia non pariter fiunt in Lutheranismò? An igitur in eo nihil omnino bonum ac integrum est, ex verò Christianismo relictum? ¶ 2. Nunquid hoc modo poterant etiam Judæi & Pagani eludere miracula Christi & Apostolorum, dicendo nimirum, ea solum in confirmationem illorum dogmatum, in quibus Christiani conveniunt cum Judæis & Pagani, non verò aliorum, in quibus discrepant, patrata fuisse? ¶ 3. Directè N. Ant. Si Rex aliquis, sciens & prudens, aliquod di-

R. P. Pichler Theol. Polemica.

ploma, suo sigillo munitum, publicè promulgari faciat, censetur approbare omnia, & non tantum partem eorum, quæ in tali diplomate continentur. Talia diplomata Dei sunt miracula in Ecclesia Romana. ¶ 4. Ex authenticis historijs constat, multa miracula evenisse hæctenus in confirmationem eorum articulorum, in quibus Romana Ecclesia discrepat à Lutheranis, & alijs Sectarijs. ¶ 5. N. suppositum, quod in Ecclesia Romana circa fidem aliqua non sint bona, & integra: item quod Christiana Religio quæ verè Christiana differat à Papistica, seu à Romano-Catholica.

Ob. 3. Miracula, quæ fiunt in Ecclesia Romana, vel confirmant doctrinam Prophetica & Apostolica; vel corruptelas, superstitiones, & cultus Idololatrios? Si prius, demonstrandum est ex SS. litteris, modernam doctrinam Ecclesie Romanæ omni ex parte convenire cum doctrina Prophetica & Apostolica. Si posterius, miracula non debent attendi, utpote spuria, & testimonia falsi. Ita subtilizat Gerardus de Ecclesia n. 273. sed non sine vertigine, circulo vitioso, & petitione principij. R. enim, confirmari doctrinam Prophetica & Apostolica, vel potius per miracula palàm fieri, in Ecclesia Romana (non in Lutherana &c.) esse adhuc puram & integram doctrinam Prophetica & Apostolica. Unde N. suppositum, quod in Ecclesia Romana sint superstitiones & Idololatrii cultus, eo ipso enim, quod approbentur à Deo miraculis, non possunt esse superstitiones &c. Non enim evidenter

sunt

Q. O.

sunt superstitiones, ut per petitionem ex miraculis, utpote per se valde illustri-  
principij Gerardus supponit falso. Ne- bus, dignosci debet.  
que miracula ex doctrina, sed doctrina

## ARTICULUS V.

### De Nota Catholicismi, seu Universalitatis.

#### SUMMARIUM.

1. 2. Quomodo & quam variè accipia-  
tur vox Catholicum.
  3. 4. Quid requiratur & sufficiat ad  
hoc, ut Ecclesia dicatur Catholi-  
ca seu Universalis quoad locum.
  5. Duplex argumentum formari po-  
test ex Catholicismo.
  6. Primum ex diffusionione per totum  
orbem, quam Ecclesia vera habere  
debet, ut fuse ostenditur.
  7. 8. Nec infringitur hac diffusionis  
nota obiectiunculis Adversario-  
rum.
  9. Quorum selecta nullatenus est aut  
dici potest Catholica.
  10. 11. 12. Utut hoc nomen sibi arro-  
gent, vel, si de hoc desperent, il-  
lud spernant.
  13. Quid intelligatur per Ecclesiam  
Romanam.
  14. An ista sit & rectè dicatur Catho-  
lica.
  15. Non requiritur, ut omnes omnino  
homines in omnibus provinciis re-  
cipiant fidem Romanam, ut sit  
Catholica.
  16. Ecclesia Romana non est Particula-  
ris, nisi sub aliquo respectu tan-  
tum.
  17. Nec obstat, quòd Catholici appel-  
lentur Papista &c.
  18. Alterum argumentum petitur ex  
conversione Gentium, sine qua esse  
non potest vera Christi Ecclesia.
  19. 20. Quidquid regerant Adversa-  
rij.
  21. Apud quos nulla unquam viguit  
conversio alicuius integræ Gentis.
  22. 23. 24. Excusationes & exceptio-  
nes eorum frivola.
  25. Romana Ecclesia semper convertit  
Gentiles, ac Paganos, ut ostendi-  
tur per singula secula.
  26. 27. Incepta Adversariorum respon-  
siones.
1. Sciendum 1. Catholicum esse vo-  
cem Græcam, & significare idem ac  
Universale & commune omnibus, præ-  
cipuè quoad locum, seu esse diffusum  
per totum orbem, juxta illud in *Mat. 24.*  
*evangelij, in Universo orbe. Mat. 24.*  
v. 14. & juxta illud Cyrilli Jerof. Ca-  
techeti 18. *Catholica vocatur Ecclesia,*  
*quia per Univerfum sit Orbem terra-*  
*rum diffusa. Et inica: Neque id tan-*  
*tum quaras simpliciter, ubi sit Eccle-*  
*sia: sed ubi Catholica Ecclesia: hoc*  
*enim*

enim proprium nomen Sanctorum est Sancta hujus, & Matris omnium nostrum, qua est Sponsa Domini nostri IESU Christi. Unde

2. Sc. 2. Quamquam Ecclesia Christi possit dici Catholica ex triplici capite 1. Ratione doctrinae, quia semper & ubique eandem profiteretur doctrinam, sive quia omnibus fidelibus eadem doctrina communis, & universalis est. 2. Ratione temporis, quia semper durare debet à Christo usque ad finem mundi, seu quia communis est omnibus temporibus. 3. Ratione loci, quia ubique per totam orbem debet esse diffusa, seu communis omnibus locis: quam triplicem universalitatem expressit Vincentius Lyrinensis, dum l. contra haereses c. 3. dixit, *Catholicum esse, quod ab omnibus, quod ubique, quod semper creditum.* De universalitate doctrinae, & temporis, actum est satis in praecedentibus; nunc agendum de Universalitate loci, quae propriissime venit nomine *Catholicismi*.

3. Sc. 3. Ad hoc, ut Ecclesia dicatur Catholica, seu universalis quoad locum, non esse necesse, ut simul eodem tempore sit ubique per totum orbem recepta, multò minus ab omnibus omnino hominibus agnita; sed sufficere, si successivè promulgetur & innotescat omnibus totius mundi provinciis ante finem mundi, saltem nobilioribus & amplioribus; sic enim jam verificantur vaticinia Prophetarum & promissiones Christi. Adcòque non simul, sed moraliter debet diffundi vera Christi Ecclesia per totum mundum, ac pervenire ad omnes gentes; non tamen

R. P. Pichler Theol. Polemica.

quomodocunque, sed ita, ut in omnibus provinciis fructificet, seu ut aliqui saltem recipiant veram Christi fidem, & constituent hoc pacto aliquas Ecclesias particulares: quae Ecclesiae particulares, per totum mundum existentes, faciunt unam Ecclesiam universalem, seu Catholicam, ut ait Beda l. 5. Histor. c. 22.

4. Sc. 4. Ut Ecclesia defacto non tantum dici possit, sed etiam verè sit Catholica, requiri, ut jam actu fuerit aliquando vel adhuc sit in plerisque mundi provinciis; Ecclesia enim defacto jam tenuit omnium consensu: si ergo in juventute vel adolescentia sua non crevisset, per orbem totum propagata, quomodo cresceret in senectute? Adde, quòd Paulus ad Colossenses 1. v. 6. dicat: *Evangelium pervenit ad vos, sicut & in universo mundo est, & fructificat, & crescit, sicut in vobis.* Dixi tamen in plerisque, ut insinuarem, Ecclesiam adhuc posse crescere, & introduci in novas Regiones, quae nondum sunt cognitae; antequam enim totum mundum illustraverit, non venit dies Domini; postquam verò illustraverit, veniet, ut ipse Christus praedixit Mat. 24. v. 14. *Pradicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus; & tunc veniet consummatio.*

5. Sc. 5. Ad discernendam veram Christi Ecclesiam à falsis ex Catholicismo posse formari duplex argumentum valde solidum, in quorum uno veritas Ecclesiae Romanae & falsitas Lutherana probetur ex diffusionione per totum orbem, in altero ex conversione Gentilium. Lu-

002

the-

therani hinc iterum tergiversari volunt, & latebras quarere, dicendo, non Ecclesiam *vocatorum*, sed *electorum*, non *visibilem*, sed *invisibilem* esse debere Catholicam; quod quàm ineptè & falsò dicant, patet evidenter tum ex dictis de visibilitate Ecclesiae, tum ex eo, quòd Ecclesia Christi diffundi per totum or-

them debeat per Evangelij prædicationem, & conversionem Gentium, quæ utique fieri nequeunt insensibiliter. Et quæso, si Ecclesia invisibilis tantum debet esse Catholica, nunquid quilibet hæreticus dicere poterit, suam Ecclesiam esse verè Catholicam, & per totum orbem diffusam, scilicet invisibiliter?

### SYLLOGISMUS I.

Vera Christi Ecclesia debet esse Catholica.

Sed Lutherana non est Catholica.

Ergo Lutherana non est vera Christi Ecclesia.

#### *Major est certa*

- 6 I. Ex Scriptura S. utriusque Testamenti. *Prædicabitur hoc Evangelium Regni in universo orbe.* Mat. 24. *Euntes ergo docete omnes gentes &c.* Mat. 28. *Oportet prædicari in nomine ejus poenitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem.* Luc. 24. v. 47. *In omnem terram exiit sonus eorum.* Rom. 10. v. 18. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creatura.* Marc. 16. v. 15. *Et fructificavit in universo mundo.* Coloss. 1. v. 6. *Erunt mihi testes in Jerusalem, & in omni Judea, & Samaria, & usque ad ultimum terræ.* Act. 1. v. 8. Idem prænuntiatum est in antiquo Testamento, *Benedicentur in semine tuo* ( hoc est, in Christo, ut exponit D. Paulus Gal. 3. ) *omnes gentes terræ.* Gen. 22. *Postula à me, & dabo tibi*

*gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Psal. 2. *Reminiscantur & convertentur ad Dominum omnes fines terræ.* Ps. 21. *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Malach. 1. Ergo est indubitatum, veram Christi Ecclesiam debere esse Catholicam, seu in toto orbe aliquando prædicatam, & ab omnibus gentibus receptam.

2. Ex Symbolis, quæ etiam ab Adversarijs admittuntur; imprimis quidem ex Symbolo Apostolico, in quo jubemur credere Sanctam Ecclesiam Catholicam. 2. Ex Symbolo Nicæno, in quo jubemur credere unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Prima autem quatuor Concilia, eorumque canones admittunt Lutherani Scriptores celebriores, uti Gerardus in LL. Theol. de Eccl. n. 161. dicens: *Haud quaquam discessimus à fidei regula*



*gula, vel à quatuor illorum Concilio-  
rum canonibus; quidquid dicat M. Lo-  
mer in seiner Saur. Bunnen. Cur  
p. 271. (refutatus à me p. 171. & 172.  
suprà) ad nihil se volens adstringi, nisi  
quod in prima Ecclesia tempore & scrip-  
tus Apostolorum decifum & compre-  
hensum est. 3. Ex Symbolo S. Atha-  
nasilj, quod soli fidei Catholicae adscribit  
salutem, asserens: Quicumque vult sal-  
vus esse, ante omnia opus est, ut teneat  
Catholicam fidem: quam nisi quisque  
integram inviolatamque servaverit,  
absque dubio in aeternum peribit. Ita  
S. Athanasius.*

3. Ex ratione. Ad veram Christi  
Ecclesiam vocati sunt omnes totius  
mundi incolae, eamque tenentur omnes  
amplecti, si ipsis sufficienter promulge-  
tur, sub amissione aeternae salutis: ergo  
vera Christi Ecclesia debet per totum  
orbem sufficienter promulgari & dif-  
fundi; aliàs Deus vocaret omnes ad Ec-  
clesiam, nec tamen omnibus praeberet  
sufficientiam media perveniendi ad Ec-  
clesiam: ergo vera Christi Ecclesia de-  
bet esse Catholica quoad locum.

4. Ex ipso nomine, quo semper, ab  
ipsis etiam Apostolis, insignita est vera  
Christi Ecclesia, dum semper vocata est  
*Catholica*: non enim Patres tantum, ut  
fatentur omnes Lutherani, quan-  
tum scio, & ipse etiam M. Lomer pag.  
184. in seiner Bamer / tum in Sym-  
bolo Apostolico, tum aliàs, Ecclesiam  
Christi appellarunt Catholicam, & qui-  
dem tam Graeci quam Latini: verum et-  
iam ipsimet Apostoli in suo Symbolo e-  
am hoc nomine distinxerunt ab Ecclesijs  
falsis, ut constans est traditio, & Gerar-

us n. 149. expressè fatetur his verbis:  
*Non abnuimus, ab ipsis Apostolis hanc  
appellationem (Catholicam) esse profes-  
sam, cum enim ex ore Magistri audi-  
rent, Ecclesiam in novo Testamento  
non amplius, ut in veteri, angustis Ju-  
daelitibus fore inclusam, sed Evan-  
gelium predicandum esse per totum  
mundum, inde Ecclesiam N. T. voca-  
runt Catholicam, quia scilicet sine re-  
spectu ac discrimine locorum, natio-  
num &c. ex omnibus hominum generi-  
bus in universo orbe colligitur.* Ergo  
vera Christi Ecclesia debet sicut esse, ita  
& vocari Catholica, & quae hoc nomine  
destituta est, Ecclesia, quam Apostoli  
propagarunt, non est. Hac Lutherano-  
rum confessione non obstante (quod  
vehementer miror) in gratiam sui Magi-  
stri Lutheri, qui per summam temerita-  
tem & impietatem Symbolum Aposto-  
licum mutilavit, & corripuit, omit-  
tendo vocem *Catholische* / & substituendo  
*Christliche Rirch* / hodie dum retinent  
Symbolum mutilatum, falsatum, cor-  
ruptum, probè scilicet gnari, hoc illu-  
stre nomen, ab Apostolis verae Christi  
Ecclesiae attributum, suae Sectae non  
congruere, & conantes idcirco ablata  
voce suis eximere scrupulum, quem  
prudentibus facile ingessisset relicta vox  
*Catholisch* seu *Allgemein*.

5. Ex aperta Lutheranorum confes-  
sione. Quippe Augustana Confessio  
art. 1. de abus. dicit, se non dissentire  
in ullo fidei articulo ab Ecclesia *Catholi-  
ca*. Adhuc expressius fatentur DD. Lu-  
therani in actis Ratisbonens. tit. 6. a-  
pud Tannerum, ubi sic loquuntur:  
*Quisquis ab Ecclesia Catholica & Uni-  
vero*

versali, hoc est, per omnia loca & tempora diffusa & propagata usque ad fines terra, eaque secundum externam professionem & communionem per totum terrarum orbem diffusa, se separaverit, hoc solo scelere, quod a Christi unitate se junctus est, non habebit vitam aeternam.

6. Ex SS. PP. S. Cyprianus l. de unit. Eccl. mihi pag. 254. *Ecclesia una est, quae in multitudinem latius incrementa fecunditatis extenditur &c. Sic & Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit.* S. Augustinus, qui praeter ceteris ex hac nota Catholicismi frequentius, & solide Donatistas impugnavit in egregio suo libello de unitate Ecclesiae per plura capita. Dein l. 2. contra litteras Petil. c. 16. ita aggreditur haereticum: *Obiicio Schismatis crimen; quod tu negabis, ego autem statim probabo. Neque enim communicas omnibus gentibus, & illis Ecclesiae Apostolico labore fundatis.* Et contra epist. Fundamenti c. 4. *Tenet me in Ecclesia Catholica ipsum Catholica nomen, quod non sine causa inter tam multas haereses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut, cum omnes haeretici se Catholicos dici velint, quarenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus haereticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere.* Rursus l. de vera Relig. c. 7. *Tenenda est nobis Christiana Religio, & ejus Ecclesia communicatio, quae Catholica est, & Catholica nominatur, non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis. Velint enim, nolint, ipsi quoque haeretici, & schisma-*

*tum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quam Catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur.* Vinc. Lirin. l. cont. haerel. c. 34. ita monet: *Focum novitates devota, quas recipere atque sectari nunquam Catholicorum, semper vero haereticorum fuit. Et revera quae nunquam haeresis, nisi sub certo nomine, certo loco, certo tempore ebullivit, quis unquam haereses instituit, nisi qui se prius ab Ecclesia Catholica universitatis & antiquitatis consensione discreverit?* Pacianus ep. 1. ad Sympron. tom. 1. col. 304. *Bibl. Patrum: Christianus mihi nomen est; Catholicus vero cognomen; illud me nuncupat, istud ostendit: hoc probor, inde significor.* Item: *Ab haeretico nomine noster populus hac appellatione dividitur, dum Catholicus dicitur.* Clarum igitur est, juxta sensum Patrum, veram Christi Ecclesiam esse & dici debere Catholicam, & quae nec re nec nomine Catholica est, haereticam esse.

Ob. 1. Id, quod Ecclesiae non convenit perpetuo & semper, illud non est genuina & propria illius nota: atqui diffusio per totum orbem non convenit perpetuo & semper verae Ecclesiae; quia Ecclesia primo continebatur solis Judaeae finibus. Item in fine mundi tam angustis arctabitur terminis, ut vix ullus fidelium futurus sit juxta illud Christi: *Filius hominis veniens, putas, fidem reperiet in terra?* Luc. 18. ergo. R. D. Ma. Quod non semper convenit, hoc est, quod nec Ecclesiae natae, adultae, & in suo statu

statu completo constituta convenit, non est nota genuina Ecclesia. Trans. Ma. Ecclesia nascendi, nondum in statu completo constituta, ut fuit per unum vel alterum annum, antequam Apostoli divisi in universo orbe prædicaverant Evangelium; vel agonizanti, ut erit in fine mundi tempore Antichristi. N. Ma. Et sic distincta Min. N. Conf. Vel aliter Dist. Ma. Quod non convenit perpetuo & semper, hoc est, per spatium notabile, & moraliter considerabile. Trans. Ma. Per spatium breve tantum paucillimorum annorum, moraliter non considerabile respectu tot seculorum. N. Ma. Etiam jam tempore Apostolorum fuit Ecclesia, sicut ab ipsis Apostolis appellata, ita voce Catholica, teste Paulo Rom. 1. *Fides vestra annuntiat in universo mundo.* Neque potuit & debuit primo statim momento per totum orbem diffundi, fructificare, & crescere, sed successivè, ideo enim comparatur *grano sapis.* Mat. 13. quod initio parvum est, sed postea in magnam uberitatem excrevit. Et hinc statim initio etiam poterat Ecclesia dici Catholica, scilicet virtualiter, seu in virtute & in actu 1. non formaliter & in actu 2. Caterum in fine mundi non ad tantam paucitatem persecutione Antichristi (qua non nisi per tres annos cum dimidio duratura creditur) redigentur fideles, ut non amplius in portu mundi plagis saltem aliqui supersint, & vere Ecclesie doctrina ubique in recenti adhuc memoria existat. Adeoque perseverabit tunc esse Catholica & Universalis.

Dices 1. Ad verificandos textus Scripturæ sufficit, quod Ecclesia Christi fuerit aliquando diffusa per totum orbem, scilicet tempore Apostolorum: ergo ista nota Catholicismi non est perpetua, nec Ecclesia debet semper esse diffusa per totum orbem. R. 1. N. A. Nam iste articulus fidei, qua credimus *Ecclesiam Catholicam* in Symbolis, semper debet esse verus; adeoque non sufficit Ecclesiam semel fuisse diffusam per totum orbem cognitum ad breve tempus, sed semper debet esse diffusa & omni tempore notabili. R. 2. N. suppositum A. quod tempore Apostolorum Ecclesia per totum simpliciter orbem fuerit diffusa; sed tantum fuit diffusa per provincias plerasque tunc cognititas. Si enim fuisset diffusa simpliciter per totum orbem, & conversæ omnes omnino Gentes, adeoque var. cinia perfectè impleta; jam pridem debuisset interire mundus juxta prædicationem Christi: *Prædicabitur hoc Evangelium Regni in universo orbe in testimonium omnibus Gentibus, & tunc veniet consummatio.* Mat. 24. Dicimus ergo, prædicationem Evangelij debere fieri in toto mundo successivè ante finem mundi. Nilominus tamen, ut dici possit Catholica defacto, debuit jam nunc fuisse prædicata, & fructificasse aliquando in toto moraliter Mundo, nunc cognito. Neque dicas propterea, falsos fore illos textus Scripturæ, quibus Ecclesia jam tempore Apostolorum dicitur esse annuntiata per totum orbem. Nam Scripturæ mos est aliquid dicere de omnibus, quod convenit serè omnibus, & de toto, quod serè toti convenit, uti

Mat.

Mat. 2. ubi dicitur *tota* Hierosolyma esse turbata cum Herode, & Luc. 2. *universus* orbis esse descriptus, licet non simpliciter de tota Hierosolyma, vel universo orbe intelligendum sit.

Dices 2. Si defacto contingeret, ut unica adhuc provincia retineret veram fidem, vel talis Ecclesia esset Catholica vel non? Si esset: ergo ad veram Christi Ecclesiam non requiritur diffusio actualis, sed sufficit illa, quæ fuit primis sæculis tempore Apostolorum: si non esset, tunc Ecclesia vera desineret esse Catholica, & sic non amplius esset verus articulus 9. Symboli Apostolici. R. 1. N. casum, quod Ecclesia ante finem mundi possit arctari unâ provinciâ; semper enim debet crescere usque ad finem mundi, licet in alijs provincijs simul iterum interire possit: conversâ autem provinciâ & gente ultima *veniet consummatio* juxta vaticinium Christi citatum. R. 2. Transmissa possibilitate castis dico, talem Ecclesiam posse adhuc vocari Catholicam, scilicet ampliativè, quia saltem aliquando fuisset propagata in toto mundo, ac proinde haberet adhuc prærogativam & notam universalitatis, quam nulla secta hereticorum habuisset unquam, aut esset habitura deinceps; adeoque maneret Catholicismus nota perpetua veræ Ecclesiæ.

Dices 3. Christus Ecclesiam suam vocat *pusillum gregem*. Luc. 12. ergo Ecclesia non debet esse diffusa per totum orbem. R. 1. Ecclesia Christi utique in initio, quando hæc verba audijt à Christo, fuit pusillus grex, sed postea crevit in amplissimum populum, & cre-

scere debuit juxta vaticinia Prophetarum & Christi, sicut granum sinapis minimum crescit in validam arborem. R. 2. Etiam hodie posse dici pusillum gregem, si compararetur cum omnibus sectis & Religionibus falsis simul sumptis, adeoque comparativè ad omnes sectas falsas collectivè sumptas; non absolute, nisi humilitate tantum. Ecclesia vera Christi superat latitudine & diffusionem omnes sectas hereticorum seorsim & distributivè sumptas, cum nulla fuerit ubique diffusa per totum orbem, licet forte omnes collectivè sumptas non superet; nam pulchre dixit S. Aug. l. de pastor. c. 8. *Ecclesiam esse ubique, hæresim ubique; sed Ecclesiam ubique eandem* ( eadem dogmata tradentem ) *hæresim vero diversissimam*; nimirum aliam in Oriente, aliam in Occidente, aliam in Angliâ, aliam in Germania &c.

Dices 4. Synagoga fuit vera Ecclesia, nec tamen fuit Catholica, seu per totum orbem diffusa: ergo nec Ecclesia Christi debet necessariò esse Catholica. R. N. C. Nam Synagoga non fuit promissa talis diffusio per orbem totum, nec unquam divinitus obtinuit titulum *Catholicæ*, sicut Ecclesia Christi. Ceterum nec olim vera Ecclesia Universalis fuit tantum populus Israeliticus sub Legge Mosaica constitutus, sed etiam alij, uti Melchisedech, Job, Nivvita &c. extra Gentem Judæam fuerunt verè fideles & salutis compotes, ut nec Adversarij negant.

Ob. 2. Etiam falsis Religionibus convenit diffusio per totum orbem, ac tanta amplitudo, quanta Ecclesiæ Christi.

sti, vel adhuc major: ergo Catholicismus non est nota vera Ecclesia. A. P. Ethnicismus, Turcismus, Judaismus post Christum non minus, imò magis per totum orbem diffusi & dilatati sunt quam vera Christi Ecclesia: ergo. 2. Hæresis Ariana teste D. Hieron. corripuit totum orbem, ita ut *mundus miraretur se esse Arianum*: ergo hæc nota convenit etiam sectæ falsæ: ergo Catholicismus non convenit soli Ecclesie veræ, consequenter non est propria & genuina illius nota. 1. Nos statim initio c. 2. art. 1. monuisse, quòd hic non inquiramus notas veræ Ecclesie distinctivas à falsis Religionibus *Paganorum*, qui Christum non agnoscunt, uti sunt Ehnici, Turcæ, Judæi, sed distinctivas tantum à falsis sectis *Christianorum*, seu ab hæreticis. 2. Nos ibidem monuisse, quòd notæ aliquæ, seorsum sumptæ, sint quidem veræ notæ negative, ita ut vera Ecclesia non sit, ubi talis nota non deprehenditur, non autem affirmativè, ita ut, ubicunque talis nota reperitur, etiam vera reperitur Ecclesia: talis nota negativa est etiam Catholicismus seorsum sumptus, sive diffusio per totum orbem; nisi hæc diffusio spectetur ut vestita circumstantijs talibus, quæ in falsa secta reperiri nequeunt, uti sunt miracula, celeritas conversionis maximorum Principum, & barbararum gentium, inter gravissimas persecutiones, sine vi, sine armis, sine pecunia &c. Cum quibus circumstantijs considerata diffusio per totum orbem, uti defacto contigit, est etiam nota affirmativa. 3. Turcismus minime diffusus est un-

R. P. Pichler Theol. Polemica.

quam per totum mundum, licet sit valde dilatatus. Nec Judaismus, præsertim cum Judæi censeantur ubique esse peregrini tantum & vagi, sinque sine Rege, adeoque & sine Regno. Adde, quòd Turcismus, Judaismus, uti & Ethnicismus, dividantur & scindantur in innumeras species infimas, & in doctrinis, atque Idolis colendis minime conspiraverint unquam: quælibet autem horum infidelium species nullatenus per totum orbem est diffusa, sed vix per integrum Regnum &c. Ad 2. Ariana hæresis ferè intra Orientis limites hæsit, & plerasque Occidentis Regiones non occupavit, ne dicam remotiores in Indijs &c. Adde, quòd non prodigijs, & speciali virtute Divina, sed fraudibus, armis &c. fuerit propagata, & brevi omnino perierit iterum. S. Hieron. locutus est hyperbolicè.

Dices. Ecclesia est, & vocatur Catholica ideo, quia consentit cum doctrina Prophetica & Apostolica, & sine hoc consensu doctrinæ cum doctrina Apostolica nihil prodest qualiscunque amplitudo localis: ergo ex ista amplitudine non probatur vera Ecclesia, sed ex vera doctrina, consentiente cum doctrina Apostolica & Prophetica. Ita iterum in vertigine sua in circulum ambulat Gerardus. 2. N. A. & Conf. Vera doctrina non patet per se in omnibus fidei articulis, clarè autem & sensibilibiter patet prædicatio doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ, atque propagatio per orbem: ergo potius doctrina Evangelica & vera probari & cognosci debet ex prædicatione & propa-

Pp

pagat-

pagatione illius per totum orbem, quam vicissim Catholicismus ex doctrina Evangelica. Caterum Ecclesiam dici Catholicam à doctrina, & non à propagatione ac diffusionem per totum orbem, est contra sensum communem omnium, etiam adversariorum, imò & ipsius Gerardi in probatione 4. paulò antè citati ac alibi, item contra etymologiam nominis &c. Quamquam enim Catholica dicatur Ecclesia etiam propter uniformitatem universalem in doctrina, non tamen propter veritatem doctrinæ ita dici consuevit.

*Minor est indubitata*

1. Ab experimentalis notitia, qua constat, sectam Lutheranam non esse receptam in præcipuis & maximis mundi partibus, aut ita promulgatam, ut fructificaret ibi, nimirum in Asia, Africa, & America, quæ sunt partes mundi, quarum singulæ sunt longè ampliores quàm Europa. Sed nec in Europa fructificavit in omnibus Regnis & provincijs; quippe eam nunquam admisit Hispania, Gallia (Regna maxima) Italia, Bavaria. In cæteris Germaniæ provincijs plerisque, uti & in finitimis quibusdam Septentrionalibus regionibus, multum quidem invaluit, sed in his quoque divisum vel eum Catholicis, vel cum Sectarijs Lutherana sectæ adversantibus, imperium habet. Neque sperent Lutherani, suam sectam deinceps propagandam per totum mundum; si enim in adolescentia non satis crevit, quomodo crescet in senio? Ecce! post genera-

lem illam defectionem, quæ contigit turbatis illis Lutheri temporibus, nullus Princeps Catholicus aut Provincia accessit ad sectam Lutheranam; quid deinceps sperandum? Nempe cum adultera senuerit, nullos habet amplius procos. Adde, quòd Gentiles nunquam ad se potuerit convertere Lutheranismus.

2. Ex ratione. Inter Lutheranos sunt diversissimæ sectæ, in rebus fidei discrepantes, uti supra vidimus de Nota Unitatis, sunt enim Lutherani Rigidi, Molles, Calixtini &c. Jam quælibet species infimæ Lutheranorum, utpote plurimæ, evidenter non sunt Universales, & diffusæ per totum orbem, imò multæ neque per totam aliquam regionem aut urbem.

3. Ex propria confessione tum Lutheri, qui propterea, quòd novam suam sectam viderit non esse Catholicam, hanc vocem ex Symbolo Apostolico nefariè expunxit, tum Lutheranorum, qui ideo contendunt, Catholicismum non esse notam veræ Ecclesiæ, quia apud se eum non deprehendunt. Lomerus expressè dicit, suam Ecclesiam non esse Universalem seu Catholicam, spectare tamen ad Universalem. Saur. Trunnen. Cur. p. 413.

4. Ex ipso nomine; nam Lutherana Secta nec à Catholicis, nec ab Hæreticis, nec à Gentilibus, nec à Turcis, nec à Judæis, imò nec ab ipsis Lutheranis plerisque vocatur Catholica, sed ejus allectæ dicuntur Lutherani, Confessionista Protestantes, & Evangelici, ad tegendam suæ defectionis turpitudinem specioso hoc nomine abutentes; uti olim

sim fecerunt antiqui hæretici, qui affectabant vocari *cathari* (id est, puri) *Apostolici* &c. ut grandi quadam appellatione viderentur antestare Catholicis. Siqui ex Lutheranis præsumunt (ut aliqui faciunt) se vocare *Catholicos*, profus ridiculum est; ut enim intelligantur, addere debent aliquid, & se vocare *Luthero-Catholicos*, *Evangelico-Catholicos*, *Lutherisch Catholicisch* &c. quod est idem ac *ferreum lignum ein eisenes Pfannen-Holz*, quia esse Lutheranum, & esse Catholicum (tam ratione doctrinæ, quam temporis, & loci) se mutuo excludunt. Huc quadrat, quod dicunt SS. PP. scilicet signum hæresis esse nuncupari ab homine. Sic S. Iulianus in Triphone de hæreticis ait: *Sunt distincti cognominibus, denominati à quibusdam viris, ut quisque fuit auctor nove doctrine. Ex ijs alij vocantur Marcioniste, alij Valentiniani, alij Basilidiani (alij Lutherani) S. Hieron. contra Luciferianos in fine: sicuti audietis eos, qui dicuntur Christiani, non à Domino JESU Christo, sed à quoquo alio nuncupari, ut Marcionitas, Valentinianos &c. scite, non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam.*

10. Ob. 1. Fides Lutherana est ubique consentanea Scripturæ: ergo est Catholica. 2. Imperatores Romani edicto sanxerunt, Catholicos dici, qui confitentur articulos de SS. Trinitate: hos confitentur Lutherani. 3. Ipse Bellarm. fatetur, Lutheranam doctrinam, in Saxonia exortam; mox totam pæne Germaniam occupasse; deinde ad Aquilonem Orientemque se extendit.  
*R. P. Pichler Theol. Polemica.*

dise in Daniam, Norwegiam, Sueciam, Pannoniam; tum verò ad Occidentem & Meridiem pari velocitate delatam: ergo in omnes quatuor mundi plagas fuit diffusa. 2. ad 1. N. A. & N. C. Catholicismus, de quo hic agitur, non consistit in conformitate doctrinæ cum Scriptura (quamquam hac quoque destitui Lutheranos superius demonstratum sit) sed in diffusione per totum orbem. Item male supponunt, suam doctrinam esse consentaneam Scripturæ. Ad 2. Quando ita statuerunt Imperatores, tunc solum articuli de SS. Trinitate erant controversi inter Orthodoxos & Hererodoxos: nunc de alijs articulis est lis. Utique Calvinistas non dicent Catholicos Lutheranos, licet credant articulos de SS. Trinitate. Ad 3. Bellarm. tantum asserit, Lutheranismum celeriter esse propagatum ad 4. mundi plagas, respectu Germaniæ, non respectu totius mundi consideratas. Utique civitatem Augustanam non dicent propterea Catholicam esse, quia una ejus porta respicit Orientem, alia Meridiem, tertia Occidentem, quarta Septentrionem. Item Catholicam utique non dicent quamcunque domum, quia secundum certas sui partes respicit 4. mundi plagas. Aliud est *versus* omnes mundi plagas diffundi, & aliud *per* omnes mundi plagas & partes diffundi.

Ob. 2. Ex nomine infirmum & lubricum ducitur argumentum, juxta illud Apoc. 3. *Nomen habes, quod vivas, & mortuus es*: ergo nostrum argumentum ex nomine petatum nihil probat, utrum aliqua Ecclesia sit vel

Pp 2

non

non sit Catholica. 2. Lutherani vocantur Evangelici: ergo si ex nomine aliquid probari potest, sequitur, apud Lutheranos esse verum Evangelium seu doctrinam Christi. R. ad 1. D. A. Ex nomine secundum se præcisè sumpto & nudè spectato. C. Ant. Si res respondeat nomini, aut si ex speciali Dei providentia tale nomen sit attributum & conservatum alicui rei, alijs verò negatum. N. A. & C. Nomen *Catholica* ab ipso Deo specialiter jam per Apostolos fuit inditum veræ Ecclesie, ac in ea mirabiliter conservatum, alijs verò Sectis omnibus fuit negatum, ita ut appellare sint à certis hominibus, nunquam verò simpliciter Catholica, & sine addito. Adde, quòd his neque conveniat res significata per nomen Catholicum. Ad 2. D. A. Vocantur Evangelici cum veritate, & jure meliori, quàm omnes Christiani, etiam hæretici. N. Ant. Falsò, perperam, & non majori jure, quàm quicumque alij Christiani, etiam hæretici. C. Ant. & N. C. Omnes, qui aliquo modo credunt in Evangelium, vocantur Evangelici eodem, quo Lutherani, jure, id est, nullo; sicut omnes, qui aliquo modo credunt in Christum, vocantur Christiani, etiam si hæretici sint. Ad hoc, ut aliqui vocentur verè Evangelici, requiritur, ut Evangelium prædoceant, & sine exceptione recipiant, quod soli faciunt Catholici, etiam Concilia Evangelica amplectentes, quæ à Lutheranis & alijs rejiciuntur, spernuntur. Adde, quòd soli Lutherani se ipsos vocent Evangelicos; alij enim non nisi pacis, aut adulationis gratiâ, ipsis

tribuunt indebitum hunc & affectatum titulum; sicut mundi stylus est. Præterea Symbola & SS. PP. veros fideles nunquam vocarunt *Evangelicos*, sed *Catholicos*; & sicut signum veri fidelis non est vocari *Christianum*; ita nec est signum, vocari *Evangelicum*.

Ob. 3. *Catholica* à Græco *καθολικὴ* non potuit bene verti in Germanicum, & insuper serè idem est ac *Christiana*: ergo Lutherus non malè fecit in sua versione Symboli Apostolici adhibendo pro *Catholische* vocem *Christliche*. R. N. A. Quoad utrumque membrum; quis enim ex Germanis non intelligit, quid nunc significet *Catholisch* / non obstante, quòd sit vox à Græco derivata? Nunquid & istæ voces à Græco sunt derivatæ *Evangelisch* / *Christlich* &c. & tamen omnes Germani intelligunt. Deinde cur Lutherus pro voce *Catholische* non posuit *Allgemeine* / quæ vox Germanica est, idemque prorsus significat? Falsum verò est, quòd *Catholisch und Christlich* idem significant; quippe omnes, qui Christum profitentur, etiam hæretici, possunt vocari Christiani, sed nullus potest vocari Catholicus, cujus Religio & fides non sit per totum mundum diffusa. Adde, quòd, etiam si prorsus idem significarent hæc voces, non tamen in libera potestate Lutheri fuerit unam pro alia substituere.

*An Ecclesia Romana sit Catholica?*

R. Ita. Antequam probem, repeto ac in memoriâ revoco, per Ecclesiam Romanam intelligi illam; quæ commu-  
nicat



necat & subest Romano Pontifici tantum Capiti supremo & universali omnium fidelium, ac Pastori summo ovium Christi prorsus omnium, ubicunque locorum existerint, ad quam propter potentiorum principalem necessesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles: in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, qua est ab Apostolis, traditio, ut loquitur S. Irenaeus l. 3. c. 3. jam in II. saeculo Ecclesiae Christi. Sicut enim Lutherani per Augustinam Confessionem non solum intelligunt doctrinam & Ecclesiam particularem in urbe Augusta existentem, sed etiam omnes illos, qui profitentur Augustinam Confessionis doctrinam, adeoque & alias Ecclesias particulares, communicantes Augustinam Confessionem; ita etiam Ecclesia Romana non tantum complectitur illos fideles, qui existunt Romae vel in ditione Romana, sed omnes alias Ecclesias particulates, Romano Pontifici communicantes & adherentes, ubicunque locorum existant per totum mundum. Et sicut Archidux Austriae, si eligitur in Imperatorem, est Caput totius Imperij, & omnium provinciarum Imperialium, inter quas est etiam Austria, cuius est Dominus particularis: ita etiam Episcopus Romanus, dum eligitur in Pontificem summum, successorem D. Petri, cui Christus omnes suas oves commisit Jo. 21. sit Caput & Rector supremus omnium ovium Christi per totum orbem existentium, adeoque omnium Ecclesiarum particularium, non obstante, quod simul sit proprius & particularis Episcopus Romae.

Probatur nunc responsio 1. ex historijs omnium saeculorum. In I. saeculo ita testatur D. Paulus: *Fides vestra (Romana) annuntiat in universo mundo.* Rom. 1. *Fructificavit & crevit in universo mundo.* Colos. 1. In II. saeculo teste S. Irenaeo l. 1. adversus haeresim. *Hanc praedicationem, & hanc fidem Ecclesia, & quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodivit.* Pro III. idem testatur S. Athan. l. de Incarn. Verbi. Pro IV. S. Hieron. in c. 24. Mat. Pro V. S. Augustin. ep. 78. ad Hefychium &c. Vide P. Tanner in Anat. part. 2. Demonst. 3. per singula saecula. Is ipse cum Bellarmino & alijs verissime scripsit, Romanam Ecclesiam etiam post Lutheri apostasiam perstitisse Catholicam, toto orbe diffusam, & magnis incrementis auctam, in America praesertim & Indijs; Ecclesiae enim Romanae tunc & nunc devota existit Hispania, Gallia, Italia tota, Bohemia serè tota, Germania, Polonia & Hungaria majorem partem, in Anglia, Scotia, Graecia, Syria, Aethiopia, Aegypto &c. plurimi reperiuntur Catholici. In novo Orbe sine admixtione haereticorum sunt Ecclesiae plurimae & maximae, Romano Pontifici communicantes in omnibus quatuor mundi plagis, nempe ad Orientem in Indijs, ad Occidentem in America, ad Septentrionem tunc in Japonia, nunc in China, ad Meridiem in Brasilia, Baraquaria.

Prob. 2. Ex ipso nomine; cum Ecclesia Romana semper, & etiam nunc insignita hoc illustri nomine, & dicta sit Catholica, etiam ab inimicis, ad eam

discernendam ab omni alia Secta. Quippe & hæretici, volentes nolentes, hunc ei titulum semper & hodieum tribuere debent, si velint intelligi, & omnes audito *Catholicorum* nomine non alios intelligunt, quàm Ecclesiæ Romanæ alumnos. Nimirum Providentia Dei hoc nominis decus, quo vera Christi Ecclesia ab Apostolis, Concilijs, & Patribus semper honorata, ac à falsis sectis distincta fuit, Ecclesiæ Romanæ auferri non sinit, ut ut illius hostes totis semper viribus conati sint hoc ornamentum eadem eripere, sibi que attribuere. Ubi autem Deus alicui imponit nomen, eique specialiter conservat, haud dubiè res ipsa per nomen significata ibidem reperitur.

15. Prob. 3. hoc discursu. Aliqua Ecclesia Christi debet esse Catholica, ut patet ex Scriptura S. & alijs argumentis in probatione *Majoris* adductis; sed Lutherana, aut alia quæcunque extra Romanam (par enim omnium est ratio) non est Catholica: ergo Romana debet esse Catholica. Confirmatur. Tempore, quo defecit Lutherus, non fuit alia Christi Ecclesia, saltem alicujus considerationis, quàm ea, quæ communicabant & suberant Romano Pontifici: ergo vel tunc Romana Ecclesia fuit Catholica, vel nulla fuit Catholica; quod posterius stantibus vaticinijs fieri non potest.

Ob. 1. Ecclesia Catholica est, & verè dicitur illa, quæ per totum orbem est dispersa: sed Ecclesia Romana non est per totum orbem dispersa; nam major pars ex Ecclesijs Christianis non recipit dogmata & ceremonias Romanas.

Imò nec Hieron. & Ambrosius, quos tamen inter Pontificios numerant, receperunt; nam ille ad Evagrium de Ecclesia Romana loquens inquit: *Si auctoritas queritur, Orbis major est Urbe*, ille autem l. 3. de Sacram. c. 1. ait: *in omnibus sequi cupio Ecclesiam Romanam, sed tamen & nos homines sensum habemus, ideo quod alibi rectius servatur, & nos rectè custodimus*. Confirmatur. Catholicismus est id, quod ab omnibus, ubique, & semper creditur: sed non omnes, nec ubique credunt omnia, quæ creduntur in Ecclesia Romana: ergo in Ecclesia Romana non est Catholicismus. R. N. m. Nam ad hoc, ut dicatur per totum orbem dispersa Ecclesia, utique non requiritur, ut omnes omnino homines in omnibus provincijs recipiant, aut major pars hominum; quomodo enim aliàs Paulus dicere potuisset: *Fides vestra annuntiat in universo mundo*. Rom. 1. *Fructificat & crescit in universo mundo*. Colos. 1. cum utique plurimi mortalium in varijs provincijs fidem Christi tunc nondum receperint? Sufficit, modò in partibus & præcipuis mundi provincijs, & quidem cognitis, annuntiata & propagata sit successivè, & moraliter. Unde patet responso etiam ad Confirmationem. SS. Hieron. & Ambrosius intelligendi sunt de certis consuetudinibus locorum, & quibusdam particularibus statutis, quæ non debent esse ubique eadem, juxta vulgatum axioma: *Si fueris Roma, Romano vivito more. Si fueris alibi, vivito, sicut ibi*. Non autem intelligendi sunt de dogmatis fidei, aut mo-

rum decretis universalibus. Possunt Romæ particulares quædam consuetudines & abusus irrepere, in quibus utique non tenentur se conformare reliqua Orbis Christiani Ecclesia.

16. Ob. 2. Ecclesia Romana est Ecclesia Particularis, sicut v. g. Ecclesia Colonienfis, Moguntina, Augustana &c. ergo non est Catholica seu Universalis, implicatque in adjecto Ecclesia Romano-Catholica, & *Römisch Catholisch ist ein hülfernes Eichen Eisen* / ait Hailbrunner, Lavinganus olim Præco. R. D. A. Ecclesia Romana est Ecclesia particularis, si consideretur, ut est sub Episcopo Romano tanquam speciali Pastore suo C. A. Ut sic enim est pars Ecclesiæ Catholice seu Universalis, prima tamen & præcipua, velut est caput in corpore, quoniam in ea residet plenitudo potestatis, seu caput, à quo derivatur potestas spiritualis etiam in alias Ecclesias particulares. Si verò consideretur, ut est sub Episcopo Romano tanquam Pastore Universali omnium Christianorum. Et quatenus sub se continet Ecclesias universas, quibus privilegio singularis dignitatis prælata est, & quæcum omnes ratione Capitis Universalis communicare debent. N. A. Quatenus est sub suo Episcopo tanquam Pastore Universali, & ipsa Universalis est, quia non est ipsa tantum, sed omnes omnino Ecclesiæ particulares simul sumptæ per totum mundum; cum non ipsa tantum, sed & omnes aliæ Ecclesiæ subsint Episcopo Romano tanquam Pastori suo Universali; hoc solo discrimine, quod aliæ Ecclesiæ habeant Episcopum particularem à Romano

realiter distinctum, non autem Romana, cujus idem realiter homo est simul Particularis, & simul Universalis Episcopus & Pastor. Ferè sicut Imperator est simul Dominus Particularis & Universalis Austriae, aliarum autem Provinciarum Imperij est tantum Dominus Universalis. Et ferè sicut Imperium Romanum ijs temporibus, quibus Imperatores residebant Romæ, poterat dici Universale & valde diffusum, quia cætera Regna suberant Imperatori & Urbi Romanae, quamquam Urbs Romana non habuerit Dominum Particularem realiter distinctum ab Imperatore, Domino Universali Provinciarum omnium totius Imperij. Cæterum *Römisch Catholisch* non pugnant invicem, sed dicunt idem, & tantum ideo additur *Römisch* ut insinuetur, quamnam Ecclesia in se Particularis, à Deo facta sit Universalis seu Catholica, sicut defacto non pugnant hæc duo *Oesterreichisch Kaiserlich*, sed indicatur, penes quam Domum sit suprema Imperij potestas, & Imperatoria Dignitas. Longè rectius dicimus: *Lutherisch Catholisch ist ein Eichen Pfannenholz*; quippe Ecclesiam Lutheranam nec ratione doctrinæ uniformis, nec ratione temporis continuam Christo, nec ratione loci seu diffusionis per totum orbem, Catholicam esse, hæcenus demonstratum est.

Ob. 3. Nos vocamur *Papista, Pontificij, Romani, Romanenses* &c. ergo ex nomine non probamur Catholici. R. 1. Ita vocamur à malevolis & invidis Sæctarijs, qui antiquissimam appellationem per omnia sæcula præscriptam nobis

bis invident; sicut olim alij haeretici ex simili invidia conati sunt Romanam Ecclesiam alumnis eripere nomen Catholicorum, appellando eos *Simplices*, *Cinerosarios*, *Homousianos* &c. Non verò ita nominamur ab alijs, imò nec ab ipsis Sectarijs, quando loquuntur sine passione, vel intelligi cupiunt, quos designare velint. Id saltem certum, & satis est, quòd audito nomine *Catholicorum* ab omnibus intelligantur Romanam Ecclesiam addicti, & non alij. Ceterum nomen *Papistarum*, vel *Romanorum* &c. si non detorqueatur in odium, idem est, ac nomen *Catholicorum*; nam *Papista* significat talem, qui subest, & obedit Papæ, Rectori Ecclesiae Universalis, Oecumenicæ, & Catholice. Sic pariter *Romanus* significat talem, qui communicat Romano Pontifici & Ecclesiae Romanae, quæ Universalis, Oecumenica, & Catholica est. Et pro tali haberi voluit S. Hieron. dum to. 2. ep. 58. ad Damasum scribit: *Ego interim clamito, si quis Cathedrae Petri iungitur, meus est.* Et in Apol. adversus Rustinum ad Pammachium & Marcellinum: *Fidem suam, quam vocat? eamne, qua Romana pollet Ecclesia? An istam, que in Origenis Voluminibus continetur? Si Romanam, responderit, ergo Catholicus sumus.* R. 2. Quamvis nos vocemur tantum *Papista*, & non simul *Catholici*, tamen propterea Lutherani nondum vocantur *Catholici*, quod tamen nomen in veris fidelibus reperiri debet, tanquam ijs solis proprium.

18. Ob. 4. Si universus Orbis in 3. partes distribuatur, reperies 5. ex illis Chri-

stianismo, 6. Mahumetanismo, 19. Paganismo deditas. Præterea si ex Europæis subtrahantur Protestantes Lutherani & Calvinista; item Politici, & huiusmodi coacti profitentur Ecclesiam Romanam, vel Papæ auctoritatem in dubium trahunt; planè exiguus superest numerus: ergo non habet, cur glorietur Ecclesia Romana de sua amplitudine & diffusione per totum orbem. R. 1. T. A. N. C. ex hoc enim, quòd plures in multis Provincijs sint infideles, quam Catholici Orthodoxi, non inferitur, Ecclesiam Romano-Catholicam non fuisse diffusam, vel etiamnum esse diffusam per totum orbem; quia hoc non obstante potuit & potest in plerisque & majoribus Mundi Regnis prædicari, & fructificare. R. 2. N. A. Calculus iste, quem habet Breverodius Lond. in Tract. de linguis & Relig. c. 14. vehementer fallit; nam in *Europa*, quamvis spatio, numero tamen inhabitantium nequaquam minima inter notas quatuor Mundi partes, non est reperire Ethnicos & *Paganos* à Mahumetanis distinctos. In *America* potissimæ partes subjacent Dominio Hispanico vel aliorum Principum Christianorum, qui ibi Christianam fidem & legem prædicari & implantari curarunt pulsâ Gentilitate. *Africa* in medio parùm est habitata: quæ versus Oceanum extenditur, magnam partem paret Lusitanis & alijs Principibus Christianis: in *Egypto* reperiuntur multi Christiani: pariter Congenses, & Abyssini se profitentur Christianos: pars Mediterræo contigua veneratur Mahumetem: ubi ergo tanta

tanta copia *Paganorum Gentilium*, quam fingit *Brerewoodius*? In *Asia* enim *Mahumetem* pariter colunt *Turcae* & *Persae*, item in *Regno Mogor*, quamvis inter hos multi sint *Catholici*. Superest *Insula Japon*, & *Regnum Chinense*: verum in hoc (forassis adhuc & in illa) plurimi reperiuntur *Catholici*, & augetur quotidie credentium numerus, & sacra messis, multum obnitente & ringente *Orco*. Neque verum est, quod *Mahumetanismus* sit ita amplius, ac est

*Ecclesia Romano-Catholica*, si ejus Cultores per totius mundi provincias dispersi veniant in computum. De coactis, & tantum in speciem simulantibus fidem *Catholicam* nihil scitur, & est mera divinatio vel temeraria suspicio, exceptis quibusdam recens conversis in *Languedocia* seu *Septimania* in tractu *Cemmenio* vulgo *Seuennen*. Habet igitur, quod corrigat in suo computo *Brerewoodius*.

## SYLLOGISMUS II.

Vera Christi Ecclesia debet convertere Gentiles & Paganos.

Sed Lutherana nunquam convertit Gentiles & Paganos.  
Ergo Lutherana non est vera Christi Ecclesia.

*Ma, or constat*

18. 1. Ex Scriptura S. Ita enim vaticinati sunt Prophetæ. *Isaias* c. 2. v. 2. ait: *Erit in novissimis diebus preparatus mons Domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes Gentes. Et ibunt populi multi, & dicent: venite & ascendamus ad montem Domini, & ad Domum DEI Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit Lex, & verbum Domini de Jerusalem.* Idem serè iisdem verbis prædixit *Michæas* c. 4. v. 1. & 3. *Rursus* *Isa.* c. 9. *Multiplicabitur ejus Imperium, & pacis non erit finis.* & 60.  
*R. P. Pichler Theob. Polemica,*

c. *Aperientur porta tua* (alloquitur *Ecclesiam*) *jugiter, die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo Gentium, & Reges earum adducantur.* *David* verò *Pl.* 44. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: constitues eos Principes super omnem terram. Memores erunt nominis tui in omni generatione & generationem &c.* & *Pl.* 18. *Lex Domini immaculata, & convertens animas.* Similia habentur in *Novo Testamento*, uti *Mat.* 24. *Predicabitur hoc Evangelium in universo Orbe, & tunc erit consummatio.* *Luc.* ult. v. 47. *Oportebat predicari in nomine ejus penitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem.* Ex quibus & simili-

Qg

milibus clarè apparet, ad Ecclesiam Christi semper convertendas esse Gentes, donec ad eam omnes acceperint, adeoque illam Ecclesiam, quæ non convertit Gentes, non esse veram, utpote vivo Verbi Divini semine destitutam; ubi enim est verum semen Verbi Divini, fructum affert; *vivus enim sermo Dei & efficitur, & penetrabilior omni gladio accipitur, & pertingens usque ad divisionem anima & spiritus* Hebr. 4. v. 12.

2. Ex ratione; quia Ecclesia est Christi Sponsa, utique non sterilis, & Divini Verbi semen in calsum recipiens: ergo semper debet Christo gignere novos filios. Novi filij autem sunt Gentiles & Pagani, qui convertuntur ad Christum, & quidem conversione salutari, seu tali, qua non modò agnoscant & credant in Christum, sed etiam ejus doctrinam sequendo salutem consequantur æternam. Confirmatur: illa Ecclesia præ cæteris habenda est pro *Apostolica*, adeoque pro vera, in & à qua convertuntur Gentes ad Christum: sicut tempore Apostolorum convertentur à viris Apostolicis.

3. Ex ijs argumentis omnibus, quibus probavimus supra, veram Christi Ecclesiam debere esse Catholicam.

Ob. 1. Non sufficit conversio quævis, sed requiritur conversio ad veram fidem, seu ad talem fidem Christianam, in qua viget pura & genuina Christi doctrina: ergo signum veræ fidei & veræ doctrinæ non est conversio Gentilium, sed potius examinari prius & aliunde constare debet de vera fide & doctrina Christi. R. 1. N. suppositum

Antecedentis, quòd magna pars Gentilium, vel integra Gens, unquam conversa fuerit ad falsam Christi fidem & hæreticam, aut etiam converti possit, cum hæc conversio promissa sit specialiter Sponsæ Christi & veræ Ecclesiæ. An autem integra Gens pagana ad aliam pariter paganam conversa sit, aut converti possit, hic non disputatur, cum tantùm inquirantur notæ veram Ecclesiam Christi distinguentes à sectis falsis Christianorum. R. 2. N. C. quippe conversio Gentium ad aliquam fidem utique magis patet per se, quàm veritas fidei & doctrinæ: ergo hæc non debet esse signum illius, sed vicissim conversio debet esse, & est signum veræ fidei, veræ doctrinæ.

Ob. 2. Nunc non ampliùs est necesse, postquam Ecclesia per Apostolos jam fuit plantata & propagata, ut convertantur Gentes. Nec ampliùs locum habet illud: *Ite in mundum universum &c.* sed istud: *Pascite, qui in vobis est, gregem*: ergo. 2. Etiam ad sectas falsas convertuntur Gentiles & Judæi: ergo. R. ad 1. N. A. Etiam si enim Apostoli plantarint & propagarint Ecclesiam Christi, non tamen plantarunt ubique, & in regionibus successu temporis primum cognitis. Deinde alicubi plantata fides iterum fuit per malitiam hominum & diaboli extirpata. Præterea quare Lutherani nolunt obligare adhuc illud præceptum: *Ite in universum mundum &c.* postquam Ecclesia jam est plantata & propagata, contendunt tamen obligare adhuc istud: *Crescite & multiplicamini*, postquam aded propagatum videmus genus humanum?

Ad

Ad 2. Quamquam hinc inde unum vel alterum ex Paganis ad suam sectam falsam traduxerint hæretici; nunquam tamen integram Gentem, vel Nationem traduxerunt ad se; partim quia non afferunt motiva credibilitatis sufficientia, partim quia Deus non cooperatur prodigijs naturæ vires supergressis. Sed verum est de ipsis, quod pridem Tertullianus edixit de præscript. adv. hæret. c. 4. nimirum *hæreticis hoc esse negotium, non Ethnicos convertendi, sed nostros (Catholicos) evertendi.* Id quod Calvinista quidam, ut referunt DD. à Wallenburch de Unit. Eccl. l. 10. §. 2. ex Indijs Orientalibus rediens falsus est etiam de suis; interrogatus enim, an Prædicantes Calviniani Ethnicos converterent, ingenue respondit: *Nostri Prædicantes hoc non possunt: sed ibi Ethnicus primum convertatur ad Christum per presbyteros Papistas: postea à nostris Prædicantibus, ubi rerum potentur, reformantur.* Dein etiam paucos subinde ex Paganis & Gentilibus hæretici ad suas sectas pertraxerint, id tamen plerumque dolo, fraude, vel metu incusso factum est, quis enim prudens ex Paganis amplectetur Religionem Christianam sine motivis credibilitatis, miraculis &c. ? ejusmodi autem apud hæreticos & Sectarios non reperiuntur.

Dices, Tota Gens Gothorum ab Arianis conversa est tempore Valentis Imperatoris: ergo. R. decepta, non conversa est, Gens Gothorum ab Arianis; cum enim miraculis & motivis credibilitatis, quæ videbat apud Catholicos, permota peteret ab Imperato-

R. P. Pichler Theol. Polemica

re Episcopos, parata fidem Catholicam suscipere, Imperator, quia Arianus erat, pro Catholicis dedit Episcopos Arianos. Vide Bellarm. de notis Ecclesiæ c. 12. Igitur motiva credibilitatis, cur Christianam fidem amplexi sint Gothi, non alia erant, quam quibus fulgere videbant Ecclesiam Romanam; ideo ad hanc conversi dicendi sunt, non ad Arianam sectam, quia materialiter errantes Christiani spectant ad Ecclesiam Catholicam veram.

*Minor probatur evidenter*

1. A posteriori, & ab experientia, ex qua constat, à Lutheranis nunquam ad suam sectam traductos fuisse Ethnicos, Turcas, Judæos, saltem magno numero, & integram gentem, vel nationem; sed solummodo tepidos Catholicos esse everfos (quod Tertullianus dixit esse *negotium hæreticorum*) aut fortè ab alijs ejusdem secum farinae sectis ad se traductos. Quis enim utquam legit, vel audivit solidè probatum, à Lutheranis fuisse ex Gentilitate & Paganismo conversam integram nationem, regionem, imò civitatem, vel pagum? Neque id potuerunt in Indijs, ad quas quidem proficiscuntur etiam Præcones Lutherani & Calvinista, quamvis non tam animas cælo, quam sibi divitias lucrandi studio, vel alia de causa minus sancta. Audiamus, quid hæc de rescripserit R. P. Martinus Martinius, Tridenti natus, vir Apostolicus, & Missionarius Sinensis, cujus corpus & vestes post multos annos ab ejus morte incorrupta & integra inventa sunt. Is anno 1654. 8. Oct. in epistola quadam ad P. Laurent. Forerum data sic scribit:

Qq 2

ipse

*Ipsè audiui à Pradicantibus Hollandis & Anglis ( ex quibus Indiam petunt solum, qui in Europa valere non possunt ) cum dicerent, nihil posse se cum Indis agere, nisi prius Deum & Christum agnoscant. Vnde Fesuitas mittendos ajebant, à quibus hæc agnoscerent Indi. deinde illis facile fore, eos ad veram fidem deducere. Nimirum triticum seminare nesciunt; & bene tanquam inimici homines in medio iritici zozania. Ratio autem, cur Gentiles convertere non possint, inter alias etiam hæc non est nulla ( ut sepe audiui à Sinis & Indis ) quod nihil Sacri habeant, nullas ceremonias, nihil, quo videantur Deo honorem dare, in quo consistit Religio. Mahumetani verò dicunt, Hollandis nihil deesse, ut sibi æquales sint, nisi circumcisionem. Sed vera ratio, cur non ad fidem suam hæretici gentiles convertant, est, quia non sunt de semine virorum illorum, per quos salus &c. nec ad illis dictum est: ite in mundum universum, & predicare. Unde omnino carent notâ illâ, quæ semper fuit vera Ecclesia propria. Ita ille de Calvinistis, quod facile accommodare quoque poteris Lutheranis.*

2. A priori 1. Quia talia proponunt dogmata, quæ vel ipsis Gentilibus & Paganis, ratione præditis, incredibilia apparent, uti sunt, Deum, quamvis infinitè sit sapiens bonus & justus, tamen dedisse hominibus talia mandata, quæ observari nequeunt, eosque, qui non observant, damnare ad ignem & cruciatus æternos: Humanitatem Christi, quamvis creatura sit, esse priorius

ubique, ubi est ejus Divinitas: omnia nostra opera, quamvis optima videantur, in rigore & coram Deo esse peccata, ex se pœnâ ignis æterni digna: ad salutem nihil prodesse elemosynas, jejunia, pias peregrinationes: inutile esse pro defunctis orare: illicitum Sanctos, Dei amicos, venerari & invocare tanquam intercessores apud Deum: nullum esse Sacrificium propriè dictum &c. 2. Quia ad hæc & similia dogmata Gentibus persuadenda non aliud asserere possunt motiùm credibilitatis, nisi Scripturam S. seu Biblia, quorum auctoritatem Gentiles & Pagani respuunt, Lutherani verò probare nequeunt, ac ejus sensum pervertunt, destituti præterea alijs motiivis credibilitatis v. g. miraculis, extraordinariâ vitæ sanctimonîâ, hierarchiâ ac subordinatione Ecclesiastica usque ad Judicem aliquem supremum infallibilem &c. 3. Quia ad hoc non sunt missi à Deo, nec sunt de semine Apostolorum & successores illorum virorum, quibus dictum est: *Itè in universum mundum &c.*

3. Ab exemplo omnium eorum, qui ab Ecclesiâ Romano - Catholica vel per schisma, vel per hæresim defecerunt; nulli enim ex his potuerunt convertere Gentiles, Paganos, Judæos. Imò pleræque ex his Sectis jam penitus interierunt ipsæ, vel ruinam minantur ultimam, quamvis fuerint plurimæ; nam ante Lutheri tempora omnino numerantur 200. hæresarchæ, & inter hos aliqui valde potentes, ut Arius, Nestorius, Eutyches &c. & tamen plerique ita extirpati sunt, ut, nisi Catholici de ijs scripsissent, nec nomina nec dog-



dogmata eorum nobis cognita forent. A temporibus Lutheti autem P. Czentiviani pro Seculo XVI. in sua Dissertatione Heresiologica recenset 100. novas Sectas : alij novas sectas ex Lutheranismum pullulantes numerarunt ultra 200. ex quibus tamen jam multæ interiere sine ulla conversione Gentilium, Eadem fata manent superstites, haud dubiè in sua sterilitate perituras, ut præcedentes omnes.

22. Ob. 1. Si Lutherani non convertunt Gentiles & Paganos, non est defectus doctrinæ, utpote quæ verè est Apostolica, ut probatur ex Scripturis, sed est defectus ex parte hominum: ergo tamen potest esse penes ipsos vera Ecclesia. R. 1. N. A. est enim defectus tam doctrinæ, quam hominum: & gratis supponitur, doctrinam Lutheranorum esse Apostolicam, idque ex Scripturis probari. R. 2. N. C. Hoc ipso enim, quod nullos convertant Gentiles &c. signum est, quod Lutherani veram doctrinam & veram Ecclesiam non habeant, utpote cui promissa est à Deo & Christo conversio omnium gentium, successiva saltem.

23. Ob. 2. Lutherus pauper Monachus, & Lutherani brevi tempore ad suam fidem pertraxerunt tot populos, tot provincias, tot regna, licet potentissimos habuerint Adversarios, Papam & Cæsarem: ergo penes ipsos est doctrina efficax, convertens animas, & vivus Dei sermo. R. 1. quamvis multos ad se pertraxerint, ij tamen non fuerunt Gentiles & Pagani: quorum conversio tantum est nota veræ Ecclesiæ, sed fuere

tepidi, scelerati, rudes Christiani. R. 2. N. C. Non enim est comparatio facienda inter conversionem Gentium ad fidem Catholicam, & inter perversionem Catholicorum ad Sectam Lutheranam: Ecclesia Catholica convertens Gentes proponit ipsis creditu valde ardua & inassueta, factu autem valde difficilia, ac vitiosæ sensualitati repugnantia; cujusmodi conversio utique mirabilis est, ac virtutem supernaturalem requirit. Econtra Lutheranismus Catholicos pervertens proponit pleraque jam ab infantia credita ac proinde assueta, ea verò, quæ factu sunt difficilia, remover, ac vitiosæ sensualitati grata concedit &c. ut alias circumstantias præteream utriusque conversionis. Nimirum facilis descensus averni. Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras, hoc opus, hic labor est.

Ob. 3. Gentilibus longè magis videntur absurda, quod Deus propter aliena peccata voluerit nasci, pati, crucifigi, & contumeliosè mori Filium suum, quam quod dederit præcepta observatù impossibilia &c. ergo si illa dogmata non impediunt conversionem Gentilium, nec impediunt ista. R. Nativitas, Passio, & Mors Christi, si ritè explicentur, plurimum commendant, & maximè manifestant infinitam Dei Sapientiam, Bonitatem, Justitiam &c. contra ex paradoxis Lutheranorum nulla in Deum gloria & admiratio Gentilium, sed potius ignominia, imperfectiones, & contemptus redudant, siquidem Deum faciunt insipientem, crudelem &c.

*An Ecclesia Romana converterit & convertat Gentiles ac Paganos?*

25. 2. Haud dubiè. Probatum & ad oculum demonstratur ex historijs & experientia quotidiana. Nulla enim gens aut natio, nullum regnum aut provincia ex ijs, quæ hæcenus ex Gentilismo & Paganismo fidem Christianam receperunt, fuit conversa ad aliam vel ab alia Ecclesia Christiana, nisi ad Romanam & à Romana, quæ semper suos alumnos & viros Apostolicos per mundum misit in hunc finem. Atqui patet plurimas gentes & provincias Gentilium &c. amplexas esse hucusque fidem Christianam; hanc enim amplexi sunt nostri Majores Germani, Angli, Dani, Sueci, Prussi &c. ergo ad & ab Ecclesia Romana conversi sunt Gentiles & Pagani, quod erat primum membrum quaesiti. De cujus veritate, ut perfectius constet, & *Min.* evidentiùs probetur,

Percurramus singula sæcula in particulari. In Sæculo I. Apostoli eorùmque discipuli converterunt Gentiles, & Judæos, in Asia, Scythia, India, Armenia, Egypto, Perside, Mesopotamia Græcia &c. In II. S. Irenæus convertit Celtas, Sequanos, Allobroges &c. S. Lycius verò Noricos. In III. S. Victorinus in Gallia convertit Picavienses &c. Origenes convertit Arabes, Legati Victoris Papæ Romani Scotos, Norwegos &c. ex parte. In IV. Conversa est magna pars Imperij sub Constantino Imperatore, item Lombardi, Moravi, Valachi &c. In V. Hi-

berni per S. Patricium à Papa Celestino missum, item Scoti plenius, Burgundi, Franci. In VI. Angli per S. Augustinum à Papa Gregorio missum plenius, item Anglo-Saxones, Gotthi seu Visigotthi, & Bavari multi. In VII. Alemanni frequentes, Flandri, item Franci Orientales per D. Kilianum à Papa Conone missum, ac Bavari plenius per D. Rupertum; Hollandi per S. Swibertum; Germani passim & Frisones per S. Bonifacium. In VIII. Suevi plenius per S. Corbinianum, & Saxones inferiores per S. Ludgerum. In IX. Dani, Sueci, Bohemi, Slavi, Moravi plenius sedente Romano Pontifice Nicolao I. & Operarios mittente. In X. Norwegi, Poloni, Moscovitæ &c. In XI. Hungari, Prussi multi &c. In XII. Pomerani, Gotthi plenius, Rugiani, Norwegia tota, & Livonia. In XIII. Tartari, Prussi plenius. In XIV. Lithuani, Insula Canariæ, & plurima Africani littoris oræ. In XV. Quinea, Angola, Regnum Congense. In XVI. In quo Lutherus viros Christianos in Germania & Europa pervertere cepit, longè maximæ accessiones præsertim in Indijs factæ sunt ad Ecclesiam Romano-Catholicam, longèque plures gentes ad eam perductæ, quàm in superioribus sæculis ferè omnibus; quippe duplo tunc major facta est Christiani cultus amplitudo; antea enim Christiana Religio se non extendit ultra Insulas Canariæ, & sinum Gangeticum, quod quidem terrarum spatium est graduum 120. At postea ita amplificata est, ut occurrerint Navigantibus portus Christi-

stia.

stianorum per ambitum graduum 360. adeoque ambitus 240. gradibus auctus est. Vide Thomam Bozium de Signis Ecclesiae l. 4. In hoc saeculo solus S. Franc. Xaverius Religionem Catholicam invenit in vastam Japoniam ex multis regnis constantem, & in alia sex integra regna, solusque propria manu baptizavit 1000000. Gentilium, sicut solus S. Vincentius Fererius ante ipsum 25000. Judaeorum ad fidem Christianam perduxit. Item solus & unus S. Franc. Xaverius hoc Lutheri tempore plures gentes pluresque homines & Paganos ad Christum ac Ecclesiam Romanam adjunxit intra 11. annos, quam universi haeretici à Simone Mago usque ad modernos Sectarios simul sumpti per 1500. & amplius annos ex Gentibus & Paganis ad Sectas suas permoverunt. Thomas Bozium loc. cit. Notent haec Apostatae. Praeterea in hoc saeculo soli Jesuitae introduxerunt & propagarunt Religionem Catholicam in vastissimo Imperio Monopotapae, 25. regna completentis, in Brasilia, Baraquaria (ubi fuerunt ferocissimae gentes) in Regno Peruano, in Insulis Philippinis &c. Similia praestiterunt aliorum Ordinum Religiosissimi & Apostolici viri, puta S. Augustini, S. Dominici, S. Francisci &c. Denique in saeculo XVII. nuper elapso in memoratis provinciis Indies plurimum aucta est fides & Religio Christiana, & in novas etiam invecta, inter quas facile principem locum obtinet Imperium Sinense vastissimum, 15. provinciis amplissimis constans, item Regnum Mogor 35. Regna completens: & Regnum Thuncinense in

7. provincias divisum, ut taceam alias plurimas Regiones Africa & America.

Sed & isto saeculo, quod nuper captum est, pergitur in utrisque Indijs, tam Orientalibus quam Occidentalibus in disseminanda fide Catholica, in convertendis Gentibus, quas utique pro continuo more ac infinita bonitate sua Deus Optimus Maximus Ecclesiae adjunget novas etiam hoc saeculo. In hunc enim finem (Deo intus stimulante corda) quotidie se offerunt Apostolorum imitatores, qui spreis terrenis omnibus, & relicta chara patria, parentibus, socijs amantissimis &c. anhelant ex Europa in Indias, regiones barbaras, terras propè inaccessas, per vastissima maria, per vastas solitudines properare, nullis vitae periculis, nullis difficultatum obstaculis, nullis vitae incommodis, nullis sibi impendentibus tormentorum ac necis generibus absterri, sed solo honoris Divini ac Religionis amplificandae studio instigati; modo mittantur ab ijs, qui mittendi potestatem habent, nimirum à Sede Apostolica, & legitimis Superioribus; cujusmodi Missiones à multis etiam hodieum continuo impetrantur incredibili animarum lucro, & Gentilium conversione maxima, qui calcatis Idolis, rejecta uxorum multitudine, posita morum feritate, abdicata pristina & inveterata vivendi licentia ad Religionem Catholicam, quamvis proponat sublimia creditu, & factu ardua, convolant, capti amore caelestium, temporalibus contemptis. Planè (exclamare hic possumus) *digitus Dei est hic!* Audeant & Lutherani, ac si possint,

sunt, talia præstent. Proficiscantur & eorum Praecones ( si uxores sinant ) ad tam remotas & barbaras Gentes solius fidei Christianæ, ad eas proferendæ, studio incitati.

Ex quibus patet manifestè, ad Ecclesiam Romanam continuò per omnia sæcula fuisse conversos Gentiles & Paganos, omnesque, quotquot unquam Christi fidem per Orbem amplexæ sunt, Gentes & Nationes, Regna & Provincias ( ut nihil dicam de particularibus Paganorum, Judæorum &c. conversionibus, quæ etiam in nostris terris valde frequentes sunt ) esse ad Christum perductas ab Ecclesiæ Romanæ Apostolicis viris, aut etiam subinde feminis, haud dubiè speciali Dei virtute adjutis. Sic *primis sæculis* ad Ecclesiam Romanam converterunt Gentes & Idololatræ Apostoli eorumque successores proximi: *in sæculis intermedijs* converterunt Gentilium terras, ut Angliam, Germaniam, Poloniam &c. Sacerdotes à Romano Pontifice submissi: *in ultimis sæculis* Indias & novum orbem converterunt & adhuc convertunt variorum cætuum Religiosi.

26. Ob. 1. Conversiones Gentilium, quæ factæ sunt primis sex sæculis ad & ab Ecclesiæ Romanæ, possunt probari; sed quæ post VI. sæculum factæ sunt, longè à prioribus diversæ sunt: quippe tunc labefactari jam cœpit puritas doctrinæ, superstitionibus parlatim irrepentibus, & sermone Traditionum humanarum admixto doctrinæ Apostolicæ. Interim tamen quia potuit Deus etiam per corruptum mysterium filios

& filias spirituales sibi generare, ac quia tempore Gregorij M. Chilianij, Bonifacij &c. ( per quos conversa est nostra Germania ) nonnumquam fuit tanta doctrinæ corruptio, quanta postremis temporibus consecuta est; ideo conversio illa (intermedijs sæculis post sextum, & ante ista postrema) Gentilium non desinit esse opus Divinæ Benignitatis. Ita Gerardus in locis Theol. de Eccl. n. 257. & imprimis noto; Gerardum hic fateri, in Ecclesiæ Romanæ per VI. prima sæcula fuisse puram doctrinam Apostolicam, & Gentiles ad eam conversos pervenisse ad veram Christi Ecclesiam, quod alibi non fatetur, nec M. Lomer & alij. Deinde non debet Gerardus supponere, sed probare, quod post VI. sæculum corrupta fuerit doctrina Apostolica in Ecclesiæ Romanæ, quod faciet nunquam. Tertio gravissimam injuriam infert SS. Chilianio & Bonifacio, quasi ipsi prædicassent doctrinam minus puram; cum tamen fuerint viri sanctissimi, & pro Christo tanquam veri Martyres occisi, non minus ac Apostoli. Quarto vel damnat omnes nostros Majores Germanos, quasi ad eos nunquam pervenisset vera & pura fidei Christianæ doctrina, nec via salutis unquam ab eis ritè fuisset cognita; quod est impium: vel putat, Germanos nostros, qui hauerunt Prædicatores, corruptam doctrinam discernentes, aliter credidisse, quam audierint & docti sunt à Divini Verbi præconibus; quod stultum est, & incredibile, meraque fictio: imò contra ipsum Gerardum, qui n. 136. ait: *Qualis est doctrina, quæ in publico Ecclesiæ ministerio sonat,*

sonat, talis etiam iudicatur esse illa Ecclesia.

27. Ob. 2. Quis scit, an omnia vera sint, quae sparguntur à Papistis de tantis Gentilium conversionibus ad Romanam fidem? R. qui dubitat, consulat Historicos tum Antiquos, tum scripserunt ante Lutheri tempora, tum Recentiores; in utrisque enim valde rudem se probat, quisquis vel leviter dubitat. De conversionibus Indorum & Americanorum, post Lutheri tempora factis, si ambigat, consulat epistolias, & libros, non tantum à Catholicis, sed etiam à Protestantibus scriptos, uti sunt Centuriatores, Baldaeus in sua hist. Indica, Richardus Hakluit, Tavernier &c. item consulat suos etiam Mercatores, qui lucri temporalis gratiâ in has terras proficiscuntur.

Atque ex allatis hucusque signis ac

motivis credibilitatis pro Ecclesia Romano-Catholica manifestum fit ac evidens, eam non solum omnibus alijs Christianorum sectis preferendam, verum etiam absolute & firmissima fide credendam esse; cum impossibile sit absolute, ut Deus tot ac tam splendidis notis ornet Ecclesiam falsam, eamque adeo reddat evidenter credibilem tam absolute quam respectivè, ut nullus prudens possit eam non credere. Proin rectè dicunt omnes, qui Ecclesiam Catholicam profitentur, cum Richardo à S. Victore l. 1. de Trin. c. 2. *Domine, si error est (quod credimus) à te ipso decepti sumus; nam ista in nobis tantis signis & prodigijs confirmata sunt, & talibus, quae non nisi per te fieri possunt.* Superest, ut rejiciantur, quae à Lutheranis afferuntur, verae Ecclesiae signa.

### CAPUT III.

Quid sentiendum de notis, quas Lutherani assignant ad dignoscendam veram Ecclesiam?

#### ARTICULUS I.

*Examinantur duae notae, quas Lutherani communiter assignant.*

##### SUMMARIUM.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Duas notas vera Ecclesia communiter assignant Lutherani, nimirum prae-dicationem Verbi, & ad- | ministracionem Sacramentorum.             |
| R. P. Piebler Theol. Polemica.   | 2. Quibus M. Lomer superaddit tres alias. |
|  | Ra 2. Pna                                 |

3. *Pura Verbi Divini prædicatio non rectè assignatur pro nota vera Ecclesia.*

4. *Nec legitima Sacramentorum administratio.*

5. 6. 7. 8. *Multiplex solvitur obiectio.*

1. **S**ciendum 1. Quamvis Lutherus assignaverit 7. notas veræ Ecclesiæ, contradistinctas à notis, in Symbolo Apostolico & Nicæno comprehensis, ac in Scriptura fundatis, quas supra nos statuimus; eas tamen ferè omnes referri ad has duas, nimirum ad puram Verbi Dei prædicationem, & legitimam Sacramentorum administrationem, juxta art. 7. Augustanæ Confessionis, in quas duas notas communiter ita conspirant Lutherani rarâ concordia, ut Gerardus c. 10. n. 126. pronuntiet: *Si de proprijs & essentialibus notis sermo sit, omnes uno ore dicimus, talem Ecclesiam notam esse duas, puram Verbi prædicationem, & legitimam Sacramentorum administrationem.* Nihilominus tamen M. Lomer, Præco Augustanus, super omnes istos sapit; quippe

2. Sciendum 2. M. Lomer prædictis duabus notis in seiner Rettung / & fusius in seiner Saur, Brunnens Cur à pag. 87. superaddere tres alias, nimirum 1. Gloriam Dei. 2. Solatium morientium. 3. Securitatem viæ. Has notas, quamvis re ipsa coincidunt cum nota doctrinæ seu Scripturæ S. postea ex instituto refellam, postquam prius communes & duas ordinarias (quæ ab alijs etiam vocantur *Biblia & Baptismus*) refutaverò.

3. Dico 1. Pura Verbi Divini prædicatio (seu doctrina Scripturæ S.) non est nota vera Ecclesiæ. Non quidem ne-

go, veram Christi Ecclesiam non esse sine pura Verbi Divini prædicatione (idem est de legitima Sacramentorum administratione) & vicissim puram Verbi Divini prædicationem non esse extra veram Christi Ecclesiam; nego tamen, pro nota veræ Ecclesiæ assignari posse prædicationem Verbi Divini; quod

Probatur 1. Vel prædicatio qualiscunque Verbi Divini, vel prædicatio *pura & vera*, dicitur esse nota veræ Ecclesiæ: neutra potest esse nota: ergo. Non prædicatio qualiscunque, quia ista datur apud omnes sectas hæreticas: non prædicatio *pura*; quod probatur: nota Ecclesiæ debet esse notior quam ipsa Ecclesiæ, ut est evidens penetranti terminos: sed *puritas* doctrinæ, *puritas* prædicati Verbi, non est notior quam Ecclesiæ; quia aliunde non potest certò constare, quænam doctrina sit *pura*, & *verum* Verbum Dei, nisi ex declaratione Ecclesiæ; cum omnes hæretici semper clamaverint, se habere puram doctrinam, verum Dei Verbum: ergo prius debet constare de veritate Ecclesiæ, quam de puritate doctrinæ constare possit: ut bene contra hæreticos I. de præscrip. pridem pronuntiavit Tertull. dicens: *Quid prædicaverint Apostoli, quid illis Christus revelaverit, non aliter probari debet, nisi per eandem Ecclesiam, quas ipsi Apostoli crediderunt.* Et quæso, unde Lutherani puritatem  
(quæ

(quæ per se non est evidens) doctrinæ infallibiliter probabunt, nisi ex testimonio Ecclesiæ, sine cuius magisterio neque ipsa Scripturæ substantia, existentia, & integritas ipsi sufficienter cognita esse potest?

Probatur 2. Vel Scripturæ S. seu Verbi Divini (nam juxta Lutheranorum falsum principium non datur aliud Verbum Divinum, quam scriptum) prædicatio præcisè, vel legitima interpretatio est nota veræ Ecclesiæ? Non prædicatio præcisè, quia hæc iterum reperitur in omnium hæreticorum sectis, qui omnes jactant, se prædicare Verbum Dei in legitimo sensu. Non legitima interpretatio; quia hæc, utpote per se non evidentem, debemus primum discernere à vera Ecclesiâ (non à spiritu interno cujuslibet hominis privati, cum soli veræ Ecclesiæ sit promissa infallibilitas, nulli autem privato) ergo vera Ecclesiâ debet jam prius esse cognita; consequenter non potest primum innotescere ex prædicatione seu interpretatione Verbi legitima.

Probatur 3. Non sufficit ad constituendam veram Ecclesiâ *purè prædicari* Verbum Dei, sed requiritur etiam, ut *audiatur, credatur, & recipiatur*: ergo pura prædicatio Verbi sola neque sufficit ad indicandam veram Ecclesiâ, sed requiritur etiam auditio, fides, & receptio: atqui fides & receptio Verbi Divini non potest esse nota veræ Ecclesiæ, quia sunt actus interni & invisibiles: ergo. Si autem dicant, receptionem externam, per quam innotescit interna, esse notam veræ Ecclesiæ, tunc incidunt imprimis in notas Catholicorum v. g.

R. P. Pishley Theol. Polemica.

amplitudinem & sanctitatem credentium &c. deinde admittunt notam incertam, dubiam, accidentariam, & à vera Ecclesiâ separabilem; cum externa receptio doctrinæ, & externa fidei professio possit esse in hypocritis, & deceptoribus. Si verò reponant cum Gerardo n. 142. ibi semper esse aliquos saltem, qui fide interna recipiant Verbum Dei (quia Verbum Dei nunquam redit vacuum) ubi purè prædicatur Verbum Dei, & publico sanatur ministerio, licet ignotum nobis sit, quinam sint illi in individuo, utpote soli Deo cogniti; tunc jugulant se ipsos, & aperte admittunt, Ecclesiâ semper debere esse visibilem, & quidem ibi, ubi prædicatur Verbum Dei. Dicant ergo, ubi nam locorum fuerit vera Ecclesiâ (utpote necessariò visibilem) ante Lutherum? Denique etiam si ibi semper sint aliqui verè fideles per receptionem Verbi internam, ubi id purè prædicatur, non tamen illos possumus nôsse: ergo catus fidelium, seu Ecclesiâ vera non potest cognosci ex prædicatione & receptione Verbi Dei: ergo hæc non potest esse nota illius.

Probatur 4. Prædicatio Verbi Divini juxta Lutheranos est nota essentialis & inseparabilis à vera Ecclesiâ, adeoque debet esse perpetua, cum ipsa Ecclesiâ sit perpetua juxta August. Confess. art. 7. ergo vera Ecclesiâ, ante Lutherum existens, habuit hæc notam sensibilem & visibilem. Sed alia Ecclesiâ, ante Lutherum existens, non potest ostendi, in qua melius fuisset prædicatum Verbum Dei, quam Ecclesiâ Romana: ergo si prædicatio & auditio Verbi Divini ef-

RE 2

set

set nota veræ Ecclesiæ, probaret, nostram Romanam immediatè ante Lutherum fuisse veram Christi Ecclesiam, consequenter Lutheranorum esse falsam, quia defecerunt à vera. Deinde alibi dicunt Lutherani, externum Verbi ministerium posse esse corruptum; quomodo igitur sine contradictione puram incorrupti Verbi prædicationem statuere possunt pro signo essentiali & inseparabili veræ Ecclesiæ, uti tamen faciunt?

Probatur 5. Vera Christi Ecclesia juxta Lutheranos est *congregatio Sanctorum*, invisibilis & à mundo non cognoscibilis: ergo ex nullis signis potest ab hominibus cognosci. Ergo neque ex prædicatione legitima Verbi.

Probatur 6. Prædicatione legitima Verbi est nota communis, quam omnes Sectæ etiam hæreticorum pro se adducunt, & eodem jure, quo Lutherani, adducere possunt, nimirum Calvinistæ, Zvingliani, Donatistæ, Ariani &c. Probent enim Lutherani infallibiliter, se melius & purius prædicare Verbum Dei, quàm prædicent Calvinistæ, Ariani &c. Aferant vel unicum argumentum speciale & solidum, suam prædicationem, consequenter fidem, esse meliorem, quàm sit Calvinistarum &c. nam 1. Fundatores sunt pares, Lutherus & Calvinus, uterque apostata ab Ecclesia Romana. 2. Utrique tam Lutherani quàm Calvinistæ nituntur eodem & unico fundamento, Scripturâ nimirum juxta proprium dictamen intellectâ. 3. In principalibus erroribus conveniunt, nempe asserendo, hominem justificari sola fide, man-

data Dei observari non posse &c. 4. Utrique credunt, alterius Partis sectam esse falsam. 5. Utrique dicunt, Ecclesiam defecisse, & à se restitutam, reformatam &c. 6. Uterque fundator, Lutherus & Calvinus, caruit legitima vocatione, eamque ipsdem probat argumentis &c. Nullam igitur notam veræ Ecclesiæ habent Lutherani sibi propriam, & quæ non sit communis Calvinistis, imò quam non eodem jure asserere potuissent antiqui hæretici ad probandam suam sectam, prætendentes v.g. puram Verbi prædicationem. Notent hæc Lutherani, & meminerint, Majores suos nunquam potuisse aliquid solidi respondere Patri Kedd, identidem postulanti, ut probent, suam sectam esse meliorem Calvinisticâ, vel aliâ Sectariorum.

Dico. 2. Neque legitima Sacramentorum administratio est nota veræ Ecclesiæ. Probatur ipsdem argumentis, quibus prior assertio, nimirum 1. quia, quatenus legitima est, non est notior Ecclesiâ, sed potius ex declaratione Ecclesiæ constare potest ac debet, quænam sit legitima administratio. Administratio autem qualiscunque non potest esse nota, cum aliqua administratio Sacramentorum detur apud omnes Sectarios & Hæreticos. 2. Quia administratio valida & legitima Sacramenti Baptismi est communis verè omnibus hæreticis, ut fateatur Lutherani: ergo non est propria, essentialis, & inseparabilis nota veræ Ecclesiæ, quod tamen ipsi requirunt ad veram notam. 3. Si legitima administratio Sacramentorum est inseparabilis à vera Ecclesia, quæ debet



debet esse perpetua, tunc ante Lutherum Romana fuit vera Ecclesia, & consequenter Lutherana, ab ea desciscens, falsa. 4. Quia juxta Lutheranos vera Ecclesia Catholica est invisibilis: ergo ex legitima administratione Sacramentorum tanquam ex signo non potest cognosci. Vel, si cognosci potest, vera Ecclesia semper debet esse cognoscibilis mundo, & visibilis, quod est propudiosam Lutheranorum defectionem ex latebris protrahere. 5. Quia eodem jure Sectarij & Hæretici omnes dicunt, penes se esse legitimam administrationem Sacramentorum, quo Lutherani id dicunt. 6. Deniq; quia neq; de natura, neque de numero Sacramentorum satis constat sine auctoritate Ecclesie: ergo multò minùs de legitima administratione: ergo hæc non est notior quam Ecclesia.

5. Ob. 1. Per eandem notam discernitur vera Ecclesia à falsa, per quam discernuntur veri Christiani à falsis: sed veri Christiani à falsis discernuntur per doctrinam: ergo & vera Ecclesia à falsa: ergo doctrina vera, seu pura prædicatio Verbi est nota legitima veræ Ecclesie. 2. Ecclesia falsa dignoscitur ex falsa doctrina: ergo etiam Ecclesia vera ex vera doctrina. 3. Primitiva Ecclesia dignoscebatur ex vera doctrina Apostolorum juxta illud Act. 2. *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum*: ergo etiam moderna Ecclesia debet dignosci ex eadem. R. ad 1. Dist. Ma. Per quam discernuntur veri Christiani collectivè, vel in genere; C. Ma. Christiani veri in particulari, vel seorsim

sim singuli in individuo sumpti. N. Ma. Veri Christiani collectivè, vel in genere sumpti, sunt ipse cæterus Christianorum verorum, seu vera Ecclesia, quam utique non discernimus ex auctoritate Ecclesie, sed ex notis suprâ allatis & ex motivis credibilitatis extrinsecis. Veros autem Christianos in particulari, & seorsim sumptos, discernimus ex eo, quia profitentur doctrinam ab Ecclesia propositam, & infallibiliter declaratam, adeoque potius per auctoritatem Ecclesie, quam profitentur, & de qua antecedenter constare debet, quam per doctrinam. Ad 2. Si aliunde certò constat, quòd doctrina sit falsa. C. A. Secus. N. A. & sub eadem distinctione Conf. Si de doctrina evidenter & apertè constaret, quòd sit vera & Apostolica, tunc utique ex ea posset discerni vera Ecclesia; cum autem de ipsa non certò constat independentè ab auctoritate Ecclesie (multò minùs evidenter) esse non potest nota veræ Ecclesie, utpote non notior suo significato. Ad 3. N. A. Doctrina sola Apostolorum non erat nota veræ Ecclesie, sed ut vestita & firmata miraculis, prophetijs, aliisque signis credibilitatis; propter cujusmodi signa etiam moderna Ecclesia creditur, & dignoscitur esse vera; per Ecclesiana autem explicantem primum dignoscitur vera doctrina.

Dices. Per eandem notam cognoscitur vera Ecclesia, per quam cognoscitur verus Doctor: sed verus Doctor cognoscitur, & discernitur à falso per veram doctrinam: ergo & vera Ecclesia per veram

doctrinam purè prædicatam. R. Dist. Ma. Per quam cognoscitur verus Doctor, qui docet res obscuras & infallibiliter. C. Ma. Qui docet res evidentes, vel obscuras solùm probabiliter. N. Ma. & Dist. Mi. Sed verus Doctor cognoscitur per doctrinam, evidenter veram, vel obscuram quidem, quam tamen docet infallibiliter. C. Mi. Si tradit doctrinam obscuram, & solùm probabiliter. N. Mi. & C. Doctrina veræ Ecclesiæ est obscura, nec evidenter vera, & quoad nos neque infallibiliter vera, seu cognita ut vera, nisi per auctoritatem Ecclesiæ: ergo de hac prius debet constare.

6. Ob. 2. Nulla est certior nota alieujus rei, quam id, quod essentialiter ipsi competit, & quidem soli, ac semper; cum nota essentialis debeat esse proprietas rei quarto modo, uti risibilitas respectu hominis: sed pura Verbi Divini prædicatio essentialiter competit veræ Ecclesiæ, & quidem soli, ac semper: ergo. R. Dist. Ma. Si illud sit etiam notius quoad nos. C. Ma. Secus. N. Ma. Est prima & necessaria dos bonæ notæ, ut sit notior, quam res, quam denotat, & ut signum sit clarius ac manifestius suo significato, ut patet evidenter; nam ineptus est, qui ignotum vult probare per aliud æquè, vel magis ignotum. Sic etiamsi rugibile sit de essentia leonis, & risibile proprietas essentialis hominis, tamen nec per rugibile leonem, nec per risibile hominem dignosco, nisi rugibile, vel risibile (quæ æquè mihi ignota sunt, ac leo & homo) per effectus & operationes accidentarias se

prodat, nempe per rugitum, per risum &c. Hoc argumentum sortè procederet, si Ecclesia constaret ex meris Angelis, qui essentias rerum intuitivè cognoscunt, & discernunt: hominibus verò in hac vita necessarium est essentias rerum indagare per effectus & proprietates, quæ incurrunt in sensus.

Dices. Per illud aliqua res optimè distinguitur ab alijs, per quod constituitur: sed vera Christi Ecclesia constituitur per veram doctrinam: ergo. R. Dist. M. Optimè distinguitur ab alijs in se & quoad se. C. M. Quoad nos. N. M.

7. Ob. 3. Scriptura S. est notior quam Ecclesia: ergo & doctrina vera, seu purè prædicata: ergo nihil obstat, quò minus doctrina, purè prædicata, sit nota veræ Ecclesiæ. M. prob. vera Ecclesia probatur ex Scriptura juxta S. Augustinum l. de unit. Eccl. ubi dicit: *Nolo hominum documenta, sed Divinis Oraculis S. Ecclesiam demonstrari.* R. N. M. Nam de Scriptura constare sufficienter non potest nisi per auctoritatem & declarationem Ecclesiæ, ut demonstratum est in *Lutheranismo constanter errante* & supra de Scriptura. Ecclesia insuper existit ante Scripturam S. Augustinus contra Donatistas, qui Ecclesiam solà Africā arctatam esse volebant, rectè processit, petendo ab ipsis, ut ex Scriptura S. id clarè probent; cum Scriptura sæpius doceat clarè oppositum, scilicet veram Ecclesiam debere esse diffusam per totum orbem, ad eam convertendas omnes gentes &c. Adeoque Scriptura ipsa docet, Universalitatem, & Conver-

versionem Gentium, esse notas verae Ecclesiae.

Dices: Si ex Scripturis probentur notae & signa verae Ecclesiae, tunc Scripturae sunt notiores ipsis notis, adeoque & Ecclesia ipsa: ergo. R. Ex Scripturis non possunt probari notae & signa verae Ecclesiae, nisi facta hypothesi, quod sint Scripturae jam acceptatae, & aliunde admittantur, ac insuper clare loquantur. Simpliciter autem ipsae probari debent ex auctoritate Ecclesiae.

8. Ob. 4. Quaecunque Ecclesia habet sinceram Verbi praedicationem, & legitimam Sacramentorum administrationem, illa est vera: sed Ecclesia Lutherana habet sinceram praedicationem Verbi, & legitimam Sacramentorum administrationem: ergo est vera Ecclesia. Ita Gerardus n. 145. M. prob. Varijs textibus. v. g. *Ovis mea vocem meam audiunt.* Joan. 10. *Mundans eos*

*lavacro in verbo vite.* Eph. 5. *Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Jo. 15. *Evangelium virtus DEI est in salutem omni credenti.* Rom. 1. R. 1. C. M. sed N. ejus suppositum, quod Ecclesia vera dignoscatur ex praedicatione Verbi, ex collatione Baptismi, & Sacramentorum, tanquam ex notis; id enim neque textus, in utiliter (ut fieri amat à Lutheranis) cumulati, probant, sed ad summum, ibi esse Ecclesiam veram in se (non quoad nos, seu cognitam ut veram) ubi pure praedicatur Verbum, & recte administrantur Sacramenta, quod ultro fatemur; cum utique sit eadem quaestio, ubinam sit vera Ecclesia, & ubinam sit pura Verbi praedicatione &c.? Sed R. 2. N. m. absolutissime, cum sit nugatoria principij petitio, & quam omnes Sectarij ac Heretici pro se eodem jure formare possunt.

## ARTICULUS II.

*Examinantur tres aliae notae, quas superaddit M. Lomer.*

### SUMMARIUM.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1. Primam ex suis notis proponit M. Lomer, petitam ex gloria DEI. Simulque inchoatur responsio nostra.</p> <p>2. Proponit alteram, ex solatio morientium fabricatam. Simulque iterum inchoatur nostra responsio.</p> <p>3. Proponit tertiam, ex via securitate desumptam. Et rursus inchoatur nostra refutatio.</p> <p>4. Lutherana Secta non in omnibus</p> | <p>suis dogmatis maxime &amp; uni<sup>o</sup> spectat gloriam DEI.</p> <p>5. Nec tentatis &amp; morientibus dat optimum solatium, ut fuse &amp; evidenter demonstratur.</p> <p>6. Nec in omnibus articulis tenet viam securissimam.</p> <p>7. Misera M. Lomeri responsio, &amp; infausa.</p> <p>8. Nota Lomeriana omnibus vel sal-</p> |
|---|--|

tem pluribus hereticorum sectis communes sunt.

9. Frustra conantur Adversarij sua in particulari justitias & salutis

certitudinem absolutam invenire in Scriptura S.

10. Frustra in morte & merito Christi.

I. Sciendum 1. M. Godesfridum Lomer primam, quam duabus jam refutatis notis adjungit, in favorem Ecclesie Lutheranae sic proponere: *illa est vera Ecclesia, que in omnibus suis dogmatibus maxime & unice spectat gloriam DEI: sed Evangelica (Lutherana) in omnibus suis dogmatibus maxime & unice spectat gloriam DEI: ergo est vera Ecclesia.* *Saur, Brunnen, Cur p. 389.* Major videtur Lomero legitima & innegabilis. Si tamen eam formasset Catholicus, fortassis iterum foret ipsi suspecta tanquam sophistica, identica, & petitio principij, uti per incredibilem inscitiam, non sine stupore peritorum, nuper in libello cit. disc. 11. pag. 173. *Majorem* hujus Syllogismi à R. P. Casp. Mändl in folio propositi pro identica & petitione principij habuit: *Religio, qua credit hereses, ab Ecclesia primorum 4. seculorum damnata, est falsa Religio: atqui Lutherana credit hereses, ab Ecclesia primorum 4. seculorum damnata: ergo est falsa Religio.* Hunc Syllogismum ait similem esse huic: *Religio multum falsa est falsa: Lutherana est Religio multum falsa: ergo est falsa.* M. Lomer! estne hæc illa peritia Logicalis, & ars faciendi & tractandi Syllogismos, quam jactas p. 167. etiam apud vos reperiri, dicens: *Dasi wir auch mit dem Ergo umgehen oder Syllogismos machen können? Si Major*

Mändliana est petitio principij, & propositio identica, tunc ideo, quia Religio falsa, & Religio credens hereses realiter, ut loquimur, sunt idem; hæc enim videtur esse ratio M. Lomeri, & certe alia assignari nequit. Jam verò si identitas realis inter subjectum & predicatum facit propositionem identicam, & petitionem principij, impossibilis est ulla vera propositio affirmativa Categorica, quæ non sit petitio principij; cum in omni propositione affirmativa Categorica vera necessario à parte rei & objective idem sint subjectum & predicatum. *scilicet!* Dein Syllogismus, quem subjungit M. Lomer, ac similem dicit Mändliano, imprimis non est similis, quia in Mändliano termini non sunt formaliter iidem, nempe *docens hereses, & falsa*, licet realiter dicant idem: e contra in altero Syllogismo termini saltem inadæquatè sunt formaliter iidem, nempe *multum falsa, & falsa*. Dein etiam iste alter Syllogismus bonus est, neque petitio principij, sed procedit à *Majore ad Minus*; evidens enim est, Religionem illam, quæ multum falsa est, esse simpliciter falsam; sicut evidens est, cum, qui valde est doctus, esse simpliciter doctum, qui habet 15. crucigeros, etiam habere 8. 3. 1. crucigerum. Ego igitur erga M. Lomer volo esse liberalior, & concedo, Syllogismum, quem fecit, esse bonum quoad formam, non verò quoad materiam;

riam; cum *Minor* sit falsissima, cujus falsitatem demonstrabo in assertione prima postea ponenda. *Majorem* limito, & dico, illam Ecclesiam esse veram, quæ maximè & unice (ultimatò) spectat gloriam Dei in omnibus, & quidem eo modo, quo Deus vult: nam vera Ecclesia immediatè non tantùm gloriam Dei, sed etiam spectare debet salutem hominum (licet hanc ultimatò referre debeat ad Dei gloriam) item spectare & promoveri debet, gloriam Dei omni & solo illo modo, quem Deus sibi gratum esse nobis revelavit.

2. Sciendum 2. Alteram notam à M. Lomer ita statui p. 390. *illa Religio est vera, quæ per suos articulos tentatis & morientibus optimum dat solatium ad tranquillandam conscientiam: sed Religio Evangelica (Lutherana) per suos articulos tentatis & morientibus optimum dat solatium: ergo est vera Religio.* In hoc argumento iterum *Minor* est falsissima, sicut in præcedenti, possitque optimo jure dici petitio principij, cum supponat id, quod est in questione, sicut & *Minor* præcedentis argumenti; sed hoc dissimulato ejus falsitatem luculentè ostendam in assertione 2. sequente. Hic iterum limito *Majorem*: illa Religio est vera, quæ maximum tribuit solatium &c. verè, ex solidis fidei principijs, faciendo spem firmam & prudentem, aut certitudinem etiam moralem. T. M. quæ maximum dat solatium &c. falsò, imprudenter, ex nullis, vel saltem infirmis fundamentis, faciendo temerariam præsumptionem, & certitudinem Metaphysicam fingendo. N. M. Posterjori modo se

R. P. Pichler Theol. Polemica,

habet Religio Lutherana, ut deinde docebo.

3. Sciendum 3. Tertiam notam Lomerianam reperiri p. 411. in hunc modum expositam: *illa est vera Ecclesia, quæ in omnibus fidei articulis tenet viam securissimam: sed Ecclesia Evangelica (Lutherana) tenet viam securissimam in omnibus fidei articulis: ergo est vera.* In hoc argumento *Majore* est valde imperfecta, versatur enim in itinere, & nescit, quò tendat: *quæ viam tenet securissimam*, ait: sed quò? An ad cælum, vel ad infernum? Ad Deum, vel diabolum? *Minor* est rursus falsissima, ut luce meridiana clariùs patebit ex assertione 3. Interim noto, *Minorem* & ejus probationem, quæ dicit, viam securissimam esse niti unice Verbo Divino in Scripturis revelato, esse iterum petitionem principij, & supponere id, de quo est maximalis & questio. Deinde adverto, hanc notam, uti & præcedentes duas, serè coincidere cum nota pura prædicationis Verbi, jam rejecta in art. præcedente, cum omnes nihil aliud re ipsa sint, quàm doctrina Scripturæ, quam omnes hæretici semper adhibebant ad probandam suam sectam: imò & diabolus adhibuit contra Christum, cum eum tentaret. Unde jam suprâ istæ notæ Lomerianæ rejectæ sunt implicite & quoad rem ipsam, utpote falsis sectis applicabiles, & non notiores Ecclesiâ. Nihilominus tamen ulterius

4. Dico 1. Lutherana secta non in omnibus suis dogmatis maximè & unice spectat gloriam Dei. Probatur evidenter, asserendo aliqua ejus dogmata, præsertim

Sf

præsertim

praesertim circa illas materias, in quibus Lomerus suam *Minorem* probare volebat. Itaque Lutherana secta docet 1. Hominem non esse liberum, nec habere vires, ut possit credere, Deum amare, poenitentiam agere &c. ergo si hos actus omittit, vel non peccat; vel si peccat, Deus est auctor peccati, infidelitatis, impenitentiae &c. 2. Deum praecipere impossibilia, & tamen transgressores punire aeterna & terribili poena. 3. Christum esse mediatorem inter Deum & hominem secundum Naturam Divinam. 4. Sanctos in caelo, dilectos Dei amicos, non posse cultu sacro seu religioso. 5. Hominem justificari sola fide. 6. Peccata non tolli per Baptismum & poenitentiam, sed solum regi, & non imputari, licet maneant in anima. 7. Substantiam panis & vini manere cum Corpore Christi, ut adeo sensus verborum Consecrationis non sit amplius *hoc*, sed: *hic* (adverbialiter) *est corpus meum*, seu in hoc loco. 8. Nullum dari verum & proprie dictum Sacrificium in Nova Lege &c. &c. Atqui haec & similia dogmata evidenter non spectant gloriam Dei: sed potius blasphema sunt, Deoque injuriosa, ejusque cultum minuunt; siquidem 1. facit Deum auctorem peccati. 2. Imprudentem & tyrannum. 3. Christum qua Deum deprimat infra Patrem. 4. Deum & Christum privat cultu, quo coluntur in Sanctis suis. 5. Aperit latam portam omnibus sceleribus, & offensis Dei, studiumque charitatis Divinae ac aliarum virtutum extinguit. 6. Deum facit amare & salvare peccatores re ipsa & in

se adhuc maculatos. 7. Verba & proprietatem verborum Christi corrumpit. 8. Praecipuum Religionis, quo Deus maxime colitur, actum tollit &c. &c. Estne hoc unice & maxime spectare gloriam Dei? Vide p. 267. seqq. plura in hanc rem.

Dico 2. Lutherani non possunt esse certi certitudine fidei & absoluta de sua justitia, & salute aeterna. Adeoque Lutherana Religio testatis & morientibus non dat optimum solatium; quia hoc consistit in illa metaphysica certitudine, ac fiducia absoluta, seu fide speciali de sua justitia & salute, ut M. Lomer clarius se explicat p. 502. *sesten Abfertigung*.

Probat 1. Illud non potest credi fide Divina, certa, speciali, & absolute, quod a Deo non est absolute & in particulari revelatum: sed Lutheranis (& ordinariè nulli hominum) absolute & in particulari non est revelatum a Deo, quod sint justii, & salvi futuri: ergo. Ma. est clara, Min. probatur evidenter tum negative; quia Lutherani nullum possunt adducere textum ex tota Scriptura S. in quo alicui in particulari & absolute promissa sit a Deo justitia & salus aeterna: tum positive, asserendo textus, qui tantum *in genere*, & *sub certis conditionibus* fidei, charitatis, poenitentiae, conversionis ad Deum ex toto corde &c. justitiam & salutem promittunt (quae tamen conversio ex *toto corde* Lutheranis videtur impossibilis) Tales textus sunt: *Cum quaesieris Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quaesieris, & tota tribulatio-*

no anime tuae. Deut. 4. v. 29. Si con-  
versus in corde suo egerint penitentiam,  
& reversi fuerint ad te in toto corde  
suo, & in tota anima sua, in dimit-  
tes populo tuo &c. 2. Paral. 6. v. 36.  
seqq. Nunc autem reconciliavisti in  
corpore carnis ejus per mortem, exhi-  
bere vos sanctos, & immaculatos, &  
irreprehensibiles coram ipso; si tamen  
permanetis in fide, fundati & stabiles.  
Coloss. 1. v. 22, 23. Qui diligit me,  
diligetur à Patre meo. Jo. 14. Qui  
habet mandata mea, & servat ea, ille  
est, qui diligit me. Ibidem. Ergo  
promissiones sunt tantum genericæ &  
conditionatæ.

Confirmatur 1. Scriptura S. potius  
docet oppositum, nimirum neminem  
(de via ordinaria) esse certum, an sit  
justus, an salvandus. v. g. *Quis potest dice-  
re, mundum est cor meum, purus sum à  
peccato?* Prov. 20. v. 9. *Sunt justi at-  
que sapientes, & tamen nescit homo,  
utrum amore, an odio dignus sit.* Eccl.  
7. v. 1. *Delicta quis intelligit? ab occul-  
tis meis munda me.* Pl. 18. v. 13.  
*Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc  
justificatus sum.* 1. Cor. 4. v. 4. *Cum  
metu & timore salutem vestram ope-  
ramini.* Phil. 2. v. 12. *Tu autem  
fide stas, noli altum sapere, sed time.*  
Rom. 11. v. 20. *Qui se existimat stare,  
videat, ne cadat.* 1. Cor. 10. v. 11.

Confirmatur 2. Exemplo virorum,  
qui à toto Orbe Christiano semper  
habiti sunt pro sanctissimis, ut erat  
David, Job &c. item Paulus, Hi-  
larius, Bernardus &c. qui timebant  
à judicij Divinis, ac de sua justitiâ &  
salute erant admodum solliciti. Ne-

& P. Pichler Theol. Palen. 68.

cum alijs predicavero, ipse reprobus ef-  
ficiar. Dicebat Paulus 1. Cor. 9. v.  
27.

Confirmatur 3. Textus Scripturæ,  
quibus Lutherani probant, se justifi-  
cari per fidem & salvari, plerumque  
sonant præcisè fidem mysteriorum de  
Christo, non autem fidem fiducialem,  
multò minus certissimam & absolutam  
spem. Quis autem dicat, hominem  
certò justificari per fidem mysteriorum  
de Christo, & salvari? Certè Judas  
habuit hanc fidem, imò & terrorem  
de peccato (in quibus consistit peni-  
tentia juxta Lutheranos) dum ante su-  
spendium dixit: *Peccavi tradens san-  
guinem justum.* Mat. 27. & tamen nec  
justus nec salvus factus est.

Probatum 2. ex ratione multiplici.  
1. Lutherani vel creduat absolute  
quòd sint justus, & certò salvandi, quid-  
quid fecerint; vel conditionatè, scilicet  
si fecerint ea ritè, quæ requiruntur ad  
justitiam & salutem? Si prius; manifestè  
desipiunt contra claram Scripturam,  
quæ requirit fidem supernaturalem,  
charitatem Dei, dilectionem proximi,  
dolorem de peccato &c. si posterius;  
tunc eo ipso non possunt credere cer-  
tissime & fide Divina; quia ipsis reve-  
latum in particulari non est, an ea om-  
nia ritè fecerint. 2. Lutherani vel  
jam sunt justus, cum incipiunt credere,  
se esse justos, vel tunc non sunt justus?  
Si prius? non justificantur per fidem,  
utpote jam antecedenter justus: si poste-  
rius; justificantur per fidem falsam, &  
per mendacium: credere enim se esse  
justum, cum nondum sit, est falsum, vel  
se ipsum fallere: quomodo ergo Luthe-

562

caus

rani possunt esse certi certitudine fidei de sua iustitia, consequenter & de salute? Neque dicas, in eodem instanti, quo incipiunt credere, fieri iustos, fidem tamen esse in priori signo naturæ ad iustitiam. Sic enim daretur mutua prioritas; nam fides juxta te est prior naturâ ad iustitiam; ac iustitia vicissim est prior ad fidem, quia est objectam materiale fidei. 3. Hæc certitudo affectata, & præsumptuosa fiducia facit homines insolentes, petulantes, & ducit ad omnem laxitatem ac vitia, utpote jam certos de salute, remissione peccatorum &c. quomodocunque vivant, modò interim fortitet credant, sibi esse remissa peccata propter Christum, sèque fore salvos: ergo non potest dari talis certitudo, utpote valde minuens gloriam Dei, quæ ex studio vitæ bonæ hominum aliàs redundaret in eum.

Probatur 3. ex principijs Lutheranorum. Fides justificans & salvifica juxta ipsosmet debet esse supernaturalis propter gratiam ex meritis Christi, sine qua nihil possumus ad salutem conducibile, item conjuncta cum vera dilectione, vera penitentia, & juxta plerosque cum bonis operibus; aliàs enim non est vera fides, ajunt, si non *operetur per charitatem*. Gal. 5. v. 6. Atqui Lutherani non sunt certi Metaphysicè, & certitudine fidei, quòd habeant fidem supernaturalem (cùm supernaturalitas & spiritualitas per species proprias à nemine possit clare cognosci & discerni, utpote transcendens vim hominis cognoscitivam merè naturalem & sensibilem) aut fidem conjun-

ctam cum vera dilectione &c. cùm hæc iidem debeat esse supernaturalis, & necessariò supponat observationem mandatorum Dei, quæ juxta ipsos est impossibilis: ergo. Confirmatur. Ponamus morientem peccatorem, qui in agone credat, se esse justum & fore salvum; quomodo talis potest esse certus de sua iustitia & salute per suam fidem, quam nescit esse veram, & talem, quæ operatura esset per charitatem, superviveret. Si verò ad obtinendam iustitiam præter fidem statim requiratur charitas, falsum est ipsorum principium, quòd homo per solam fidem iustificetur & salvetur.

Probatur 4. Lutheranis non est certum Metaphysicè, quòd sint verè renati seu ritè ac validè baptizati; cùm id tantùm intelligant fide humana, quia scilicet asserunt parentes, cognati &c. qui non tantùm decipere, sed etiam ipsi poterunt decipi, putantes adhiberi verum Baptismum, cùm tamen fortè, quod accidere potuit, aliquid ex essentialibus defuerit. Atqui sine Baptismo nemo potest esse justus, & salvari; nemo nisi verè renatus potest placere Deo, & particeps fieri meritorum Christi; nemo nisi ritè baptizatus est in Ecclesia Christi, extra quam nulla est salus: ergo Lutherani non possunt esse Metaphysicè certi de sua iustitia & salute.

Probatur 5. Et quæro ex Lutheranis, unde habeant Metaphysicam fidei certitudinem de sua iustitia & salute? 1. An ex promissionibus Divinis? Sed istæ non sunt factæ ulli ipsorum in particulari, & absolute, sed in genere omnibus sub certis conditionibus, si ritè credi-



derint, verè dilexerint; dignam pœnitentiam egerint; validè baptizati sint &c. de quarum conditionum purificatione nulli ipsorum est facta particularis promissio. 2. An ex meritis Christi? Sed Christus meritis & mortuus est pro omnibus; an igitur dicent, omnes omnino homines de sua iustitia & salute esse certissimos? 3. An ex fide firma in meritis Christi? Sed revelatum nulli ipsorum est, quòd habeant veram fidem supernaturalem, & vivam, quæ operetur per charitatem: imò Lutherani putant, quòd non possint tam perfectè credere, & Deum amare, quam perfectè tamen ipsis præcipitur sub peccato gravi; peccant igitur graviter etiam credendo & amando: quomodo ergo peccando graviter possunt certificari de sua iustitia & salute? 4. Unde sciunt certò, se ante obitum acturos veram pœnitentiam, & morituros sine peccato sibi imputato, nec subita morte in peccatis opprimendos? Unde illi, qui se credunt justos, certissimè sciunt, se in iustitia hac perseveraturos usque ad extremum spiritum? Quamvis enim dentur promissiones Divinæ, ex se certissimæ, tamen sunt conditionatæ, ut fatetur M. Lomer p. 517. *fortgesetzt. Abfert.* nostramque cooperationem liberam cum gratia Dei supernaturali requirunt, quam Deus dat tentatis, ut faterur idem p. 181. *Saur. Brunnen.* Cur (notetur hic incidenter, quomodo Lomerus circa libertatem sibi contradicat; hic enim admittit liberam cooperationem hominis in spiritualibus rebus internis, negat autem p. 217. *fortgesetzt. Abfert.*

*figung*) Quomodo ergo fide Divina certi sunt certitudine absoluta (conditionatam enim, quam nos Catholici admittimus, rident, utpote qua semper nos facit dubitare, ut ajunt, de nostra salute) de sua cooperatione libera, de perseverantia, de salute?

Ad ejusmodi quaesita M. Lomer p. 522. seqq. & p. 512. *fortgesetzt. Abfert.* tam miserè responder (imò non responder, cum semper petat principium) ut quilibet, nisi sponte cæcus sit, videat vanitatem responsi, ac miretur, quomodo homines cateroquin prudentes ita dementari possint, ut firmissimè credant, ac certissimos se cogere velint de sua iustitia ac salute. Qua securitate noxia sopiti negligunt media ad salutem necessaria, Sectam suam vel ex hoc capite amaro incipiunt, sicut qui amant eos, qui sibi semper lata & prospera nuntiant, utut falsissima sint. Dixi *dementari* (ignoscant mihi duriusculum verbum) vix enim in alia re magis & apertius delipere ac decipi Lutheranos existimo, quam in hac spuria, affectata, præsumptuosa, perniciosa, ac sponte ficta certitudine. Si *absolutè* sunt certi, quare suos, præsertim moribundos, adeò hortantur ad credendum, perseverandum &c.? Ergo hoc ipso nec sibi ipsis videntur absolutè certi de sua perseverantia & salute.

Dico 3. Lutherani non in omnibus articulis tenent viam securissimam. Probatur evidenter. Si in omnibus tenerent viam securissimam, tunc ideo, quia in omnibus sequuntur Verbum Divinum in SS. Scripturis revelatum; hæc enim est unica ratio, quam assert M. Lomer,

mer, & unica credendorum regula apud Lutheranos & alios Sectarios ac Hæreticos. Atqui imprimis non in omnibus sequuntur Verbum Divinum in SS. litteris expressum; deinde non sufficit tantum sequi Scripturam seu Verbum Dei scriptum, sed necessarium debet etiam admitti Verbum Dei non scriptum, per Ecclesiam nobis non minus loquentis quam per Scripturas: ergo. *Minor* habet duo membra, primum probare hic nimis longum foret, cum tangat omnes materias particulares, ideo hic securè supponi potest tum ex dictis tum ex dicendis: ut tamen in uno vel altero articulo paradigma habeas, quomodo in omnibus articulis Lutherani sequuntur Scripturam S. lege iterum & expende præcedentes duas conclusiones. Alterum membrum fusè & luculentè demonstravi in thesibus præcedentis anni, quibus titulus *Lutheranis fœsus constanter errans in primis fidei principijs*, & supra de Scriptura; ubi evidentè ostendi necessitatem Traditionum, & simul quòd Lutherani, aut alij Apostata, nunquam ex ullo solido & infallibili fundamento probare possint sine Verbo Dei non scripto, seu sine auctoritate & traditione Ecclesiæ 1. dari aliquam Scripturam S. inspirante Deo conscriptam. 2. Eam his, & non alijs, libris & capitibus esse comprehensam. 3. Eam esse adhuc puram & integram. 4. Legitime versam à Luthero in idioma Germanicum. 5. Illius sensum genuinum, & legitimam interpretationem. 6. Nihil esse credendum & faciendum, nisi SS. litteris expressum, aut inde per claram consequentiam in

particulari materia deductum sit. Hæc autem omnia nisi probaverint efficacissimè argumento certo & infallibili (quod repudiata Ecclesiæ auctoritate prorsus impossibile est) nullibi securum pedem figere, nullam fidem Divinam & certam elicere possunt, similesque sunt ijs, qui uno pede ambulare, aut unâ alâ niterentur volare.

Conatus quidem est M. Lomer p. 312. seqq. *Saur, Brunnen*. Cur ad unum vel alterum ex his punctis respondere; sed ita, ut longè meliùs sibi consilium sibi omitendo. Postquam enim crasso mendacio mihi affinxit, quasi docerem, nec Spiritum internum, nec interna vel externa ipsius Scripturæ critiria, *una cum testimonio Ecclesiæ, auch mit Einschließung des Zeugnißes der Kirchen*, simul sumpta non sufficere ad probandum, an, & quanam Scriptura sit Verbum Divinum (cum tamen ego prorsus oppositum doceam, scilicet Ecclesiæ testimonium esse efficacissimum, ex omnibus unquè convincens, ac infallibiliter docens, an & quanam Scriptura sit purum Dei verbum, ut pag. 310. præcedente M. Lomer hæc mea verba citans apertè fateatur ipsèmet.) Postquam, inquam, crasso mendacio mihi affinxit, ac simul sibi intra duas paginas apertè contradixit, me fugillat, quasi nimis obiter transiliissem allata ab ipso critiria, præsertim quartum ex internis, quod sunt *vaticinia*, in Scripturis reperta de rebus, antequam fierent, longo tempore prædictis. Quam vaticiniorum de rebus futuris adimpletionem videtur ceteris omnibus præferre, ac habere pro suffi-

cienti

cienti argumento ad probandum, an & quanam Scriptura sit Divina.

At prorsus infirmo totam fidei suae machinam fundamento inadi leuam vaticinia impleta pro præcipuo Scripturæ, totius credendorum regulæ, argumento statuit. 1. Quia sic ex catalogo librorum Canonicorum expungere debet integra volumina, & capita, præsertim Novi Testamenti, nimirum quatuor Evangelia, epistolas Apostolicas, actus Apostolorum &c. cum in his, saltem plerisque, vel nulla, vel non nisi paucissima (in uno vel altero capite) vaticinia de rebus futuris (& jam impleta) reperiantur. 2. Quia, quod vaticinia de rebus futuris postea impleta sint, plerumque solum constat ex traditione Ecclesiæ; si vero Scriptura v. g. Novi Testamenti testetur, vaticinia esse impleta v. g. de Christo, de ipsa hac Scriptura, id restat, constare non potest, nisi ex auctoritate & traditione Ecclesiæ. 3. Quia vaticinia Scripturæ multa ita obscura sunt, ut sine auctoritate Ecclesiæ nesciatur, an impleta jam sint, vel deinceps primum implenda, utrum propheta de rebus futuris vaticinatus sit, an præsentia, vel præterita descripserit, eò quod Prophetæ frequenter utantur Tempore præterito, vel præsentis, dum futura prædicunt. 4. Si aliqua sint clariora, v. g. de Christo; iterum sine traditione Ecclesiæ nobis constare non potest, an ejusmodi vaticinia, adeo clara de Christo, non primum scripta sint à Christianis, postquam ea contigisse conspexerunt, ut eos arguebant Gentiles. 5. Quia donum prophetiæ est gratia gratis data, & concedi etiam potest alijs,

non scribentibus libros Canonicos, usque concessa fuit Sybillis, Ethnicis virginibus. Et quæso nunquid in Ecclesia reperiantur aliqui libri (v. g. Malachia prædicentis futuros Pontifices, vita S. Xaverij &c.) complura vaticinia jam impleta continentes: Imò Lutherani simpliciores putant, in libris Lutheri reperiri aliquas prophetias jam impletas; an propterea M. Lomer hos libros habebit pro Canonicis & Scriptura S. 6. Quia ipse Lomerus p. 425. faretur, etiam falsos prophetas subinde prædixisse futura, nec propterea cerum, in quo vixerunt, veram fuisse Ecclesiam; Deumque ab his cavere voluisse Deut. 13. 1. seqq. Et Christus attendere nos jubet à falsis Prophetis. Mat. 7. Si igitur vaticinia non infallibiliter probant veram Ecclesiam juxta Lomerum, cur probent existentiam & veritatem Scripturæ? Hæc incidenter; non enim hic & nunc animus est refutare tractatum Lomeri, sed solum ostendere, quam infeliciter ipsi cesserit jactus, quo meum libellum impetere conabatur, ac simul demonstrare, Lutheranos non in omnibus fidei articulis securissimam tenere viam, cum de ipsius Scripturæ existentia, veritate, canone, integritate, puritate, versione, ac vel maxime de sensu & interpretatione neutiquam securi sint, & consequenter nec de illo alio articulo; eò quod nihil credendum putent, nisi in Scripturis expressum, aut clarè indè deductum sit.

Denque observo, has additias tres vera Ecclesiæ notas, quas statuit M. Lomer, communes esse omnibus, vel saltem compluribus Sectarijs & Hæreticis

cis. Eodem enim jure, quo Lutherani, dicere possunt, nec minoribus argumentis probare Calvinista, Zwingliani, Novatiani &c. se in omnibus dogmatis maximè & unicè spectare gloriam Dei, firmissima fide credere, se esse prædestinatos, justos, & certò beandos propter merita Christi, atque securissimam tenere in omnibus articulis viam, eò quòd soli Scripturæ ritè intellectæ innitantur. Quales igitur hæc sunt notæ, quæ etiam falsis Sectis communes sunt?

9. Ob. 1. Contra 2. assertionem ex Scriptura. *Ipsè Spiritus reddit testimonium Spiritui nostro, quòd sumus filij DEI.* Rom. 8. v. 16. *Certus sum, quia neque mors, neque vita &c. neque creatura alia poterit nos separare à charitate DEI.* v. 38. 39. *Scimus, quoniam ex DEO sumus. Qui credit in filium DEI, habet testimonium DEI in se.* Jo. 5. *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam.* 1. Joan. 3. Ergo veri fideles possunt esse certi ex particulari testimonio interno de sua justitia & salute. R. 1. Antequam Lutherani hæc & alia probare aggrediantur ex Scriptura, prius infallibiliter doceant, quòd textus, quem citant, sit Verbum Dei, purum, incorruptum, & tum quòd penes ipsos sit pro libitu suo eum interpretari relicta interpretatione Ecclesiæ: alias nihil unquam efficient, sempèrque errabunt in principijs fidei ac in supposito, quòd negari semper potest à Catholicis. R. 2. N. C. & explico textus. Ad 1. dico, Spiritum S. solùm testari conditionatè, si nempe, ut oportet, *clamamus Ab-*

*ba, Pater, vel si compatimur*, ut expressè additur v. seq. Vel dico, testimonium internum Spiritus S. de nostra justitia &c. esse quidem certum in se, ordinariè tamen non quoad nos, præsertim cum certus ordinariè nemo sit, an instinctus sit testimonium Spiritus S. an Angeli mali, transfigurantis se in Angelum lucis, an dictamen naturæ, vel sensualitatis. Quocirca monemur: *Nolite omni Spiritui credere, sed probate Spiritus, si ex DEO sint.* 1. Jo. 4. Ceteri textus, & alij similes intelligendi sunt non de certitudine fidei, & metaphysica, sed de morali, aut conjecturali, quas habere possumus de nostra iustitia, & salute. Aut intelligendi sunt de certitudine, se tenente ex parte Dei & gratiæ efficacis, aut de quibusdam, ex speciali revelatione id cognoscentibus, eujusmodi privilegia aliquibus insigniter sanctis à Deo concessa leguntur. Adde, quòd pro tò *certus sum* in textu S. Pauli legant *confido SS.* Ambr. & Hieron. Præterea tò *certus sum* potest indicare ingentem fervorem & animositatem Pauli, qua paratus fuit omnia potius perdere, quàm à Deo separari; & ad ejusmodi dispositionem animi (licet quoad intensionem ea major vel minor esse queat) tenentur omnes peccatores verè penitentes, quippe dolor verus de peccatis, ad Sacramentum Pœnitentiæ requisitus, ejusmodi propositum saltem in gradu remisso debet involverè.

Dices. Si Spiritus S. loqueretur nobis in corde, ita ut nos non certò cognosceremus ejus vocem, & quid nobis testaretur, censeretur nugari; quòd  
vel

vel cogitare blasphemum est. R. Spiritus S. potest nobis loqui, prout vult, scilicet vel clarè, ut certò cognoscamus ejus vocem, vel obscurè, ita ut tantùm conjecturaliter vel morali certitudine nobis constet, an & quid nobis loquatur. De facto solet nobis in particulari loqui ordinariè modo posteriori, ut patet ex nostris probationibus.

10. Ob. Hoc ipso, quòd Christus sit mortuus pro omnibus universaliter, quilibet in particulari potest credere, etiam pro se esse mortuum: ergo etiam hoc ipso, quòd Deus universaliter promiserit omnibus in Christum credentibus justitiam & salutem, etiam quilibet in particulari potest credere, se esse justum & fore salvum. R. N. C. & parit. Christum absolutè pro omnibus fuisse mortuum, patet ex Scriptura: atqui omnibus absolutè promissam esse justitiam & salutem, non patet, imò promissam esse solùm conditionatè seu sub certis conditionibus, ex Scriptura docuimus.

Dices. Conditio implenda præcipuè est fides & dilectio, eaque supernaturalis: sed de hac conditione impleta possumus habere certitudinem experimentalem, quia experimur in nobis actum fidei, charitatis Dei, odium peccati, pugnam adversus carnem, victorias contra tentationes, desiderium amplificandi gloriam Dei, aviditatem caelestis patriæ, gaudium in adversis, propter Christum toleratis &c. Quæ tanquam boni effectus & fructus certissimè indicant bonam radicem, bonam arborem, scilicet veram ac vivam fidem, charitatem formatam. R.

R. P. Pichler Theol. Polemica.

Quamvis experimentaliter cognoscamus, nos habere aliquam fidem, charitatem &c. non tamen experimentaliter & reflexè cognoscimus supernaturalitatem horum actuum, sed infima eorum prædicata solùm probabiliter vel ad summum moraliter cognoscimus. *Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Job. 9. vers. 21. Ex illis autem pijs motibus animi & operationibus pariter non major, quàm conjecturalis, vel ad summum morali certitudo nascitur, tum quia etiam verè credentes non semper illos experiuntur, tum quia experiiri possunt etiam scelerati & infideles, uti Turcæ; nam ipsa anima rationalis naturaliter amat virtutem, vitia verò detestatur & improbat. Adde, quòd etiam Turcæ & alij infideles possunt & soleant multos actus *moraliter* (non supernaturaliter, quòd prædicatum à nobis discerni & certò deprehendi non potest) honestos elicere; quamvis sine gratia supernaturali non possit elici opus supernaturaliter bonum, & ad salutem supernaturalem conducens.

Ob. 3. Absurdum est, quòd homo semper debeat dubitare & anxius esse de sua justitia & salute: ergo. R. Vel est sermo de homine probò, vel improbo? Si de improbo, is utique habet causas timendi & dubitandi. Si de probò, qui per moralem diligentiam adhibet media à Christo instituta: is rectè quidem timet; *Beatus enim homo, qui semper est pavidus.* Prov. 28. v. 24. anxius tamen propterea non est, nec propriè dubitat, scilicet tali dubitatione, qua neutri parti præbetur assensus

T t

sensus

fenfus ; quia habet multas rationes valde probabiles , vel etiam moralem certitudinem ( pro ratione diligentiae adhibitae ) de sua iustitia , & salute . Atque sic nec fumus clari & honorum operum ne-

gligentes , nec pusillanimes . Spem quidem habemus firmissimam in meritis Christi , sed non absolutam certitudinem .

## CAPUT IV.

De Capite verae Ecclesiae , nimirum de Papa.

### ARTICULUS I.

*Romanus Pontifex est Ecclesiae Caput , Christi Vicarium.*

#### SUMMARIUM.

- |   |  |
|---|--|
| 1. <i>Praesentia,</i>   | 14. <i>Nomine Petri non intellexit Christus omnes fideles , nec omnes Apostolos.</i>   |
| 2. <i>Et ordo praesentis doctrinae.</i>   | 15. <i>Paulus nec superior nec aequalis fuit Petro quoad jurisdictionem.</i>   |
| 3. <i>Aliquod Ecclesiae à Christo constitutum esse Caput , exigit providentia Christi,</i>  | 16. <i>Qua ratione dicantur ceteri Apostoli fundamentum Ecclesiae , solvere super terram , pascere gregem.</i>   |
| 4. <i>Et Scriptura satis aperte prodit.</i>   | 17. <i>Quae mens S. Augustini.</i>   |
| 5. <i>Adeoque regimen Ecclesiae debet esse visibile , &amp; Monarchicum.</i>  | 18. 19. 20. <i>D. Petrus in suo Primatu &amp; Pontificatu debuit habere aliquos Successores.</i>   |
| 6. <i>Respondetur ad ea , quae opponuntur ex Scriptura,</i>   | 21. <i>Qui non fuerunt alij , nec hodie sunt alij , quam Romani Pontifices , quia succedunt in illa Cathedra , quam Petrus ad Pontificatum evellam moriens reliquit.</i> |
| 7. <i>Et ad alias argutias.</i>   | 22. <i>Qui semper propterea exercebant jurisdictionem in omnes fideles , quin &amp; Episcopos per Orbem Christianum existentes.</i>                                      |
| 8. 9. <i>Regimen Ecclesiae non est penes Principes Politicos ,</i>  |  |
| 10. <i>Nec plures Ecclesiasticos.</i>   |  |
| 11. <i>Sed fuit promissum soli Petro.</i>   |  |
| 12. <i>Et collatum eidem à Christo.</i>   |  |
| 13. <i>Quem Petri Primatum &amp; Pontificatum supremum , etiam multa praerogativa , quibus Petrus praeter alijs Apostolis emicuit , confirmant ; nisi &amp; SS. Patrum sententia.</i> |  |

23. Adstipulante perpetuo & communi sensu fidelium & SS. Patrum.
24. An Romanorum Pontificum Successio in Primatu Petri sit Juris Divini?
25. Qualis sit electio legitimi Pontificis Romani.
26. Impudenter negatur, Petrum aliquando fuisse Romam.
27. Defenditur ejus Successio in Sede Romana.
28. Quam non impediunt Pontificum divisia, & quorundam scelera.
29. Non Subjacent Principibus Saecularibus.
30. Ut perperam aliqui probare nituntur ex S. Gregorio M. ubi etiam de titulo Universalis Episcopi.
31. Fabula de Papa femina exploditur.
32. Ubi & calumnia de Papa Antichristo.
33. Series omnium Pontificum Romanorum, ex qua ostenditur, quam pauci respective fuerint scelerati.

1. **P**er Caput Ecclesiae intelligitur Princeps, Governor, & Rector Ecclesiae, atque Supremus fidelium Pastor. Caput primum, principale, absolutum, independens, ac invisibile est ipse Christus, de quo nullus Christianus dubitat: proinde hic loci de Christo (cujus Divinitatem jam alibi demonstravimus contra Paganos, Judaeos, & Arianos haereticos, Humanitatem vero non esse ubique, evidenter ostendam infra de Eucharistia contra Lutheranos Ubiquistas) sermo non erit; sed de Capite secundo, Vicario Christi, subordinato, atque visibili, nimirum de Summo Pontifice, quem canes pejus & angue semper oderunt omnes Haeretici, & praecipue moderni temporis Sectarii, Lutherani & Calvinistae, probe gnari, actum esse de sua Secta, ubi sua Romano Pontifici stat auctoritas. Una igitur ex praecipuis fidei controversiis est de Summo Pontifice, ex qua ferè pendet Summa rei Christianae.

R. P. Pichler Theol. Polemica.

2. Ut autem ordinatè procedamus, statuemus 1. aliquod Ecclesiae Caput Christi vicarium, & visibile ab ipso Christo esse constitutum. 2. Istud Caput fuisse D. Petrum. 3. Ejusque in supremo Ecclesiae regimine Successores. 4. Scilicet Romanos Pontifices. Atque haec absolvemus Articulo I. adjiciemus enim Articulum II. de Conciliis propter materiae connexionem; siquidem controversum est, an solus Pontifex sine vel cum Concilio Generali sit supremum Ecclesiae Caput, & legitimus Judex in rebus fidei & morum Decretis. Itaque in hoc II. Articulo agemus 1. de Conciliorum natura, varietate &c. 2. An Papa sit supra Concilium: subnectemus III. Articulum, investigaturi, an Papa etiam extra Concilium sit legitimus Controversiarum fidei Judex, scilicet Universalis, Summus, Infallibilis. Omnia pro ratione instituti succinctè, simul tamen, quantum fieri potest, clarè & solidè.

T t 2

§. I.

## S. I.

*Aliquod Ecclesiae Caput, Christi vicarium, ab ipso Christo constitutum est.*

3. **P**robatur 1. quia id exigit providentia & sapientia Christi, qui in caelos ascendens desijt esse praesens Ecclesia quoad Humanitatem suam & visibilem gubernationem, quae tamen necessaria est fidelibus. Debuit igitur Christus constituere aliquem Vicarium, qui loco sui ipsis praesentet visibiliter cum suprema potestate, & aliquod Caput, proportionatum membris, quae sunt meri homines sensibiles, sensibile & visibile regimen requirentes. Ferè sicut Rex Politicus suo Regno constituere solet Pro-Regem, quando ipse est absens.

2. quia id exigit utilitas fidelium, ut scilicet in suis necessitatibus habeant sensibile refugium, in rebus dubijs certum oraculum, in suis gravaminibus familiarem accessum.

3. Quia id exigit uniformitas fidei: debent enim omnes fideles in rebus fidei prorsus idem sentire, idem credere: quod fieri nequit in tanta diversitate judiciorum, nisi detur unus Rector & Judex summus, qui à Christo constitutus, & à Spiritu S. directus, infallibiliter doceat omnes, & cujus sententiae aequiescant omnes.

4. Confirmatur solidè 1. ex S. Scriptura, quae Ecclesiam comparat Regno Dan. 2. *Ovili* Jo. 10. *Exercitus* Ordinato Cant. 6. *Domus*. 1. Tim. 3. *Navis* 1. Petri 3. Atqui in Regno unus est Rex, in Ovili unus Pastor, in Exercitu unus Imperator seu Dux supremus, in Do-

mo unus Paterfamilias, in Navi unus Gubernator. 2. Ab exemplo Synagogae, quae semper tegebatur ab uno summo Sacerdote visibili, adeoque ejus Regimen fuit Monarchicum; quod genus regiminis est optimum ex communi Sapientiam sensu, Orbis universi usui, & ipsius Naturae magisterio. Sed utique Christus non minus providerit Ecclesiae de optimo regimine, quam provisum fuit Synagogae, quae solum erat ancilla, aliquando repudianda, Ecclesia verò est dilecta sponsa Christi, nunquam deferenda. 3. ex facto Christi, D. Petro Primatum inter omnes Apostolos & Fideles conferentis, ut dicitur §. sequente. Interim ex dictis

Colliges 1. Caput Ecclesiae semper esse debere *visibile*, seu tale, quod à membris seu fidelibus videri, audiri, consulti, & sensibilibus percipi possit.

2. Regimen Ecclesiae esse Monarchicum, seu tale, in quo unus praestet omnibus, quamquam non sit *purè* Monarchicum, sed temperatum ex Aristocratico & Democratico, quatenus praeter supremum Caput, scilicet Papam, instituti sunt Episcopi (qui sunt veri Principes & Pastores animarum, non meri Vicarii Papae) & quatenus nemo est, etiam ex infima plebe Christianorum, qui non possit fieri Episcopus aut Papa, si habeat dotes tanto muneri convenientes. Quippe Monarchia taliter



liter temperata ex Aristocratia & Democra-  
 cratia videtur esse optimus regendi  
 modus, tum quia sic subordinati Prin-  
 cipes, si non sint præcise Vicarij, com-  
 missos sibi subditos minùs negligunt, sed  
 diligentius curant tanquam rem propriam,  
 tum quia sic summæ dignitates  
 conferuntur optimis, cum excludatur  
 hæreditaria successio.

6. Ob. 1. Christi Regnum non est de  
 hoc mundo Jo. 18. ergo non datur unus  
 Rex seu Monarcha Ecclesiæ in hoc  
 mundo. 2. Deus ipse reprehendit  
 Israëlitas, quòd Regem postulassent,  
 1. Reg. 8. ergo Deo non placet regi-  
 men Monarchicum. 3. Christus re-  
 prehendit discipulos, quòd contendere-  
 rint de Primatu Luc. 22. ergo in Eccle-  
 sia nullus est cæteris superior. 4. Non  
 expedit, Orbem universum regi ab  
 uno principe in rebus politicis: ergo  
 neque in spiritualibus.

R. ad 1. Non est de hoc mundo,  
 hoc est, mundanum, politicum, &  
 sæculare C. non est Monarchicum. N.  
 A. & C. Ad. 2. Non reprehendit,  
 quia absolutè postulabant Regem, sed  
 quia postulabant talem regem, qui  
 quasi independens à Deo more Genti-  
 lium regeret populum Israëliticum,  
 cui antea præerant Judices. Tanquam  
 Pro-Reges Dei; ait enim ad Samuelem  
 Deus: *non te abiecerunt, sed me, ne  
 regnem super eos.* Ad 3. Christus  
 reprehendit, quòd *ambitiose* contē-  
 derent de Majoritate, & rectè, quam-  
 vis enim Christus voluerit aliquem fa-  
 cere Majorem cæteris, nullus tamen  
 potuit sine culpa hanc dignitatem am-  
 bire, multò minùs despotice regere, ut

*reges gentium* solebant; dixit enim,  
*vos autem non sic*, quasi diceret, quam-  
 vis unus *inter vos major sit, fiat sicut  
 minor*, eiusque imperium non sit super-  
 bum, despoticum, & tyrannicum, sed  
 humilitate, suavitate, & charitate con-  
 ditum, atque ministeriale. Ad 4. N.  
 C. & parit. Nam ad conservationem  
 Ecclesiæ necesse est, ut omnes idem  
 sentiant circa res fidei, iisdemque Sa-  
 cramentis &c. utantur; quòd ad con-  
 servandum statum Politicum necesse  
 non est. Si tamen aliquis Monarcha  
 Mundi haberet tam fideles Principes  
 subordinatos, ut per eos totum Mun-  
 dum gubernare posset, non video, cur  
 id non expediret.

Dices. Paulus hierarchiam Ecclesiæ  
 commemorans Ephes. 4. nullo apice  
 meminit alicujus Capitis, vel Regimi-  
 nis Monarchici: ergo. R. imprimis  
 ibi Paulus non describit hierarchiam Ec-  
 clesiasticam & ordinem Ministerij, sed  
 varia dona, quæ sunt in Ecclesia. Dein  
 transeat, quòd describat hierarchiam,  
 negatur autem, quòd Capitis implicite  
 non meminerit: ait enim: *ipse dedit  
 quosdam quidem Apostolos &c. alios  
 autem Pastores & Doctores ad con-  
 summationem Sanctorum &c. in ad-  
 ficationem Corporis Christi, donec oc-  
 curramus omnes &c.* En! Apostoli nomi-  
 nantur primi, adeoque velut capita re-  
 liquorum fidelium, & simul insinuat,  
 hanc hierarchiam fore usque ad finem  
 Mundi: atqui ex alijs Scripturæ locis  
 constat, nulli Apostolorum promissam  
 fuisse perpetuitatem in gubernanda Ec-  
 clesia, nisi uni Petro, cui dictum est:  
*rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*

Ti. 3

Luc.

Luc. 22. *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prevalebunt adversus eam.* Mat. 16. ergo Paulus tacite insinuavit regimen Apostolicum Ecclesiae, semper futurum usque ad finem Mundi, fore penes Petrum, & ejus in gubernanda Ecclesia successores, adeoque semper fore Monarchicum. Quamvis igitur omnibus Apostolis data sit potestas illimitata in omnes fideles sine restrictione ad certum locum, tamen non fuit ordinaria, sicuti Petri (Capitis & Pastoris ordinarii) in qua succederent alij usque ad finem Mundi, sed tantum fuit delegata, extraordinaria, & sine perpetua successione.

Ceterum miror, heterodoxos adeo laborare, ut excludant unum Caput supremum, Christi in terris vicarium; cum tamen interim ipsi vel universum populum Christianum praeficiant toti Ecclesiae, qui hujus regimen volunt esse Democraticum seu populare, vel saltem cujuslibet communitatis & Ecclesiae particularis particularem Pastorem & Rectorem ceu caput sub Christo agnoscant, constituentque. Si Pastorem primum omnino è terris sublatum, & collocatum in caelis velitis; cur manent secundi & tertij Pastores in terris? Si in terris admittatis oves visibiles, & pro his pastores medios & infimos pariter visibiles? quid prohibet etiam primum aliquem (post Christum) pariter visibilem admittere in terris?

7. Ob. 2. Christus est Caput Ecclesiae; ergo si aliud praeter ipsum statuatur, Ecclesia fit biceps & monstrosa. 2. Christus est Sponsus Ecclesiae: atqui

Sponsus non patitur alium sponsum, etiam subordinatum tantum. 3. *Multri unum Corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Rom. 12. ergo omnes fideles, etiam Papa, sunt membra, & nullus est Caput. 4. Si Papa potest dici *Caput Ecclesiae*, tunc Ecclesia potest dici *Corpus Papae*, quia Caput & Corpus sunt correlativa: sed Ecclesia non dicitur Corpus Papae, sed Corpus Christi: ergo.

R. Ad 1. Quamquam Christus sit Caput primum, principale, & nunc invisibile, nihilominus tamen sine absurdo & monstrositate poterit admitti aliud Caput Ecclesiae secundarium, subordinatum, ministeriale, & visibile; sicut mulier non dicitur biceps & monstrosa, quamvis praeter caput physicum & proprium habeat etiam morale & alienum, nam *Caput mulieris vir est.* Eph. 5. Et utique Regnum praeter Regem absentem potest habere caput vicarium, scilicet Pro-Regem. Ad 2. Allegoria de Sponso & Sponsa rectè quidem accommodatur Christo & Ecclesiae, non tamen in omnibus; sicut & allegoria de Capite & Corpore; nam Corpus physicum non potest habere unum Caput principale, & alterum subordinatum, quamvis id de Corpore Morali & Mystico dici possit. Pari modo in Moralibus absurdum non est, Vicarium esse Sponsum Reginae subordinatum, licet in Physicis desponsationibus absurdum foret. Ad 3. Papa est quidem etiam membrum Ecclesiae, & quidem praecipuum, si Christus consideretur ut Caput, per internum & spirituale influxum efficiens Ecclesiam.

non tamen si Christus consideretur ut Caput gubernans Ecclesiam; nam ad Ecclesiam exterius & sensibilibus gubernandam necesse habuit aliud Caput, fidelibus proportionatum, sibi substituere, nempe Papam. Ad 4. N. sequentiam. Quamvis enim Caput primum & Corpus sint correlativa, & mutuo ad se invicem dici possint, non tamen mutuo de se dici necesse est Caput *secundarium* & Corpus; sicut Regnum non dicitur esse Pro-Regis, sed Regis tantum.

Ob. 3. Etiam si admittatur aliqua suprema potestas in Ecclesia, tamen opus non est admittere Papam, sed dici potest, eam residere in Principe Politico: ergo. 2. dici potest, eam residere in pluribus Principibus Politicis simul, seu in Magistratu seculari. 3. vel saltem in Principibus Ecclesiasticis, seu in Episcopis pluribus. Atque sic regimen Ecclesiae non erit Monarchicum, sed Aristocraticum, hoc est, penes Optimates.

R. N. A. Ratio negandi est 1. quia regimen Ecclesiae est spirituale & supernaturale, ordinatum ad animas perdendas ad felicitatem supernaturalem: tale autem regimen non competit ulli Principi seculari. 2. quia Apostolis dictum est à Christo: *pasce oves meas Jo. 21. quodcumque solveris &c. quaecumque alligaveris &c. Mat. 16. & 18.* Non autem ulli Principi seculari: si autem hanc potestatem non acceperunt à Christo, eam utique non habent; quia nec habent à se, nec à populo universo, cum populo nunquam fuerit concessa. 3. quia nullus est assignabi-

lis Princeps secularis, cui totus parcerit, vel pareat Orbis Christianus: atqui Capiti Ecclesiae debent parere omnes omnino Christiani. Ad 2. In Magistratu politico, ex pluribus constante, non posse residere potestatem spiritua-lem & supernaturalem gubernandi Ecclesiam, patet ex rationibus negandi primum adductis, nempe quia spiritua-lem Magistratus Politicus non habet à se, nec habet à Christo, nec illus est Magistratus secularis, cui obediat totus Orbis Christianus. Ad 3. constabit tum ex ijs, quae asseremus §. sequenti pro Primatu Petri, tum ex ijs, quae disseremus de Superioritate Pontificis supra Concilium, tum ex iam dictis, tum ex eo, quod Episcopi raro congregentur aut congregari possint, adeoque Ecclesia serè semper destituta foret Rectore: Episcopi enim seorsum singuli nihil ordinare aut decernere possunt pro universa Ecclesia.

Dices 1. Omnes jubentur subesse Regi quasi praecellenti 1. Petri 2. Et Magistratus secularis *Non sine causa gladium portat, Dei enim Minister est Rom 13.* ergo Princeps & Magistratus secularis acceperunt potestatem in omnes Christianos à Deo. R. Omnes jubentur subesse Regi in rebus politicis, non Ecclesiasticis & spiritualibus. Gladium portat ut Minister Dei ad custodiendas Leges Divinas, & ad defendendam Ecclesiam, non ut Judex, vel Interpretes Legum Divinarum & Ecclesiasticarum.

Dices 2. Actorum 15. *convenerunt Apostoli & Seniores videre de verbis &c.* Et Paulus act. 2. dicit Episcopis

pis: attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopus regere Ecclesiam DEI. Ergo regimen Ecclesiae est penes Optimates, Seniores, & Episcopos, non apud unum Monarcham. R. N. C. Cur enim Monarcha seu supremus Princeps non possit alios

sibi subordinatos adhibere in consilium; & sic communi sensu aliquid decernere, aut exequi per alios sibi substitutos, quod propter negotiorum multitudinem, aut loci distantiam per se non potest?

## §. II.

*D. Petrus fuit illud Ecclesiae Caput, à Christo constitutum, seu obtinuit Primatum tam inter Apostolos, quam ceteros fideles.*

11. **P**ROBATUR 1. Christus promisit D. Petro Primatum: ergo etiam ipsi contulit, cum Christus necessario sit fidelis in promittendo. Ant. prob. præcipue ex c. 16. Matth. v. 18. & 19. Ubi Christus, quamquam praesentes fuerint etiam ceteri Apostoli, ad solum Petrum, postquam ille solus aperte confessus fuerat Divinitatem Christi, dixit: *tu es Petrus, & super HANC PETRAM aedificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prevalebunt adversus eam. TIBI dabo claves Regni caelorum. ET QUODCUNQUE* ligaveris super terram, erit ligatum & in caelis; & *QUODCUNQUE* solveris super terram, erit solutum & in caelis. Quibus verbis clare exprimitur Primatus & suprema in totam Ecclesiam potestas, Petro conferenda, sub duplici Metaphora, scilicet *Petra* seu fundamento, & *Clavium*; quod enim in edificio est *fundamentum*, hoc in Corpore est *Caput*, & in Communitate Primatus. Et cui traduntur *Claves* v. g.

civitatis, illi committitur simul suprema potestas in civitatem, saltem vicaria; quippe per claves significatur suprema potestas tum ex recepta inter homines consuetudine, tum in SS. litteris Apoc. 3.

12. Prob. 2. Christus etiam contulit Primatum & supremam potestatem D. Petro: ergo. A. prob. præcipue ex c. 21. Joan. v. 18. ubi Christus iterum ad solum Petrum, praesentibus quamquam etiam alijs Apostolis & discipulis, dixit: *pasce oves meas*, postquam ter ipsum prius interrogaverat: *Simon Joannis* (hoc est, *Petre*, nam Petrus, antequam Christus ipsi nomen mutaverat ad indicandum futurum officium in firmanda & gubernanda Ecclesia Mat. 16. vocabatur *Simon, Jonæ seu Joannis filius*) *Simon Joannis diligis me plus his?* hoc est, plus quam ceteri praesentes. Ubi advertendum est 1. per *pasce* intelligi omnem actum pastorem, scilicet *praesse, regere, ducere, reducere, dare*

dare cibum, tueri, castigare &c. ut patet ex communi usu loquentium & officio Pastorum. 2. per dō *oves meas* significari universam Ecclesiam, seu omnes omnino fideles, etiam Apostolos, & Episcopos, ut colligitur partim ex adjecto pronomine *meas*, hoc est, *Christi oves*: omnes enim fideles, etiam Apostoli & Episcopi sunt oves Christi; partim ex circumstantijs; nam diligenti plūs ceteris utique Christus voluerit etiam tribuere aliquid præ ceteris, ut sic majori & universaliori potestate remuneraretur majorem & peculiarem dilectionem, sicut Mat. 16. peculiarem confessionem, qua Petrus solus publicè ad Christum dixit, *tu es filius DEI vivi*, remunerari voluit peculiari & ampliori promissione conferendi Primatus & Clavium: partim ex communi SS. Patrum interpretatione, ex quibus solum Leonem M. audiamus. Is serm. 3. de assumptione sua ad Pontif. sic ait: *De toto Mundo unus Petrus eligitur, qui & universalium Gentium vocationi, & omnibus Apostolis, omnibusque Ecclesie Patribus præponatur, ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.* Et infra: *cùm ego* ( inquit Christus ad Petrum ) *sic inviolabilis petra &c.* tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut, que mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. Notentur bene hujus S. Patris singula verba, qui exiit Ecclesiam anno Christi 440. adeo que cùm Ecclesia Romana adhuc im-

R. P. Pichler Theol. Polemica,

munis esset ab omni labe Antichristi vel ipsi Sectarijs fatentibus.

Prob. 3. Debet in Ecclesia dari ali-  
quod Caput & supremus Monarcha,  
qui cum summa potestate præsit omni-  
bus fidelibus, ut probatum est §. præ-  
cedente: sed aliud Caput, aliud Monar-  
cha, non potest assignari, nisi Petrus,  
ut patet tum ex allatis textibus Mat. 16.  
& Jo. 21. tum ex varijs & magnis præ-  
rogativis ipsius Petri, cujusmodi sunt,  
quod non tantum primo loco soleat  
poni ab Evangelistis, quando recensentur  
Apostoli, verum etiam quod ex-  
pressè vocetur *Primus*, uti Mat. 10.  
*duodecim autem Apostolorum nomina  
sunt hæc: PRIMUS Simon, qui di-  
citur Petrus &c.* quod Christus soli-  
us Petri Naviculam ingressus sit, & ex  
ea docuerit Luc. 5. quod pro solo Petro  
rogaverit, *ut non deficeret fides ejus*,  
illique soli dixerit, *confirma fratres  
tuos.* Luc. 22. quod resurgens à mor-  
tuis primò apparuerit Petro &c. Tum  
ex SS. PP. qui passim Primatum rotun-  
dè adstruunt D. Petro, illum vocantes  
*Vicarium Christi, Caput Ecclesie,  
Principem Apostolorum &c.* ex quibus  
illi sexcenti, in Conc. Generali Chalce-  
donensi congregati, eum appellarunt  
*Petram & Crepidinem Ecclesie Catho-  
licæ & Rele fidei fundamentum.* Ori-  
genes in hom. 5. in c. 14. Exodi sic ait:  
*Vide, magno illi Ecclesie fundamento,  
& Petra solidissima, super quam Chri-  
stus fundavit Ecclesiam, quid dicatur  
à Domino: Modica fidei &c.* S. Hieron. l. 1. contra Jovin. c. 14. *Licet su-  
per omnes Apostolos ex aquo Ecclesie  
fortitudo solidetur; tamen propterea*

Uq inter

inter duodecim unus eligitur, ut constituto Capite schismatis tollatur occasio. S. Epiphanius in Ancorato: ipse Dominus constituit Petrum Primum Apostolorum, Petram firmam, super quam Ecclesia Dei edificata est, & porta inferi non valebunt adversus illam. Porta autem inferorum sunt haereses & Hæresiarcha. Et S. Aug. per modum admirantis interrogat: Quis nescit, illum Apostolatus (Petri) Principatum cuilibet Episcopatus præferendum? l. 2. c. 1. de Bapt. contra Donat.

14. Ob. 1. Nomine Petri in citatis textibus Mat. 16. & Jo. 21. intelliguntur omnes fideles, vel saltem omnes Apostoli: ergo non Petro, sed toti Ecclesie, vel saltem omnibus Apostolis promittæ & collatæ sunt claves. A. P. Petrus ibi gessit personam Ecclesie; item nomine omnium præsentium Apostolorum edidit hanc confessionem: tu es Christus Filius Dei vivi: ergo. 2. Moriente Pontifice claves habet Ecclesia: ergo penes hanc, & non penes hominem singularem, est summa potestas, quam ab Ecclesia primùm accipit recens electus Pontifex.

R. N. Ant. non enim frustra Christus solum Simonem mutato nomine vocavit Petrum, non gratis dixit in singulari, tu, tibi, quodcumque solveris, pascere &c. Et sanè si intelligeretur tota Ecclesia, sensus verborum Christi esset iste: super Ecclesiam edificabo Ecclesiam meam: vos oves pascite oves meas &c. qui utique esset sensus ridiculus. Petrus quidem gessit personam Ecclesie, non tamen ut vicarius

Ecclesie, & quasi ab Ecclesia deputatus ad recipiendas claves, sed ut Caput & Rector, cui Christus immediate & principaliter promissit ac dedit claves tanquam suo Vicario; quamquam eas dederit in utilitatem Ecclesie, quia Petrus debuit uti clavibus in bonum & salutem fidelium. Claves itaque sunt in Petro tanquam Christi Vicario, & Ecclesie Rectore, in Ecclesia autem tanquam in fine. Rursus: omnium quidem nomine Petrus confessus est Christum, non tamen ut legatus: & vicarius cæterorum Apostolorum, sed ut specialiter illuminatus à Deo, atque ut Caput illorum. Et quia confessus ipse solus est Christum, cæteris assentientibus, ideo ipsi soli promissæ sunt claves, communicandæ tamen etiam cæteris.

Ad 2. N. Ant. nam moriente Pontifice claves remanent in manibus Christi, à quo illas accipit novus Pontifex, non traditione nova, sed institutione antiqua. Ferè sicut si Rex constituens Pro-Regem faceret hoc decretum, quod mortuo Pro-Rege velit in locum prioris admittere illum, quem proceres elegerint, & illi jam nunc eandem potestatem conferat, quam priori concesserat. Ecclesia igitur solum eligit, & quasi præsentat personam, Christus autem huic personæ confert potestatem clavium supremam; sicut v. g. Patronus laicus, aliquem præsentans ad parochiam, non confert ipsi jurisdictionem spirituales, sed Episcopus instituens.

Ob. 2. D. Paulus objurgavit Petrum, & in faciem ei restitit Gal. 2. 15. ergo

ergo non fuit minor Petro. 2. Idem Paulus 2. Cor. 2. ait: *nihil minus fui ab ijs, qui supra modum sunt Apostoli.* 3. Non solus Petrus, sed Petrus & Paulus simul vocantur Principes Apostolorum, & nescitur, uter alteri præfret. R. ad 1. objurgavit non judiciali sententia, sed correptione fraterna, cum bono Zelo & debita reverentia; neque circa fidem, sed circa aliquod factum particulare restitit Petro, quod scilicet incaute simulaverit Judæismum. Ad 2. Nihil minus fuit quoad prædicationem Evangelij, quod æquè à Christo acceperat ac alij Apostoli, & quoad labores Apostolicos; minor tamen fuit quoad jurisdictionem. Et quando Paulus per antonomasiam dicitur *Apostolus*, id fit, quia plures scripsit epistolas & plùs omnibus laboravit, non ideo, quasi auctoritate & potestate emineret super ceteros. Ad 3. Ambo vocantur *Principes Apostolorum*, scilicet quia uterque plurimum laboravit in convertendis gentibus, quia uterque prædicavit Romæ præcipua mundi urbe, ibique Martyrium subiit pro Christo, atque sic uterque maximi apud Deum est meriti, ita ut ignoretur, uter in his præfret alteri. Optimè tamen scitur ex nostris probationibus, quod major sit Petrus potestate & auctoritate; & quod ipse fuerit *ordinarius*, Romæ Episcopus, Paulus autem tantum Petri Coadiutor & quali Suffraganeus, colligitur etiam inde, quia Sedes Romana nunquam tribui consuevit S. Paulo, sed semper appellari *Cathedra Petri*, solusque Petrus dici Pontifex Romanus, nunquam Paulus.

R. P. Pichler Theol. Polemica,

Et utique præcipua Ecclesia non fuerit biceps, quod probrum nulli alteri Ecclesie, ab Apostolis fundatæ & gubernatæ, accidisse legitur.

Ob. 3. Omnes Apostoli dicuntur *fundamentum Ecclesie*, Eph. 2. non minus ac Petrus. 2. Sicut Petro promissum est: *tibi dabo claves, quodcumque solveris &c.* Mat. 16. Ita reliquis Apostolis promissum est: *quæcumque solveritis super terram &c.* Mat. 18. Atque hæc potestas promissa, postmodum Jo. 20. fuit concessa, dum omnibus Apostolis dictum est: *accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* 3. Etiam ceteri Apostoli jubentur pascere gregem Domini. 4. Sic, quod S. Petrus habuerit Primatum inter omnes Apostolos, non tamen inde sequitur, quod potestate & auctoritate ceteros antecelluerit; Primatus enim talis est res, quæ necessariò tantum convenit uni, non item potestas & auctoritas Apostolica. Ita ferè Ludov. Ellies Du Pin Gallus, qui quidem Catholicus esse cupit, tamen propter lubricum calammum, quem in præjudicium Pontificiæ potestatis temerè acuit, meritò temerarius Scriptor audit, cautiùs utique scripturus, modò per aliquot annos adhuc expectare potuisset, dum scilicet famosæ propositiones illæ Parisienses, in præjudicium Pontificis editæ anno 1682. iterum revocarentur, uti nunc revocate sunt approbante Rege.

R. dicuntur *fundamentum Ecclesie*, quatenus prædicarunt Evangelium, propagarunt fidem, fundarunt novas Ecclesias, missi à Christo tanquam legati

U 2 per

per totum mundum; non verò ratione potestatis gubernativa, supremæ & universalis, quæ soli Petro & promissa & data est: proin in quibusdam cæteri Apostoli æquales sunt Petro, non in omnibus. Ad 2. Reliquis Apostolis non fuit promissa & data tam ampla & universalis potestas, sicut Petro; nam reliquorum potestas est restricta ad peccata Jo. 20. Nec alia ipsis promissa est Mat. 18. quàm illa, quæ data est Jo. 20. Econtra Petro illimitatè promissum est: *QUODCUNQUE solveris* &c. sine ulla restrictione, & cura Pastoralis data est in omnes Christi oves sine ulla exceptione: *pasce oves MEAS* Jo. 21. Ad 3. Jubentur pascere tanquam Pastores subordinati Petro, & potestate quasi delegata tantum, & non ordinaria, de quibus verum est illud Pauli: *legatione fungimur pro Christo* 2. Cor. 5. Ad 4. Duppinus malè Primatum Petri distinguit à suprema potestate gubernativa; non enim qualiscunque Primatus Petro concessus est à Christo, sed gubernativus, actualis, quem denotat Metaphora *Clavium, Petra, Capitis, Pastoris Universalis* &c. Deinde ex illa ipsa ratione, ex qua Duppinus dissert. 4. §. 3. probat, Petro competere Primatum, probatur suprema ejus potestas & auctoritas gubernandi totam Ecclesiam, quia sicut necesse est, unum duntaxat esse primum, ita necesse est unum duntaxat esse præditum supremam gubernandi potestate. Quoad hanc igitur cæteri Apostoli non possunt esse æquales Petro; quamquam fuerint æquales in munere docendi, prædicandi ubique, constituendi presbyteros &

Episcopos, fundandi Ecclesias: omnes enim fuerunt universæ Ecclesiæ Doctores & Pastores, omnes habuerunt plenitudinem potestatis, sed non eodem modo & in eodem gradu; nam Petrus habuit tanquam Pastor *Ordinarius*, cui perpetua convenit successio, cum Ecclesia semper indigeat summo Pastore & Capite; at cæteri tanquam legati ad dies vitæ, & ut extraordinarii, quibus in plenitudine potestatis & jurisdictionis non succeditur; siquidem legati munus naturaliter extinguitur cum vita legati.

Dices. S. Augustinus de agone Christiano c. 30. ait: *cum Petro dicitur, ad omnes dicitur: pasce oves meas*; ergo Petrus non debet anteponi cæteris. R. Antequam hoc diceret S. August. præmisit hæc: *non sine causa inter omnes Apostolos hujus Ecclesiæ Catholice personam sustinet Petrus, huius enim Ecclesiæ claves Regni Cælorum date sunt, cum Petro datae sunt. Et cum ei dicitur, ad omnes dicitur, pasce oves meas.* Si Petrus pro omnibus sustinet personam Ecclesiæ Catholice, utique in hoc eminent & præferitur omnibus Apostolis: Petrum enim gessisse personam Ecclesiæ propter *Apostolatus sui Primatum*, & ut Caput, declarat idem S. Doctor in Jo. tr. 124. Igitur cæteris non in eodem gradu dictum est: *pasce oves meas*; sed Petro in gradu sublimiori; alioquin quilibet Parochus, cum sit etiam Pastor ovium Christi, & ipsi aliquatenus dictum sit, *pasce oves meas*, tantam haberet auctoritatem pascendi oves, quantam habuit Petrus: quod S. Aug. nunquam cogitavit; aliis non  
inter



inter hæreses reputasset hanc Aëtij propositionem hæresi § 3. *Presbyterum ab Episcopo nullâ differentiâ debere discerni.*

Urgebis : Omnes Apostoli æquè ac Petrus missi sunt in mundum universum ad docendum ; imò æquè erant pleni Spiritu S. ita ut non indigerent Moderatore & Governatore Petro : ergo. R. Missi sunt, sed non æquè ; hoc est, cum pari potestate & jurisdictione : nam Petri potestas erat ordinaria, illorum tantùm quasi delegata, sine perpetua successione. Apostoli reliqui

quoad suas personas erant quidem pleni Spiritu S. & non indigebant Governatore Petro quoad docendum infallibiliter ; tamen quia reliquorum Apostolorum Successores futuri erant fallibiles, & indigentes Moderatore, supremo Capite ac Pastore, sine cuius cura in infinitas abituri essent Sectas ; subordinatio sub uno supremo Pastore jam instituta est in Apostolis, quia posteris illa futura erat necessaria ; qualis enim Ecclesiam regendi forma erat futura usque ad finem Mundi, talem decebat esse in ipso ejus exordio.

## §. III.

## D. Petrus habere debuit aliquos Successores in Primatu, &amp; supremo Pontificatu.

18. **P**robatur 1. Christus Ecclesiam suam non instituit pro brevi aliquo tempore, quo vixit S. Petrus, sed duraturam usque ad finem mundi, ut vel Adversarij fateri debent : ergo pro omni tempore futuro debuit ipsi providere de aliquo supremo Capite, & Rectore Universali : ergo D. Petrus habere debuit aliquos Successores in Primatu, seu supremo Pontificatu, ac munere Pastoralis. Siquidem Ecclesia post tempora Christi & S. Petri non minùs indiget, semperque indigebit supremo Capite, & Rectore Universali ; cum semper possint oriri hæreses, & controversiæ fidei, quæ sine supremo Judice dignosci & decidi nequeunt, & cum oves semper indigeant Pastore, subditâ Rectore, discipuli Magistro &c.

19. **Prob. 2.** Ijs argumentis, quibus supra ostendimus, regimen Ecclesiæ esse Monarchicum ; Ecclesia enim semper durare debet usque ad finem Mundi.

**Confirmatur 1.** In Synagoga fuit perpetua successio summorum Pontificum ab Aarone usque ad ejus finem tempore Christi : ergo & Ecclesia Christiana habere debet, ne sit deterioris conditionis. **2.** Ecclesia debet regi post tempora Christi & Petri, quo modo regebatur statim initio ; aliàs non esset nunc eadem Ecclesia, quæ olim ; nam mutata formâ regiminis mutaretur & ipsa : sed initio regebatur ab uno Capite Christo ; postea D. Petro, Christi Vicario (non Successore, nam Christus ipse nunquam desinit gubernare suam Ecclesiam per influxum gratiæ

tiae internum, & assistentiam, quam praestat suo Vicario) 3. Ecclesia est aedificata super Petrum tanquam fundamentum: ergo ne subtrahendo fundamentum ruat Ecclesia, debet fundamentum perpetuo durare in Petri Successoribus.

20. Ob. In Scriptura S. non fit ulla mentio de Successore Petri: ergo nullus ruit. R. Quamvis explicite nulla fiat mentio, tamen per claram consequentiam inde deducitur, cum Scriptura dicat, *Portas inferi nunquam prevalitur aduersus Ecclesiam, Ecclesia au-*

tem non possit esse acephala seu sine Capite, ut monstravimus. Unde ea, quae Petro tanquam Vicario Christi dicta legantur, etiam intelligenda sunt de eius Successoribus. Dices ergo etiam hoc intelligendum est de Papa, quando Christus ad Petrum dixit: *va-*  
*de post me Sabana.* R. N. illatum; quaedam enim dicta sunt Petro, ut est persona privata, quaedam vero ut est persona publica & Ecclesiae Caput, uti: *confirma fratres tuos, pascere oves meas* &c. Illa non spectant ad Successores, bene tamen ista.

#### §. IV.

*Romani Pontifices fuerunt, & adhuc sunt illi Successores D. Petri in Primatu, & supremo totius Ecclesiae Regimine.*

21. **P**robatur 1. Debit semper & adhuc debet aliquis succedere D. Petro in supremo totius Ecclesiae Regimine, ut patet ex §. precedente: sed haec non successit, nec hodie succedit alius, quam Romani Pontifices: ergo isti fuerunt, & adhuc sunt illi Successores D. Petri &c. *Minor* probatur partim negative, partim positive: *Negative* quidem, quia nullus alius fuit unquam agnitus pro Successore D. Petri in supremo totius Ecclesiae Regimine; quamvis enim Episcopi Antiocheni successerint D. Petro in *Episcopatu* Antiocheno, non tamen successerunt in *Pontificatu*; quia S. Petrus, quamvis fuerit etiam Episcopus particularis Antiochenus, tamen Pontificatum non ibi habuit, sed postquam deseruit Eccle-

siam Antiochenam, & sedem fixit Romae, secum transtulit Pontificatum, eumque reliquit in Sede Romana, quam exiit ad dignitatem Pontificiam. Unde eadem *Minor* probatur etiam positive: ille succedit Petro in Pontificatu seu in supremo Regimine, qui succedit in illa Cathedra, quam Petrus ad Pontificatum exiit, & quam Petrus moriens tenuit: sed in hac Cathedra succedunt, semperque successerunt soli Romani Pontifices, quia Petrus in fine vitae fuit Episcopus particularis Romae, & simul universalis Pontifex totius Ecclesiae; nam ante mortem nunquam deposuit Pontificatum, seu supremum ac Universale Regimen. Et haec utique causa fuerit, quod Episcopo Romano semper primas dedit Antiqui-

tas, non Antiocheno, non Alexandri-  
no; quæ dua Ecclesia, utpote etiam à  
D. Petro fundata, semper habita sunt  
*Patriarchales* in honorem D. Petri: ad  
quam dignitatem primùm evecta est  
succesfu temporis Jerofolymitana, &  
Constantinopolitana ex quodam privi-  
legio.

2. 2. Probarur 2. ex auctoritate, quam  
Romani Pontifices semper exercuerunt  
non tantum in fideles qualescunque,  
sed etiam in Episcopos per reliquum  
Orbem existentes. Nam 1. Romani  
Pontifices statim post obitum S. Petri  
pro alijs Nationibus, sicut & ipse Petrus,  
ordinarunt, constituerunt, vel confir-  
marunt saltem Episcopos, uti & hodie-  
dum confirmant; sic Linus, & Cle-  
mens, singuli leguntur ordinasse 15.  
Episcopos, utique non tot pro Urbe, &  
ditione Romana. 2. Deposuerunt  
Episcopos male pascentes, alios verò à  
suis subditis inique dejectos restitue-  
runt; sic teste Bellarmino deposuerunt  
omnino octo Patriarchas Constantino-  
politanos. 3. Leges dederunt alijs  
Episcopis, uti S. Leo Episcopis Cam-  
paniæ, Piceni &c. & plenum est Cor-  
pus Juris Canonici legibus & ordina-  
tionibus Romanorum Pontificum pro  
omnibus mundi diæcesibus. 4. ex-  
communicarunt personas Augustas,  
Regias, Archiepiscopos, Episcopos:  
sic Victor I. excommunicavit omnes  
Episcopos Asiaticos, eo quòd nolent  
acquiescere Decreto de celebratione  
Paschatis. 5. ad Romanos Pontifices,  
tanquam ad supremos Judices, fuit  
semper appellatum, ab ipsis nunquam  
fuit permilla appellatio ad alium Epi-

scopum, ut adeò Concil. Rom. Ge-  
nerale VIII. sub Adriano II. ferè per  
totum doceat, præsertim in libel-  
lo supplici ad Hadrianum Papam,  
& can. 13. Romanum Pontificem de  
omnium Ecclesiarum Præsulibus judi-  
casse, de eo verò quemquam judicare  
non posse. 6. damnarunt ortas here-  
ses, & præfederunt Concilijs; sic Cor-  
nelius Episcopus Romanus in Conc.  
Rom. anno 254. damnavit heresim No-  
vatorum, & ejus in Pontificatu Succes-  
sor Stephanus reprobovavit Concil. Char-  
tag. & anno 258. contra S. Cyprianum  
aliosq; Episcopos Africanos definivit,  
baptizatos ab hæreticis non esse rebapti-  
zandos. Vid. Baron. ad annum 258.  
Unde

Prob. 3. Ex perpetuo & communi 23.  
sensu fidelium; Conciliorum Genera-  
lium, SS. PP. & Imperatorum Christia-  
norum. Concilium Nicænum, ex Ge-  
neralibus primum, can. 39. p. 356.  
edit. Colon. jam sic declarat: *illo,*  
*qui tenet Sedem Roma, Caput &*  
*Princeps est omnium Patriarcharum,*  
*quandoquidem ipse est primus sicut*  
*Petrus, cui data est potestas in omnes*  
*Principes Christianos, & omnes po-*  
*pulos eorum, ut qui sit Vicarius Christi*  
*D. N. super cunctos populos, & cun-*  
*ctam Ecclesiam Christianam. Et qui-*  
*cunque contradixerit, à Synodo ex-*  
*communicatur.* Arrigite aures & ani-  
mum h. Sectarij. Et Romanum sub Adr.  
II. cit. act. 3. *Retro, olimque semper,*  
*tum hereses & scelera pullularent, no-*  
*xias illas herbas & zizania Aposta-*  
*lice Sedis (Romana) successores extir-*  
*parunt.* S. Opatus Milevit. l. 2. contra  
Pai.

Parmentianum ait: *negare non potes, scire te, in Urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederis omnium Apostolorum caput Petrus &c. Petro successit Linus, Lino Clemens &c.* S. Athanas. in ep. ad Marcum Papam scribit: *optamus, ut à vestra sancta Sedis Ecclesie auctoritate, que est Mater & Caput omnium Ecclesiarum, ea ad correctionem & recreationem fidelium percipere &c.* Ex Imperatoribus Valentinianus in ep. ad Theodos. que habetur inter prambulas Conc. Chalced. sic scripsit: *Debemus dignitatem propria venerationis B. Apostolo Petro intemeratam & in nostris temporibus conservare: quatenus beatissimus Romana Civitatis Episcopus, cui Principatum Sacerdotij super omnes Antiquitas contulit, locum habeat de fide & sacerdotibus judicandi.* Et ante hunc Constantinus M. *Roma Principatum Sacerdotum, & Religionis Caput ab Imperatore Cælesti constitutum esse.* Vid. Acta Concilij Nicæni. Græcorum epistola in Conc. Chalced. Leonem Episcopum Romanum jam sæculo V. appellarunt *Sanctissimum & Beatissimum Universalem Archiepiscopum.* Accedat testimonium ex ore inimici. Calvinus l. 4. Inst. c. 7. s. 5. ita fatetur: *nullum fuit tempus, quo non Romana Sedes imperium in alias Ecclesias appetiverit: ergo etiam primi, & (juxta Adversarios etiam) sancti Pontifices Romani judicarunt, sibi ex institutione Christi competere imperium; alias utique non appetivissent.*

Jam sciscitor ex te, Lutherane, Cal-

vinista, aut quisquis Romano Pontifici Primatum & supremam ac universalem in omnes fideles potestatem negare audes: potestne esse credibile prudenter, Episcopos, & Principes Christianos, SS. Patres, Doctores, Pastores, sanctissimos quosque, & Christi fideles omnes (exceptis iis tantum, quos tu etiam inter hæreticos numeras) ita olim fuisse fascinosos, ut ab uno Episcopo Romano paterentur se mitti sub jugum, eum venerarentur tanquam Christi Vicarium, ejusque sententiam circa res fidei & morum adorarent ut oraculum, idque tot sæculorum decursu, in tanta hominum varietate &c. nisi divino magisterio edocti ex gravissimis causis cognovissent, Romanos Pontifices esse successores D. Petri in Primatu & regimine supremo totius Ecclesie?

Quæres 1. An Romanorum Pontificum successio in Primatu Petri sit Juris Divini? R. 1. D. Petrum habere semper aliquos in Primatu successores *Jure Divino* seu ex ordinatione Christi, certum est & de fide. R. 2. pariter certum esse, quod hæctenus nullus alius successerit in suprema & Universali Ecclesie gubernatione seu in Primatu Petri, quam Episcopi Romani. Clarent hæc ex dictis. An verò Pontificatus ita annexus sit Jure Divino Episcopatu Romano, ita ut alius Episcopus v. g. Coloniensis, Augustanus &c. eligi non possit in summum Pontificem, certum non est esse de fide; R. tamen 3. id esse probabilius; quia SS. PP. & Concilia Romanum Pontificem absolute vocant Christi Vicarium ex institutione

tionē Christi; nam Marcellus I. in ep. ad Antiochenos scribit, *jubente Domino* Petrum Antiochiā Sedem transtulisse Romam. Et Concil. Lateran. sub Innoc. III. can. 5. Ecclesiam Romanam appellat *disponente Domino* fidelium omnium Matrem & Magistram. Aliud verò Lateranense sub Julio II. ait, Ecclesiam Romanam *Divina institutione* obtinere Primatum. Accedit, quòd in formula Professionis fidei facta à Piò IV. (utique etiam pro futuris sæculis) profitemur, *Romanam* Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem esse, & Romano Pontifici obedientiam spondemus. Et certè nisi fideles judicassent, Sedem Pontificiam esse annexam Romæ Jure Divino, non tam constanter hunc summum honorem, quem tamen aliæ Sedes, præsertim Constantinopolitana, avidissimè ambiebant, Episcopo Romano detulissent, etiam inter gravissimas persecutiones Imperatorum Gentilium (qui Romæ per 300. ferè annos residebant) Hunnorum, Wandalorum, Longobardorum &c. Romam excindere & Romanos Episcopos delere totis viribus conantū.

24. Quæres 2. Qualis requiratur electio, ut aliquis sit legitimus Episcopus Romanus, & consequenter Summus Pontifex? R. Jure Divino nihil est determinatum circa modum eligendi, sed relictum id est Ecclesiæ. Unde factum, ut Pontifices diverso modo fuerint electi. Nunc eliguntur à Cardinalibus, ita ut post Alexandrum III. in unum conspirare debeant duæ tertiæ suffragiorum. v. g. ex 60. Cardinalibus 40. conspirare debent in unum. Cæterum primæ electioni, à Cardi-

R. P. Piebler Theol. Polemica.

nalibus (vel quibuscunque) facta succedere debet altera, scilicet acceptatio totius, vel ferè totius Ecclesiæ; quod fit, quando vel nemo contradicit electioni factæ, vel tantum pauci, itque tam levis auctoritatis, ut prudenter dubitari non possit, quin à reliquis omnibus fidelibus approbata sit. Quæ acceptatio est quasi confirmatio electionis primæ, aut potiùs altera & absoluta electio, quæ supplet omnem defectum Juris Humani, ita ut contra Pontificem taliter acceptatum nulla possit fieri exceptio circa impedimentum Juris Humani. Utrum autem sit *Articulus fidei*, Pontificem taliter acceptatum, non laborare impedimento *Juris Divini*, & esse *verum* Pontificem, & non tantum putativum, controversia est etiam inter Catholicos Doctores. Plures probabilissimè affirmant, præsertim Doctores nostræ Societatis. Id saltem de fide est juxta omnes, quòd Pontifex taliter acceptatus sit *infallibilis*, si aliquid definiat, etiàm si contingere possit, ut tantum putativus esset. Spectabit igitur ad Providentiam Divinam non permittere, ut aliquis à tota Ecclesiæ acceptetur pro vero Pontifice, qui tamen non sit mas, aut baptizatus, aut alio impedimento Juris Divini laborans: aut si hoc permittere possit, impedire debet, ne aliquid definiat pro articulo fidei: aut si etiam hoc fortè permittere possit, debet ipsum reddere infallibilem circa ejusmodi definitionem, ne scilicet in errorem inducatur tota Ecclesiæ, quæ tenetur sequi doctrinam summi Pontificis, quem putat bona fide esse legitimum.

X

Sol-

## Solvuntur Objectiones.

26. Ob. 1. S. Petrus nunquam fuit Roma, saltem Episcopus: ergo Pontificiam Sedem non fixit Roma: ergo Romani Episcopi non sunt ejus Successores. A. prob. tum quia in SS. Litt. ris nihil legitur de profectione Romana Petri, tum quia Auctores non conveniunt de tempore, quo Petrus venerit Romam, tum quia Paulus longissimam scripsit epistolam ad Romanos, quod necessarium non fuisset, si Petrus fuisset Romae; aut saltem Paulus per suam epistolam, quam scripsit ad Romanos, salutasset Petrum: ergo.

R. N. A. D. Petrum vixisse & mortuum esse Romae Episcopum tam communis semper fuit omnium Historicorum, SS. Patrum & fidelium sensus, ut non minus impudens ac stultus censeri poterit, qui negasset, quam qui negaret, Julium Caesarem existisse Romae, & quidem primum Imperatorem; aut Lutherum existisse Wittenbergae, & desecisse à fide Catholica. Audiatur unicus Eusebius in Chronico, Anno 44. ubi sic scribit: *Petrus natione Galilaus Christianorum Pontifex primus, cum primum Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur, ubi Evangelium predicans 25. annis ejusdem Urbis Episcopus perseverat.* Eundem venisse Romam, & ibi crucifixum esse clatis terminis dicit ad finem l. 2. & ad initium l. 3. Hist. Eccles. Non obstante autem hac universali Patrum & Doctorum, quorum ferè ducentorum verba adducit Jodocus Coccius to. 1. l. 7. a. 5. conspuatione Lutherus,

Calvinus, Velenus, & hujus farinae Novatores dubitate aut negare ceperunt; quo fundamento? audire oraculum Lutheri ex tripode: *Omnis historia restantur, Petrum primum fuisse Romae Episcopum, sed mera sunt fabulae.* Colloq. Mens. de Antich. Ad probationem dico, argumentum negativum, ab auctoritate peritum, vanum esse, praesertim si adiant graves rationes in contrarium. Utique enim nihil valet haec argumentatio: Matthaeus non meminit Circumcisionis Christi ergo Christus non fuit circumcissus: Gentiles Scriptores nihil meminerunt de Divinitate aut Miraculis Christi; ergo haec vera non sunt: SS. Littere nihil meminerunt de Luthero; ergo Lutherus non existit. Possunt haec & similia utique innotescere aliunde facti. Auctores non discrepant in ipsa re, sed tantum de circumstantia temporis, quo anno nimirum Petrus venerit Romam; quod substantiae nihil obest. Sicut nemo propterea in dubium vocat, num Christus sit mortuus in cruce, licet de tempore sit lis inter Auctores, utrum nempe 16. vel 18. anno Tyberij id factum sit. Dum Paulus epistolam scripsit ad Romanos, vel Petrus tunc Romam fuit absens physice, constituens varias Ecclesias, quod saepius contigit, vel ipsi Paulus speciales litteras dedit, ut aliqui volunt: fuit igitur causa scribendi ad Romanos, & causa non salutandi Petrum in hac epistola. Denique S. Petrum fuisse Romae, & ibi suam pri-

primam epistolam scripsisse, colligitur ex hac ipsa Petri epistola, quia in ea legitur: *salutat vos Ecclesia, quae in Babylone collecta est*; nam per Babylon intelligitur Roma figuratiter, ut restatur Papias Apostolorum discipulus apud Eusebium l. 2. Histor. c. 15, cui consonat Apocalypsis, in qua Urbs Romana, qualis erat tempore S. Joannis, nimirum Ethnicis superstitionibus turgida, praesertim c. 17. dicitur Babylon, quam idem S. Joan. ruituram praedixit, nempe quoad Imperium temporale, & Gentilismum.

27. Ob. 2. Successio Romanorum Pontificum non est adeo certa: ergo. Ant. prob. 1. quia nescitur, quis fuerit immediatus Successor D. Petri, dum alij ponunt Linum, alij Clementem. 2. quia multi Episcopi Romani fuerunt simoniae & invalide electi, aut violente intrusi. 3. quia per 74. annos, quibus summus Pontifex residebat Avenione in Gallijs, scilicet à Clemente V. usque ad Gregorium XI. Romae nullus fuit Episcopus. 4. quia subinde duo aut omnino tres simul fuerunt Pontifices Romani, uti contigit in schismate illo omnium maximo, quod cepit circa annum 1380. & duravit usque ad Concil. Constantiense fere per 40. annos, in quo Concilio demum sublatum est.

R. N. Ant. Ad probationem 1. dico iterum, non esse incertum aut controversum apud Auctores, an aliqui, & quidem Romani Pontifices successerint D. Petro, neque lis est, an aliquis immediatè successerit Petro, in quo omnes conspirant; sed tantum de

R. P. Pichler Theol. Polonica.

tempore, utrum prior Clemente fuerit Linus, ut nobis videtur; quae lis non est de rei substantia. Ad 2. vel ejusmodi Pontifex illegitimè electus aut intrusus postea fuit acceptatus ab Universà Ecclesia, vel non? si prius, uti saepius factum est, cum Ecclesia judicaret, melius sibi esse habere Caput etiam malè constitutum, quam nullum, & tunc factus est legitimus Pontifex per hanc ultimam electionem: si posterius contigisset, Sedes Pontificia fuisset vacua usque ad novam electionem. Ad 3. Pontifices in Gallia residentes fuerunt veri Episcopi & Pontifices Romani, cum non sit de essentia Episcopalis jurisdictionis residentia personalis. Nec alius interea electus aut habitus est pro Episcopo Romano, quam Pontifex Avenione existens. Ad 4. In ejusmodi caestis schismatuna casibus fuit semper unus verus Pontifex, licet non omnibus satis cognitus; si autem nullus re ipsa esset verus, Sedes censeretur vacare. Ceterum non est obligatio obediendi Pontificibus dubijs, nec eorum acta valent, nisi confirmentur à Successore Pontifice certo. Neque illi, qui aliquem habent pro Pontifice opinione probabili, qui tamen re ipsa non est Pontifex, falluntur in aliquo fidei articulo, cum de fide non sit, Papam *dubium & probabilem* esse verum Papam.

Ob. 3. Pontifices Romani splendunt divitijs, & ingenti incedunt pompa. 28. ergo non sunt Successores D. Petri, qui fuit pauper & humilis. 2. Aliqui Pontifices Romani fuerunt valde scelerati: ergo non fuerunt Successores D. Petri.

X 2 84

3. Aliqui etiam lapsi sunt in haereses: utique autem homo haereticus non potest esse Pastor & Rector verè fidelium.

R. ad 1. externus apparatus, & gloria Romanorum Pontificum, est res per se indifferens, neque successionem impedit, aut officium Pastorale variat. Imò opulenta, splendor, & potentia, tantæ personæ conveniens, plurimum prodest ad retundendos Ecclesiae inimicos; & sicut initio Christus pauperem Ecclesiam medijs supernaturalibus, miraculis, martyrij &c. defendit & propagavit, ita postmodum placuit ipsi eam defendere & propagare adminiculo mediorem naturalium, faciendo illam gloriosam, opulentam, potentem: quæ potentia si abfuisset in Episcopis Germaniae, pridem haereticorum avaritiæ in prædam cessissent adhuc plures ditiones & Episcopatus. Quid multis? Opulentiam & gloriam Ecclesiae Christianae, quæ utique maximè splendere debet in Capite, prædixerunt Prophetae, uti Isaias 49. *Et erunt Reges Nutritij tui, & Regina Nutrices tua; vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* Ad 2. Christus nullibi legitur Officium Pastorale alligasse sanctitati Personæ, sicut valorem Sacramentorum non alligavit prohibiti Ministri. An Rex, si peccet, definit esse Rex? Nunquid Christus hortatur suos, ut *quacunque mali Superiores super Cathedram Moysis (Petri) sedentes dixerint, facerent, non autem secundum opera eorum?* Mat. 23. Itaque scelerati Pontifices non quidem sunt Successores Petri & Vicarij Christi quoad exactam vitæ sancti-

moniam; sunt tamen quoad potestatem Apostolicam. Perè sicut sceleratus Sacramentorum Minister, quamvis vitam ducat Apostolis, primis Sacramentorum Ministris, valde difformem, retinet tamen eandem potestatem conferendi Sacramenta, quam habuerunt Apostoli, & habent Ministri sancti, ut nec Adversarij negant. Item sicut Princeps secularis non amittit potestatem *Civilem*, licet vitam ducat sceleratam & *civilibus* moribus non honestam. Cæterum fuerunt valde pauci Pontifices scelerati in tanto numero Sanctissimorum & laudatissimorum Præsulum; & plurima ipsis affinguntur ex odio aut invidia ab haereticis, & malevolis. Ac insuper hi ipsi Pontifices, quos aperte culpamus propter sua scelera, meliores tamen fuere, quam Auctores adeoque optimi Lutheranorum, Calvinistarum &c. quia nullus ex ijs paucis Pontificibus, qui peccato luxuriæ v. g. infames erant, contra votum Religiositatis & perpetuæ Castitatis publicas nuptias celebravit, nullus suas turpitudines approbavit, & potestatem concessit violandi vota Castitatis, atque ad id alios animavit; uti tamen fecere impiissimi Lutherus & Calvinus, eorumque sectæ, qui inter primipilos habentur à Sectarijs. Cur haeretici semper eructant turpem paucissimorum Pontificum vitam, & dissimulant 34. Martyres, 42. Confessores, publico Ecclesiae iudicio Sanctis annumeratos, & plerisque alios saltem bonos & laudabiles? scilicet delectantur sordibus. Etiam si sedens super Cathedram Petri malus sit, tamen officium est sanctum, & ipse permanet



permanet esse Successor D. Petri, & rectè vocatur *Santissimus* ratione Officij, quod gerit. Ad 3. Vel Deus nunquam potest permittere, uti hæcenus probabiliter nunquam permisit, ut Pontifex, etiam ut homo privatus, cadat in hæresim, ut cum Bellarm. docent multi, vel si permitteret Deus, ita ut esset notorie hæreticus & contumax, talis Papa definirer esse Papa, & Sedes Pontificia inciperet vacare, sicut per mortem naturalem Pontificis contingit. Si verò esset hæreticus occultus, nihil obesset Ecclesiæ; Deus enim nunquam permittere posset, ut suam hæresim proponeret Ecclesiæ tanquam articulum fidei.

29. Ob. 4. Paulus loquens de potestate Principum Sæcularium dicit: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*; ergo etiam Pontifex Romanus: ergo ipse non est supremus Dominus & Gubernator omnium fidelium. 1. Leo IV. Papa petijt à Ludovico Imperatore Judices, quibus se obtemperaturam promisit. 3. Adrianus I. Carolo M. Leo VIII. Ottoni I. concessit jus eligendi Pontificem, & ordinandi Sedem Apostolicam. 4. Varij Imperatores deposuerunt Pontifices, & alios substituerunt, nominatim Henricus IV. dejecit Benedictum X. & substituit Nicolaum II. Ergo non Pontifices Romani, sed potius Imperatores habent supremam in Ecclesia potestatem. 5. Ipse Paulus Act. 25. *appellavit ad Cæsarem*.

R. ad 1. Paulus ibi non loquitur de determinatè de potestate Sæculari, sed generaliter de omnibus Superioribus, inter quos summus omnium est Papa:

exemplum quidem subjungit de Principe Sæculari, quia Christiani tunc erant accusati alicujus criminis Politici, scilicet seditionis. Ad 2. Leo IV. se tantum subjecit judicio Imperatoris *discrètivo*, quod exercetur sine jurisdictione, non *coactivo*. Ad 3. Adrianus & Leo Imperatori solum concesserunt facultatem confirmandi electionem Pontificis per *defensionis* assistentiam, non per *jurisdictionis* potestatem; quia tunc indigebat Sedes Apostolica præsidio & auxilio Imperatorum contra Longobardos & alios hostes. Si per potestatem jurisdictionis arrogassent sibi Imperatores aliqui Pontificem confirmandi auctoritatem, iniquè fecissent, idque ipsis à nullo Pontifice concessum est, nec concedi potuit. Ad alterum, quod additur, dico, non nisi in *temporalibus* permissum fuisse Imperatoribus *ordinare* Ecclesiam Romanam. Ad 4. Illi Imperatores, qui attentarunt deponere Papas, omnes iniquè & impiè egerunt, præsertim Henricus IV. Cur Adversarij non etiam adducunt exemplum Neronis, D. Petro claves cum vita extorquentis, & sic generosà consequentiâ inferunt, Reges & Pontifices subijci Parricidis? Interim tamen ex Imperatoribus Otto I. & Henricus III. aliquo modo excusantur, quorum prior Joannem XII. sceleratum & intrusum Pontificem piò quidem Zelò, sed non secundum scientiam, deposuit, alter verò Gregorium VI. non deposuit, sed persuasit, ut sponte cederet. Ad 5. Paulus appellavit ad Cæsarem tanquam ad *Defensorem* contra vexationes Judæorum, non tanquam ad Judicem competentem:

rema: appellavit ad Tribunal Caesaris tanquam ad asylium, non tanquam ad *forum Judiciale*. Vel appellavit de facto, non de jure; quia alium Judicem non agnoscebant ejus Accusatores.

30. Ob. 5. Gregorius M. quem etiam Calvinus & alij Adversarij *Sanctum* appellant lib. 2. ep. 61. Imperatorem vocat Serenissimum Dominum suum, se verò indignum ejus servum: & obedientiam ei se debere ingenuè fatetur.
2. Idem S. Pontifex titulum *Oecumenici* seu *Universalis* Episcopi acriter improbat l. 6. ep. 30. ubi sic ait: *ego fidenter dico, quia quisquis se Universalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Anti-Christum praecurrit, quia superbiendo se caeteris praeponit.*
3. In Conc. Nican. can. 8. sic habetur: *constitutum est, ut Episcopus Aegypti, id est, Patriarcha Alexandrinus praesideat, & habeat potestatem totius Aegypti, quia sic convenit, & quia similiter Episcopus Roma, id est, Successor Apostoli Petri potestatem habet omnium civitatum & locorum, quae sunt circa eam, ac similiter Episcopus Antiochenus, id est, Patriarcha potestatem habet provinciarum totius: ergo Episcopus Romanus non habet Primatum in omnes fideles, Episcopos, & Imperatores.*

R. ad 1. S. Gregorius ex speciali submissione & humanitate id fecit, sicuti teste Joanne Diac. l. 4. vitæ c. 58. omnes Sacerdotes *fratres*, omnes Clericos *filios*, & omnes Laicos vocabat *dominos* suos; quis autem dicat, eum

in his agnovisse aliquam Superioritatem & jurisdictionem erga se. Pariter dum preces & petitiones Imperatoris ex humilitate accipiebat tanquam mandata, quibus obedire voluit, non agnovit in Imperatore aliquam potestatem imperandi proprie dictam: sic & de facto saepe profitebatur nos obedituros illis, qui tamen imperare nobis non possunt. Nam Gregorius erat *Pastor*, Imperator *ovis*, nec id Gregorius ignoravit, nec tacuit; nam l. 4. ep. 31. etiam servum Imperatoris se dicat, tamen addit, Imperatorem debere reverentiam Sacerdotibus exhibere: quod certè non Superioris, sed Inferioris est. Interim Gregorius causam habuit tam humiliter loquendi & scribendi Imperatori; cum iste ex permissione Divina suae potestatis jura transcendens nimium sibi tribueret in Ecclesiam, & Ecclesiae Praesules, ex altera verò parte Gregorius vaide indigeret ope ac amicitia Imperatoris adversus Longobardos Ecclesiae acerrimos hostes. Deinde illis temporibus etiam Imperatores aliqui, ut dixi, nimiam sibi auctoritatem in Romanum Pontificem arrogabant: nam postquam Herulorum & Italia Reges, cum primis Odoacer, & Theodoricus Arianus, turbare ceperunt electionem liberam Romani Pontificis, postmodum Reges Gothorum, & tandem malum exemplum pari tenore secuti sunt Imperatores Romani, cum primis Justinianus, qui electos Pontifices tyrannicè coegerunt confirmationis titulo certam pecuniam summam dissolvere: quam tamen praetensionem velut iniquam rursus abrogarunt alij Imperatores, nempe Constan-

tinianus

tinus Barbatuſ, Ludovicuſ Piuſ &c. Et cū poſtea anno circiter 963. Otho Magnuſ ejuſque filiſ junior haſ tricaſ denio ſuſcitarent, ruruſ eaſ abrogavit S. Henricuſ ex Duce Bavariæ Imperator. Et hæc Imperatorum arrogantia & viciliſtudo multas turbas ac bella inter Pontifices ac Imperatores ſuſcitavit, cū Imperatores ſuoſ clientuſ per vim intrudebant, quos recuſabat Cle- riuſ Romanuſ; donec tandem Cardinaliuſ Cæruſ prævaluit circa annum Chriſti 1143. liberè eligendo Cæleſtium II.

Ad 2. Gregoriuſ improbat tituluſ *Univerſaliſ* in illo, cui non competit, & qui ex ambitione eum ſibi tribui contendit, uti fecit Epicoſuſ Conſtanti- nopolitanuſ Joanneſ, quem propterea reprehendit. Pro ſe autem & in ſe non admittit hunc tituluſ, quamvis competentem, partim ſtudio humilitatiſ, partim quia hic tituluſ intelligi poteſt in aliquo ſenſu falſo, nimirum in hoc, quaſi ille, qui *Univerſaliſ* Epicoſuſ dicitur, eſſet ſoluſ Epicoſuſ, adempto aliſ omnibuſ honore & nomine Epicoſopalī: in quo ſenſu l. 4. ep. 38. ad Mauritiuſ Imp. ait, nullum Romanorum Pontificuſ uſurpãſſe nomen Epicoſi Univerſaliſ. In quem ſenſu alibi dicit: *ſi unuſ Univerſaliſ eſt, reſtat, ut voſ Epicoſi non ſitiſ.* Interim quantum Gregoriuſ tituluſ Univerſaliſ ex allatiſ cauſiſ renuit, tantum e ipſa in ſe agnovit poteſtateſ Univerſaleſ, & ſe geſſit pro Epicoſo Univerſali, vel potiùſ Univerſaliſ Eccleſiæ, ſeu pro ſupremo Capite omnium Epicoſorum. Siquidem hanc ſupremam

poteſtateſ & Primatuſ exercuit in Epicoſoſ Sicilia l. 2. indict. 10. ep. 4. in Epicoſoſ Africa ep. 32. in Epicoſoſ Gallia l. 7. indict. 2. ep. 112. in Epicoſoſ Dalmatia l. 5. ep. 26. in Epicoſoſ Hiſpania l. 11. ep. 50. in Epicoſoſ Græcia l. 5. ep. 7. ubi ſignificat Epicoſiſ Epiri, *ſe cuncta privilegia Andrea Epicoſi confirmãſſe, quaſ prædeceſſoreſ (Romani Pontifices) ejuſ prædeceſſoribuſ contulerunt.* Et l. 7. ep. 63. ad Joanneſ Epicoſuſ Syracuſanuſ ſic ſcribit: *de Conſtanti-nopolitana Eccleſia (quaſ tamen omnium maxime ſe ſubtrahere moliebatur juridi-c-tioni Romani Epicoſi) quiſ eam dubitet Apoſtolica Sedi eſſe ſubjectam? quod & Dominuſ piſſimuſ Imperator, & frater noſter Eufebiuſ ejuſdem civitatiſ Epicoſuſ aſſidue proficitur.* Denique idem Gregoriuſ non tantum exercuit Primatuſ in totam Eccleſiaſ, ſed eundem clarè aſſeruit: nam l. 7. indict. 2. ep. 69. ait: *Sine Apoſtolica Sediſ authoritate atque conſenſu nullat, qua-cun-que acta (in Synodo) fuerint, viroſ habent &c. Si quiſ ſeriuſ ſententia aliqua in parte neglexerit, a B. Petri Apoſtoloruſ Principiſ pace ſe noverit ſegregatuſ.* Et in Pſal. 4. Pœnitentialem: *Simoniacuſ Rex in tantum ſue temeritateſ extendit veſania, ut caput omnium Eccleſiaruſ Romanam Eccleſiaſ ſibi vendicet, & in Domina Gentiuſ terrena juſ poteſtatiſ uſurpet. Quod omnino ille fieri prohibuit, qui hanc B. Petro Apoſtolo ſpecialiter comiſiſt, dicens: Tibi dabo Eccleſiaſ meam.* Vid. Serrariuſ à p. 372. Demum in epist. de privill. conſeſſo Monafterio S. Me-

S. Medardi clarè pronuntiat: *haec Sedes Romana speculationem suam toti Orbi indicis, & novas constitutiones omnibus mittit.* Nunquid haec Universalem potestatem indicant? Ad 3. Ibi solum declaratur, Episcopum Romanum non tantum in districtu Romano suae dioceseos particularis esse Episcopum, sed etiam esse Archiepiscopum & Patriarcham pro certo districtu, scilicet pro Occidente: cum quo Patriarchatu, cui similis erat Constantinopolitanus, Antiochenus, Alexandrinus, & Jerosolymitanus, stat simul potestas Universalis in totam Ecclesiam competens ipsi tanquam Capiti à Christo constituto, & tanquam Pastori omnium Christi ovium; sicut cum Episcopatu stat dignitas & potestas Archiepiscopalis & Patriarchalis in inferioribus Papae Episcopis.

31. Ob. 6. Circa annum Christi 850. inter Leonem IV. & Benedictum III. aliqua foemina fuit Papa, dicta Joannes VIII. Sed hoc modo fuit interrupta successio Pontificum, & tota Ecclesia erravit acceptando Pontificem, impedimento Juris Divini laborantem.

R. haec est decantata fabula, tum quia Historici illius temporis, & valde vicini, qui tamen ex professo scribebant seriem Pontificum, ut Anastasius Bibliothecarius, Ado Viennensis, Rhegino Abbas, Otto Frisingensis, Abbas Urspergensis &c. nullam prorsus mentionem hujus rei faciunt, asserentes, post Leonem IV. statim intra paucos dies electum esse Benedictum III. Illi autem Historici, qui ex Catholicis de Papa foemina meminerunt, primum post aliqua secula vivebant, uti Maria-

nus Scotus, Sigebertus, & Martinus Polonus, qui insuper non pro certo asserunt, sed *dubio*, adhibendo hos terminos, *dicitur, fama est.* Præterea isti Auctores in alijs rebus Historicis saepe convincuntur errasse vel ex simplicitate, vel ex fraude Schismaticorum, Casari contra Pontificem nimis faventium, ut erat Card. Benno, vel à malevolis corrupti. Quibus plus credendum? Tum quia in circumstantijs hujus fabulae, per se incredibilibus, Adversarij sibi turpiter contradicunt, v. g. de hujus foeminae nativitate, nomine, studijs, partu &c. Neque dicas, nostrum fundamentum negandi, quod Papa fuerit foemina, esse negativum ab auctoritate petitum, quod diximus inefficax esse. Nam non est pure negativum, sed simul etiam affirmativum, in quantum memorati Auctores synchroni scripserunt tale quid, cum quo stare non potest Papa Joannissa. Certè si fuisset haec Papissa, debuissent illius mentionem facere, quia spectasset per se ad historiam, cum ex professo scripserint successionem Pontificum. Deinde etsi revera irrepisset foemina, tamen propterea non fuisset interrupta successio Pontificum, sed tantum vacasset Sedes per unum aut alterum annum, quibus praesuisse fingitur haec foemina. Præterea non est definitus fidei articulus, non posse irreperere Pontificem putativum, impedimento Juris Divini laborantem. Denique cur Sectarij nobis objicere praesumunt foeminam Papissam, cum tamen Calvinista in Anglia aperte agnoscant pro Capite Ecclesiae suae, & Lutherani mortuis Regibus & Electoribus &c.

Regi-

Regimen Ecclesie transferant ad superstites eorum Uxores ?

52. Ob. 7. Papa est Antichristus : ergo non est Successor D. Petri. Ant. prob. 1. quia Papa est valde superbus, & ostendit se tanquam Deum, se extollendo super Imperatores & omnem potestatem humanam. 2. Quia facit falsa miracula Laurenti, Oettingæ Veteris &c. 3. Quia Suis imprimit characterem Antichristicum, scilicet per Unctionem in Sacramento Confirmationis. 4. Quia Papa sedet in *Templo Dei*, scilicet in Ecclesia Christi. Hæc enim sunt genuina signa Antichristi.

R. Vel Adversarij nomine Antichristi intelligunt illum Magnum, quem recipient Judæi Jo. 5. & tribus annis cum dimidio persequetur Ecclesiam Dan. 7. & Apoc. 12. quem Paulus vocat hominem peccati, non venturum, antequam dissolvatur & de medio fiat Romanum Imperium 2. Thess. 2. qui primum veniet in fine Mundi Mat. 24. Qui negabit, Jesum esse Christum 1. Jo. 2. qui se asseret verum Messiam Jo. 5. qui coli cupiet pro Deo. 2. Thess. 2. ? Et iste Antichristus *Magnus*, quem communiter intelligimus prolata voce *Antichristus*, evidenter non est Papa, tum quia Papa non est persona singularis, sed sunt plures continua successione, tum quia nihil ex signis hujus Antichristi convenit Romanis Pontificibus, cum nullus neget Christum, nec ullus se dicat Messiam, aut Deum &c. Ut adeo non putem, ullum unquam fuisse hæreticum, vel Lutheranum, Calvi-

R. P. Pichler Theol. Polemica.

nistam &c. adhuc ratione utentem, qui revera crediderit aut credat, Papam esse hunc *Antichristum Magnum*, pro quo eum haberi cupiunt ab imperita plebe. Vel nomine Antichristi intelligunt omnes illos, qui adversantur Christo, falsa docendo, ut fuerunt hæretici, aut Ecclesiam Christi persecuendo, de quibus S. Joannes dicit : *nunc Antichristi multi sunt.* c. 2. v. 18 ? Et tunc non Papa, sed illi, qui ab Ecclesia egressi novam doctrinam tradunt (verbò omnes Apostata) Antichristi sunt, & appellantur à S. Joanne, quia statim post citata verba subjunxit : *ex nobis prodierunt* (ab Ecclesia defecerunt) *sed non erant ex nobis.* Nos non ex ipsis, sed ipsi prodierunt ex nobis, seu defecerunt. Si autem nomine Antichristi intelligant quosvis perversos homines, plures longè apud se Antichristos, magni illius Antichristi præambulones, reperient, quàm apud nos.

Ad probationem 1. Non ex superbia se ipsum extollit Papa supra Imperatores & omnem potestatem humanam, sed à Christo ita extollitur, utpote constitutus super omnes oves Christi, inter quas utique etiam numerari cupiunt Principes & Imperatores Christiani. Deum autem minimè se facit Papa aut Christum, quia hunc adorat tanquam unum verum Deum, cujus se Vicarium novit. Quare Adversarij eminentiam summi Pontificis interpretantur pro superbia, quam ipsi Christus contulit, & omnia malignè corradiunt, quæ speculationis habent, dissimulantes interima-

Y 7

cla-

clara humilitatis indicia. v. g. dum se vocat servum servorum Dei, dum pauperum lavat pedes & osculatur in Cœna Domini, dum visitat hospitales aedes &c.? Ad 2. Non Papa, sed Deus facit illa miracula ad intercessionem B. V. ad ejus statuas, quæ miracula nec falsâ, nec illa sunt, quæ sicut patrabat Antichristus. Apoc. 13. Ad 3. Character Antichristicus erit sensibilis, omnibusque ejus affectibus necessarius, ut emere possint & vendere &c. Apoc. 13. & 14. talis autem non est Unctio Christum in Confirmatione, nec alius ritus Pontificius. Ad 4. Etiam D. Petrus sedet in Ecclesia Christi: an ergo & ipse fuit Antichristus? Deinde si Pontifex Romanus sedet in Ecclesia Christi, tunc Ecclesia Romana erit Ecclesia Christi: ergo Sectarij non sunt in Ecclesia Christi. Per templum Dei D. Paulus non intellexit Ecclesiam Christi, sed templum Jerosolymitanum, quod ad hanc impietatem restaurabitur, ut dicunt multi Interpretes in c. 9. Danielis.

33. Obijciunt 8. iterum aliquorum Pontificum scelera ( non enim facile vel trium foliorum Scriptorem ex modernis Sectarijs reperies, qui non rimetur sordes, & vitam Pontificum jugillet, utique cum defint argumenta solida ) præsertim reos agunt Magiæ & Luxuriæ. Sed nullum ex omnibus Pontificibus, ne quidem Sylvestrum I. I. & Gregorium VII. quos maxime accusant, fuisse fædo Magiæ crimine infectum, ostendit Baronius, præsertim ad annum Christi 999. Quidquid dicat

Benno pseudo-Cardinalis, juratus Romanorum Pontificum hostis, utpote ab ipsis depositus, & qui ab eo decepti perperam descriperunt. Pariter primis 900. annis nullus ex Romanis Pontificibus turpi *Luxuriæ* vitio contaminatus est, primusque fuit Sergius III. quem postea ex omnibus vix ultra quatuor secuti sunt, de turpitudine convicti, qui tamen omnes vel intrusi vel alias non satis legitime electi erant, acceptati tamen postea ab Ecclesia, quæ judicabat, melius esse habere Caput, etiam tale, quam nullum, vel incertum. Quanta autem hæc est gloria Romanæ Ecclesiæ, quod tam pauci ex tanto numero, in tanta impunitate, in tanta proclivitate naturæ, huic vitio succubuerint! si Sectarij, eorumque Praecones, uxoribus juncti, tamen sæpe deprehendantur adulterijs, incestibus, & alijs turpitudinibus contaminati: quid mirum, si in summa libertate constituti paucissimi quidam Principes Ecclesiastici, quibus nullum præter virtutem & timorem Domini remedium est conscientia, aliquando lapsi sint? Quorum tamen lapsus plurimorum Pontificum integerrima & sanctissima vita ita operit, ut nemo, nisi sit impudens filius Cham, turpitudinem Patris revelare audeat.

Ut autem videat Lector, quam pauci existerint criminosi Papæ, placet eorum seriem, qua sibi succedebant, ex Bellarmino & alijs annexere, adjectâ singulis, qui ob publica scelera infames erant, hæc nota O ( ab Arithmeticijs *Nulla dicta* ) ijs verò, qui mediocris vi-

ta ac fama, appositò infausta illius nota dimidiò C. illis autem, qui boni fuerunt & laudabiles, litterâ L. denique Sanctis litterâ S; ut uno quasi in-

tuitu cuilibet pateat ad oculum, quinam fuerint Sede Pontificia indigni Pastores, quinam medioeris fortis, quinam laudabiles & sancti.



S E R I E S  
PONTIFICUM ROMANORUM.

<i>Nota.</i>	<i>Nomen.</i>	<i>Tempus.</i>	<i>Nota.</i>	<i>Nomen.</i>	<i>Tempus.</i>
S.	Petrus.	34.	S.	Felix I.	273.
S.	Linus.	70.	S.	Eutychianus.	275.
S.	Cletus.	81.	S.	Cajus.	284.
S.	Clemens.	93.	S.	Marcellinus.	297.
<i>Saeculum II.</i>			<i>Saeculum IV.</i>		
S.	Anacletus.	103.	S.	Marcellus I.	304.
S.	Evaristus.	112.	S.	Eusebius.	309.
S.	Alexander I.	121.	S.	Miltiades. <i>aliàs</i> Melchias.	311.
S.	Sixtus I.	132.	S.	Sylvester I.	314.
S.	Telesphorus.	142.	S.	Marcus.	336.
S.	Hyginus.	154.	S.	Julius I.	337.
S.	Pius I.	158.	L.	Liberius.	352.
S.	Anicetus.	167.	S.	Felix II.	358.
S.	Soter.	175.	S.	Damasus I.	367.
S.	Eleutherius.	179.	L.	Siricius.	385.
S.	Victor I.	194.	S.	Anastasius.	398.
<i>Saeculum III.</i>			<i>Saeculum V.</i>		
S.	Zephyrinus.	203.	S.	Innocentius I.	402.
S.	Callistus I.	221.	S.	Zosimus.	417.
S.	Urbanus I.	227.	S.	Bonifacius I.	419.
S.	Pontianus.	233.	S.	Caelestinus I.	424.
S.	Anterus.	238.	S.	Sixtus III.	432.
S.	Fabianus.	239.	S.	Leo Magnus.	440.
S.	Cornelius.	254.	S.	Hilarius.	461.
S.	Lucius I.	255.	S.	Simplicius.	468.
S.	Stephanus I.	257.	S.	Felix III.	483.
S.	Sixtus II.	260.	S.	Gelasius I.	492.
S.	Dionysius.	261.			S. Ana



Nota.	Nomen.	Tempus.	Nota.	Nomen.	Tempus.
S.	Anastasius II.	497.	S.	Agatho.	678.
S.	Simmachus.	499.	S.	Leo II.	683.
<i>Saeculum VI.</i>			S.	Benedictus II.	684.
S.	Hormisda.	514.	L.	Joannes V.	685.
S.	Joannes I.	524.	L.	Conon, <i>alias</i> Cuno.	687.
S.	Felix IV.	526.	S.	Sergius I.	688.
L.	Bonifacius II.	530.	<i>Saeculum VIII.</i>		
L.	Joannes II.	532.	L.	Joannes VI.	702.
S.	Agapetus I. <i>alias</i> Agapitus.	532.	L.	Joannes VII.	705.
		532.	L.	Sifinius.	708.
S.	Silverius.	537.	L.	Constantinus I.	708.
S.	Vigilius.	540.	S.	Gregorius II.	715.
L.	Pelagius I.	555.	S.	Gregorius III.	731.
L.	Joannes III.	560.	S.	Zacharias.	742.
L.	Benedictus I.	573.	L.	Stephanus II.	752.
L.	Pelagius II.	578.	L.	Stephanus III.	752.
S.	Gregorius Magnus.	590.	S.	Paulus.	757.
<i>Saeculum VII.</i>			L.	Stephanus IV.	768.
O.	Sabinianus.	605.	L.	Hadrianus I.	772.
L.	Bonifacius III.	606.	S.	Leo III.	796.
S.	Bonifacius IV.	607.	<i>Saeculum IX.</i>		
S.	Deusdedit.	615.	L.	Stephanus V.	816.
L.	Bonifacius V.	618.	S.	Papthalis I.	817.
L.	Honorius I.	626.	L.	Eugenius II.	824.
L.	Severinus.	639.	L.	Valentinus.	827.
L.	Joannes IV.	640.	L.	Gregorius IV.	828.
L.	Theodorus I.	641.	L.	Sergius II.	844.
S.	Martinus I.	649.	S.	Leo IV.	847.
L.	Eugenius I.	654.	L.	Benedictus III.	855.
S.	Vitalianus.	655.	L.	Nicol. Magnus I.	858.
L.	Adéodatus.	669.	L.	Hadrianus II.	868.
L.	Donus, <i>alias</i> Domnus.	676.	C.	Joannes VIII.	873.
			L.	Marinus I.	883.
				Yy 3	L. Ha.

Nota.	Nomen.	Tempus.	Nota.	Nomen.	Tempus.
L.	Hadrianus III.	884.	L.	Benedictus VII.	975.
L.	Stephanus VI.	885.	L.	Joannes XIV.	984.
L.	Formosus.	891.	L.	Joannes XV.	985.
O.	Bonifacius VI.	895.	L.	Joannes XVI.	995.
O.	Stephanus VII.	897.	L.	Gregorius V.	996.
L.	Romanus.	900.	L.	Sylvester II.	999.
<i>Seculum X.</i>			<i>Seculum XI.</i>		
L.	Theodorus II.	901.	L.	Joannes XVII.	1003.
L.	Joannes IX.	901.	C.	Joannes XVIII.	1003.
L.	Benedictus IV.	905.	L.	Sergius IV.	1009.
L.	Leo V.	907.	L.	Benedictus VIII.	1012.
O.	Christophorus.	908.	L.	Joannes XIX.	1024.
O.	Sergius III.	908.	O.	Benedictus IX.	1034.
L.	Anastafius III.	910.	L.	Gregorius VI.	1044.
C.	Lando.	912.	L.	Clemens II.	1047.
O.	Joannes X.	912.	L.	Damasus II.	1048.
L.	Léo VI.	928.	S.	Leo IX.	1049.
L.	Stephanus VIII.	929.	L.	Victor II.	1055.
O.	Joannes XI.	931.	L.	Stephanus X.	1057.
<i>Muli hic ponunt Leonem VII. quem tamen Baronius vocat Pseudo-Pontificē. 936.</i>			L.	Nicolaus II.	1058.
L.	Stephanus IX.	940.	L.	Alexander II.	1061.
L.	Martinus II.	943.	S.	Gregorius VII.	1073.
L.	Agapetus II.	946.	L.	Victor III.	1086.
O.	Joannes XII.	956.	L.	Urbanus II.	1087.
L.	Benedictus V.	965.	L.	Paschalis II.	1099.
L.	Leo VIII.	965.	<i>Seculum XII.</i>		
L.	Joannes XIII.	966.	L.	Gelasius II.	1118.
L.	Donus II.	972.	L.	Callistus II.	1119.
L.	Benedictus VI.	973.	L.	Honorius II.	1125.
<i>Hic ponunt aliqui Bonifacium VII. quem Baronius appellat Tyrannum.</i>			L.	Innocentius II.	1130.
			L.	Celestinus II.	1143.
			L.	Lucius II.	1144.
			L.	Eugenius III.	1145.
			L.	Ana-	

<i>Nota.</i>	<i>Nomen.</i>	<i>Tempus.</i>	<i>Nota.</i>	<i>Nomen.</i>	<i>Tempus.</i>
L.	Anastasius IV.	1153.	L.	Benedictus XI.	1334.
L.	Hadrianus IV.	1154.	C.	Clemens VI.	1342.
L.	Alexander III.	1160.	L.	Innocentius VI.	1352.
L.	Lucius III.	1181.	L.	Urbanus V.	1362.
L.	Urbanus III.	1186.	L.	Gregorius XI.	1371.
L.	Gregorius VIII.	1187.	L.	Urbanus VI.	1378.
L.	Clemens III.	1188.	L.	Bonifacius IX.	1389.
L.	Cælestinus III.	1191.	<i>Sæculum XV.</i>		
L.	Innocentius III.	1198.	L.	Innocentius VII.	1404.
<i>Sæculum XIII.</i>			L.	Gregorius XII.	1406.
L.	Honorius III.	1216.	L.	Alexander V.	1409.
L.	Gregorius IX.	1227.	O	Joannes XXII. <i>communiter</i>	
L.	Cælestinus IV.	1241.		XXIII.	1410.
L.	Innocentius IV.	1243.	L.	Martinus III. <i>communiter</i>	V.
L.	Alexander IV.	1254.			1417.
L.	Urbanus IV.	1261.	L.	Eugenius IV.	1431.
L.	Clemens IV.	1265.	L.	Nicolaus V.	1447.
L.	Gregorius X.	1271.	L.	Callistus III.	1455.
L.	Innocentius V.	1276.	L.	Pius II.	1458.
L.	Hadrianus V.	1276.	L.	Paulus II.	1464.
L.	Joannes XX.	1276.	L.	Sixtus IV.	1471.
L.	Nicolaus III.	1277.	L.	Innocentius VIII.	1484.
L.	Martinus II. <i>aliàs</i> IV.	1281.	O	Alexander VI.	1492.
L.	Honorius IV.	1285.	<i>Sæculum XVI.</i>		
L.	Nicolaus IV.	1288.	L.	Pius III.	1503.
S	Cælestinus V.	1294.	C.	Julius II.	1503.
L.	Bonifacius VIII.	1294.	L.	Leo X.	1513.
<i>Sæculum XIV.</i>			L.	Hadrianus VI.	1522.
L.	Benedictus X.		L.	Clemens VII.	1523.
	<i>Aliàs etiam</i> XI.	1303.	L.	Paulus III.	1534.
C	Clemens V.	1305.	L.	Julius III.	1550.
C	Joannes XXI. <i>communiter</i>		L.	Marcellus II.	1555.
	XXII.	1316.	L.	Paulus IV.	1555.
				L. Pius	

<i>Nota.</i>	<i>Nomen.</i>	<i>Tempus.</i>	<i>Nota.</i>	<i>Nomen.</i>	<i>Tempus.</i>
L.	Pius IV.	1560.	L.	Gregorius XV.	1621.
S.	Pius V.	1566.	L.	Urbanus VIII.	1623.
L.	Gregorius XIII.	1572.	L.	Innocentius X.	1644.
L.	Sixtus V.	1585.	L.	Alexander VII.	1655.
L.	Urbanus VII.	1590.	L.	Clemens IX.	1667.
L.	Gregorius XIV.	1590.	L.	Clemens X.	1669.
L.	Innocentius IX.	1591.	L.	Innocentius XI.	1676.
L.	Clemens VIII.	1592.	L.	Alexander VIII.	1689.
			L.	Innocentius XII.	1691.
			L.	Clemens XI.	1700.
	<i>Seculum XVII.</i>				
L.	Leo XI.	1605.			
L.	Paulus V.	1605.		<i>Summa</i> 247.	

Ex his 247. Pontificibus fuerunt *sancti Martyres* 34. scilicet omnino omnes trium primorum sæculorum, numero triginta, deinde Marcellus I. Sæculo IV. Vigilus & Pelagius I. Sæculo VI. Martinus I. Sæculo VII. *Sancti Ecclesie Doctores* 2. scilicet Leo M. & Gregorius M. alij *Sancti Confessores* 41. Adeoque ex 247. exstiterunt Sanctis annumerati 77. serè tertia pars Pontificum. Quanta gloria Ecclesie Romanæ! Quæ unquam Communitas, quæ Respublica vel profana vel facta, tot sanctos Principes habuit? Neque primitiva tantùm Ecclesie sanctorum Pontificum ferax erat; quia post Gregorium M. qui clausit Sæculum VI. adhuc numerantur 18. inter Sanctos relati: Protestor autem, si fortè (quod humanum est) in uno vel altero, à me *Sanctis* anumerato, vel omisso deceptus fuissim, me bona fide procellisse, salvà per omnia Sedis Apostolicæ auctoritate, cujus est declarare *Sanctos*.

Cæteri fuerunt saltem boni & lauda-

biles (exceptis 11. qui cum scandalo præfuerunt, & alijs 7. qui partim cum laude, partim cum infamia Pontificatum gesserunt) fuerunt boni, inquam, & laudabiles, hoc est, vel nunquam graviter & scandalosè lapsi sunt, vel admissum errorem. v. g. aliquam socordiam, affectum nimium ergo consanguineos, nimiam parsimoniam, vel nimiam liberalitatem &c. aut penitentiâ, aut factis contrarijs, aut alijs egregijs virtutibus emendârunt. Vel etiam egregijs facinoribus insignem virtutem aut scientiam suam comprobârunt, nomènque æternâ memoriâ dignissimum posteris reliquerunt.

Ubi hoc etiam adverto, nullum ex Germanis Pontificibus non bonum fuisse. Ex Germania enim ad Solium Papale evocati sunt 7. Nimirum *Stephanus XI.* promovente Ottone Imperatore, cujus patria & familia latet. *Gregorius V.* Imperatoris Ottonum stirpis, Sueviæ Dux. *Clemens II.* Saxo, prius

prius Episcopus Bamberg. *Damasus II.* Bavarus, prius Episcopus Brixinae in Tyrol. *S. Leo IX.* Alsatius Comes de Taxspurg, prius Episcopus Tullensis in Lotharingia. *Victor II.* Suevus, Comes de Calb, prius Episcopus Eystettensis. *Hadrianus VI.* Belga, prius per Hispaniam Prorex. Sunt & alij 5. Pontifices ex Romano Imperio Germanorum assumpti, nimirum *Stephanus X.* Lotharingae Dux. *Callistus II.* Burgundiae Dux. *Innocentius V.* Lotharingus.

*Bonifacius II.* & *Pelagius II.* Gotthi. Caeteros dedit plerosque Italia & Roma. Ex Judaea tamen ortum duxerunt 3. ex Syria 6. ex Africa 3. ex Hispania & Portugallia 4. Ex Francia 10. Ex Dalmatia & Thracia 3. ex Graecia 12. ex Anglia 1. ex Candia five Creta 1. ex Sicilia 3. ex Sardinia 2. toto Romano Germanorum Imperio 12. quos paulo ante honoris gratia nominavi.

## ARTICULUS II.

*Romanus Pontifex est etiam Caput Conciliorum.*

### SUMMARIUM.

1. Quid & quotuplex sit Concilium.
2. Ut aliquod Concilium sit generale & legitimum, debet esse convocatum auctoritate summi Pontificis.
3. Dirigi ab eodem vel per se vel per suos legatos praesidente.
4. Potest tamen tam convocationis quam praesidentia Pontificia defectus suppleri per subsequentem approbationem.
5. Debent vocari omnes Episcopi Diocesim habentes.
6. Formula celebrandi Concilium habetur Act. 15.
7. Quenam hucusque celebrata sine Concilia generalia, tam legitima, quam illegitima, & mixta.
8. Concilium generale legitimum in suis decretis fidei & morum est infallibile.
9. Et habet potestatem ferendi Leges totum Orbem Christianum obligantes.
10. Non est incertum, an defacto aliqua Concilia fuerint legitima. Etiam Adversarij aliqua agnoscunt & recipiunt. Quas hodie Sellarij ineptas conditiones requirant ad legitimum Concilium.
11. Quid, si Papa solus toti Concilio contradiceret?
12. An & quomodo Concilia faciant novos fidei articulos?
13. Nulla Concilia generalia legitima errarunt unquam.
14. Exponitur status illius famosae questionis, an Papa sit supra Concilium.
15. Afferitur, & probatur ex Scriptura, Papam esse supra Concilium.

R. P. Pichler Theol. Polemicæ

Zz

16.

16. Idem probatur ex Concilijs.

17. Et ex ratione.

18. Diluuntur, qua opponuntur ex Scriptura.

19. Quae ex Concilijs, Pisano, Constantiensi, &amp; Basileensi.

20. Ac ex historia Ecclesiastica.

21. 22. Et demum, qua ex ratione.

## S. I.

## De natura, varietate, &amp; auctoritate Conciliorum.

1. Sciendum 1. Nomine Concilij in Ecclesia ferè idem significari, quod in Regnis Politicis significatur per Comitia. Quod autem Latine vocatur Concilium, Graecè appellatur Synodus vel Synedrion. Porro Concilium sic definiti potest: est legitimus conventus Praesulum Ecclesiasticorum ad majora fidei & Religionis finienda negotia, v. g. ad damnandas haereses, tollenda schismata, sancendum bellum contra Paganos & Ecclesiae hostes, reformandos mores fidelium, ferendas Leges &c. 2. praecipuam Concilij divisionem esse in Generale & Particulare: Generale, quod etiam dici solet Universale, & Oecumenicum, est, quod celebratur nomine totius Ecclesiae, ad quod omnes totius Orbis Episcopi vocantur, qui commodè vocari & expectari possunt, etiamsi non teneantur omnes comparere, qui scilicet legitime sunt impediti: modò tamen se sistant insignis aliqua multitudo, vel ex singulis Nationibus, vel saltem ex duabus praecipuis Mundi partibus, Oriente & Occidente, uti docet antiqua Ecclesiae praxis. Particulare subdividitur in Nationale, Provinciale, & Dioecesanum. Nationale est, in quo Archiepiscopi & Episco-

pi alicujus integræ Nationis v. g. Germanicae, Gallicae &c. sub uno Patriarcha vel Primatè congregantur. Provinciale, in quo plures Episcopi cum & sub suo Archiepiscopo conveniunt. Dioecesanum, quod frequentius dicitur Synodus, in quo conveniunt Parochi cum & sub Episcopo suo. Nobis sermo erit de Concilijs Generalibus; Particulare enim sicut ingens reperitur copia, ita parva pro Universali Ecclesia est auctoritas, nisi quatenus à summo Pontifice approbata fuerint.

Dico 1. Ad hoc, ut aliquod Concilium Generale sit legitimum, requiruntur 1. ut sit convocatum à summo Pontifice. 2. ut dirigatur ab eodem, vel per se per suos Legatos praesidente. 3. Potest tamen utrumque suppleri per subsequentem approbationem summi Pontificis, sine qua approbatione vel tacita vel expressa Concilium nullius est auctoritatis. 4. ut omnes Episcopi Dioecesim habentes, quantum fieri potest, convocentur, ita ut nullus excludatur positive, nisi sit excommunicatus. Assertio quadrimembris

Probatur quoad primum. Ut Concilium sit legitimum, debet esse legitima auctoritate congregatum: ergo

de

debet convocari ab habente potestatem. Sed potestatem in Episcopos & universos fideles nemo habet, nisi summus Pontifex, ut supra satis ostensum: ergo. Confirmatur: congregare oves spectat ad Pastorem: atqui solus Romanus Pontifex est Pastor universalis, ceteri fideles omnes, etiam Episcopi & Imperatores, sunt oves: ergo. Audi declarationem Concilij Chalcedon. actione 1. pag. 4. edit. Colon. 1606. *Papa Urbis Romæ, inquit, quæ est caput omnium Ecclesiarum, præcipit, ut Dioscorus Alexandrinorum Archiepiscopus non sedeat in Concilio &c. quia, cum personam iudicandi non haberet, præsumpsit, & Synodum ausus est facere sine autoritate Sedis Apostolica, quod nunquam licuit, nunquam factum est.* His tamen non obstantibus potest summus Pontifex ex iusta causa potestatem convocandi Concilium delegare alijs, etiam Sæcularibus. Uel factum jam sæpius est, dum initio Ecclesiæ totum Dominium temporale erat penes Imperatores, quos proinde rogant Pontifices, ut suis sumptibus, qui profus ingentes requirebantur, convocarent Episcopos ex remotis terris, & simul aliquam urbem concederent. Item convocare Concilium possunt Cardinales & Episcopi casu, quo plures se gerunt pro Pontifice Romano, & tunc Concilium taliter congregatum poterit declarare, quisnam sit verus Pontifex, vel depositis litigantibus novum eligere: quo electo poterit procedi etiam ad alias fidei controversias definiendas, si opus sit. Idem dicendum est de casu, quo

*R. P. Pichler Theol. Polemica.*

Pontifex legitimus incideret in apertam hæresim, & in ea contumaciter persisteret; tunc enim Concilium à Cardinalibus vel Episcopis convocatum posset ferre sententiam declaratoriam criminis in Pontificem, ob quod censeretur Pontificatu esse privatus ab ipso Christo. Ita enim exigit necessitas Ecclesiæ, & providentia Christi, ut nempe Ecclesia semper habeat medium sibi providendi & constituendi legitimum Caput.

Prob. quoad 2. membrum: quia 3. decet, ut Pastor ovibus, & pater præsideat filijs, atque ut isti nihil decernere & definire possint sine ipsius directione, aut saltem consensu & approbatione: sed Papa est Pastor & Pater Universalis, ceteri omnes respectu ipsius sunt oves & filij, etiam Imperatores, Reges, & Episcopi, seu seorsim seu collectim spectati. Confirmatur 1. ex perpetua praxi Ecclesiæ, & exemplo ipsius etiam Apostoli S. Petri, qui fuit Præses Concilij Apostolici Act. 15. ubi primus sententiam dixit, & causam decidit. Circa II. & V. Synodum Generalem posset esse dubium; quod tamen ita solvitur. In II. præsedit Papa Romæ; licet enim vocetur Concilium Constantinopolitanum, tamen partim Constantinopoli conjunctis animis & sententijs Episcoporum tam Orientalium quam Occidentalium celebratum est. Synodum V. seu Constantinopolitanam II. cui quidem Pontifex nec per se nec per Legatos aderat, tamen postea approbavit, & sic defectum præsentis supplevit: id quod etiam de II. seu de Synodo Constanti-

Z z z

no-

nopolitana I. dici potest. Confirm.  
 2. Concilium Generale debet representare totam Ecclesiam: sed sine Capite presente & dirigente non representat totam Ecclesiam: ergo.

4. Prob. quoad 3. Ideo requiritur convocatio & praesidentia Papalis, quia sine consensu Papae tanquam Pastoris nihil possunt legitime decernere omnes & filij: sed iste consensus Papae accedit per approbationem & ratificationem Papae: ergo; quod enim quis ratum habet, & approbat, censetur ipse fecisse. Unde si approbatio & ratificatio Pontificis fiat Concilio adhuc sedente, legitur ipsum Concilium, & suppletur defectus convocationis & praesidentiae Papalis: si vero fiat Concilio jam dissoluto, tunc decreta Concilij acquirunt vim suam, & definitiones suam infallibilitatem quoad nos, vel omnia, vel aliqua, prout scilicet ratificaverit & confirmaverit Pontifex vel in totum vel in partem.

5. Prob. quoad 4. Concilium Generale tangit omnes Christiani Orbis partes: ergo aequum est, ut ex omnibus Christianis Orbis partibus advocentur animarum Pastores omnes, & nullus excludatur. Si autem aliqui venire non possint, aut cum ijs dispensetur ex justa causa, vel etiam culpabiliter non compareant, Concilium non redditur illegitimum propterea, sicut nec Comitia Imperij per quorundam absentiam: non enim numerus Episcoporum facit Concilium Generale, sed jus comparandi omnibus factum. Sed notandum est, solos Episcopos de jure esse vocandos (ex consuetudine & privile-

gio etiam Cardinales non Episcopi, quidam Abbates, & Generales Ordinum vocantur) tanquam *Judices*, qui jus habeant suffragij ferendi. Ratio est, quia ferre suffragium de doctrina, quam credere, & leges, quas alij teneantur sequi, officium proprium Pastorum est, requirens jurisdictionem spiritualem & externam, vi cujus inobedientes possint compelli: soli autem Episcopi de jure sunt tales Pastores. Confirmatur id ipsum ex praxi perpetua Ecclesiae, *Theologi*, qui vocantur ad Concilium, non sunt *Judices*, nec ferunt suffragium, sed tantum adhibentur tanquam Consilij ad consultandum & disputandum. Multo minus *Laici*, partim propter imperitiam, partim & praecipue propter defectum jurisdictionis spiritualis. Hinc *Principes Saeculares*, & eorum *Legati* non habent jus suffragij; sed tantum assistunt Concilij tanquam Defensores & Execuores. Unde soli Episcopi, & qui jus suffragij obtinuerunt, hoc modo subscribunt: *definiens subscripsi*, ceteri vel non subscribunt, vel sic: *consentiens subscripsi*.

Si cupis in SS. Litteris videre modum & formulam celebrandi Concilium, lege c. 15. in Actis Apostolorum. Ibi initio proponitur quaestio, de qua lis fuit orta & controversia inter Apostolos & Fideles, an videlicet ex *Gentilismo* *conversos oporteat circumcidi*, & *precipere eis servare Legem Moysi*? (*convenerunt quoque Apostoli, & Seniores* (Presbyteri) *videre de verbo hoc*. En! Apostoli & Presbyteri, non vero Laici, convenerunt ad decidendam hanc quaestionem. *Cum autem magna conquisi-*



tio fieret. En! accuratè discutitur & examinatur causa tam ab Apostolis quàm à Senioribus seu Presbyteris. *Surgens Petrus dixit ad eos.* En! Petrus tanquam Præses Concilij sententiam dixit primus, Christianis nimirum non esse imponendum jugum Legis Mosaicæ. *Tacuit autem omnis multitudo, & audiebat Barnabam & Paulum narrantes &c.* Et postquam tacuerunt, respondit Jacobus &c. conformans se sententiæ Petri. En! populus omnino tacuit, & soli Apostoli locuti sunt, cum esset peruentum ad sententiam definitivam; licet Presbyteros (non verò populum) prius admiserint ad consultandum, ad discussionem & inquisitionem veritatis. *Tunc placuit Apostolis & Senioribus cum omni Ecclesia eligere viros &c.* En! sententiæ Apostolorum acquiescunt Seniores & tota Ecclesia, & juvant ad executionem illius, nempe ad promulgandum & intimandum alijs quoque Concilij decretum, quod erat huiusmodi: *Videtur est Spiritui Sancto & nobis nihil ultra imponere vobis oneris &c.*

7. Porro Concilia Generalia legitima, seu à Romano Pontifice approbata, & ab Universali Ecclesia recepta, post tempora Apostolorum numerantur 18. scilicet 1. Nicanum I. 2. Constantinopolitanum I. 3. Ephesinum. 4. Chalcedonense. 5. Constantinopolitanum II. 6. Constantinopolitanum III. 7. Nicanum II. 8. Constantinopolitanum IV. 9. Lateranense I. 10. Lateranense II. 11. Lateranense III. 12. Lateranense IV. 13. Lugdunense I. 14. Lugdunense II. 15.

Viennense in Gallijs. 16. Florentinum. 17. Lateranense V. 18. Tridentinum. Prima octo ex istis Concilijs approbata à Pontificibus, & ab omnibus Catholicis recepta esse, constat ex *can. sancta octo dist. 16.* De decem sequentibus patet ex eo, quia illis præfuit Pontifex vel per se, vel per suos Legatos. Tridentinum specialiter insuper confirmavit Pius IV.

*Illegitima*, seu nec unita cum Capite, nec ab eo postmodum approbata, vel omnino reprobata, nec ab Universali Ecclesia recepta, adeoque nullius auctoritatis sunt septem, 1. Antiochenum. 2. Mediolanense. 3. Ariminense. 4. Ephesinum II. 5. Constantinopolitanum sub Leone Isaurico Imperatore. 6. Constantinopolitanum sub Constantino Copronymo Imp. 7. Pisanum sub Imperatore Maximiliano I. anno 1510.

*Partim Legitima, partim Illegitima*, seu ex parte solum approbata & recepta, sunt sex, & unum dubium. 1. Sardicense. 2. Sirmiese. 3. Quinisextum, alio nomine Trullanum. 4. Francofordiense. 5. Constantiense. 6. Basileense. Denique *dubium* censetur esse Pisanum anno 1409. tempore schismatis, Gregorio XII. & Benedicto XIII. simul pro vero Papa se gerentibus. Hæc sunt Concilia, quæ fuere, vel saltem dicta sunt *Oecumenica*, seu Generalia. Ex *Particularibus* approbata & recepta ex parte sunt Cæsariense, Laodicenum, Gangrense, Chartaginense III. & IV. Milevitanum I. & II. Arausicanum I. & II. Wormatiense I. & II. ut videre est apud Carranzam, & Zz 3 Cg

Cabassutium. Concilia generalia quo principaliter in ijs actum sit, sequens  
 Ideo & tempore habita sunt, quantò tabula exhibet.  
 Patrum numerò celebrata, & quid

## Concilia Generalia Legitima.

Locus.	Tempus.	Patres.	Acta.
I. NICENUM, sive habitum in Urbe Nicaea: cuius appendix fuit SARDICENSE post aliquot annos habitum.	Anno Christi 327. Papà Sylvestro, & Imperatore Constantino Magno.	Num. 318. Presidentibus Hosio, Vito, & Vincentio Legatis Papae, quorum primus fuit Episcopus, ceteri duo Presbyteri tantum.	Damnata est heresis Arij, qui Christo negabat Divinitatem, & compositum est Symbolum Nicanum.
II. CONSTANTINOPOLITANUM, Partim Constanti-nopoli in Oriente, partim Roma in Occidente celebra-tum.	An. 381. circiter, Papà Damaso, Imperatore Theo-dosio Seniore.	Catholici 150. Macedoniani, seu Semi-Ariani 36. Nec Papa per se, nec per Legatos presidebat, confirma-vit tamen quoad res fidei.	Damnata est heresis Macedonij, qui negabat Divinitatem Spiritui Sancto, & confirmata Synodus Nicaena.
III. EPHESINUM, seu Ephesi, Asiae Minoris Metropoli, habitum.	Anno 430. circiter, Papà Celestino, Imperatore Theodosio Juniore, & Valentiniano III.	200. Presidente Cyrillo Alexandrino Archiepiscopo, & aliis Papae Legatis.	Damnata est heresis Nestorij, qui duas in Christo personas ad-mittebat, & ideo B. Virginem non Deiparam, sed Christiparam solum dici volebat, eo quod solum humanam Christi personam genuisset. Contra quem errorem in Salutatione Angelica addita sunt haec verba: Mater Dei ora &c.
			IV. CHAL-

Locus.	Tempus.	Patres.	Acta.
IV. CHALCEDONENSE, dictum ab Urbe Chalcedone in Bithynia, ubi celebratum est.	An. 451. circiter, Papâ Leone Magno, Imperatore Marciano.	630. Presidentibus Legatis Papae Leonis, qui illud etiam confirmavit, sed solum circa res fidei.	Damnata est heresis Eutychetis & Dioscori, qui unam tantum Naturam in Christo admittebant.
V. CONSTANTINOPOLITANUM II.	An. 553. circiter, Papâ Vigilio, Imperatore Justiniano.	165. juxta alios vero 255. Papae praesedit per se, nec per Legatos, approbavit tamen per Epistolam.	Damnata est heresis Origenis, & tria Capita Theodori, Theodoret, & Iba Episcoporum, non illorum persona.
VI. CONSTANTINOPOLITANUM III. cujus appendix dicitur Synodus Trullana, vel etiam Quini-Sexta.	An. 680. circiter, Papâ Agathone, Imperatore Constantino IV.	289. circiter, praesidentibus Petro & Georgio Presbyteris, & Joanne Diacono, Papae Legatis.	Damnata est heresis Monothelitarum, qui unam tantum in Christo voluntatem esse dicebant.
VII. NICANUM II.	An. 781. circiter, Papâ Adriano, Imperatore Constantino & Irene ejus matre.	350. presidentibus Petro Archiepiscopo & Petro Abbate, Legatis Patrum.	Damnata est heresis Iconoclastarum, Leonis Isaurici & Constantini Copronymi Imperatorum, qui sacras Christi & Sanctorum imagines omni honore spoliabant.
VIII. CONSTANTINOPOLITANUM IV.	An. 869. circiter, Papâ Adriano II. Imperatore Basilio.	102. Presidentibus Legatis Pontificis.	Photius Patriarcha Constantinopolitanus, per vim intrusus, rejectus est, & restitutus Ignatius Iconomachi denuo damnatus.

Locus.	Tempus.	Patres	Acta.
IX. LATERA- NENSE I. sic di- ctum à Palatio Lateranensi Romæ.	An 1122. circiter. Papâ Calistò II. Im- peratore Henrico V.	300. & amplius presidente ipso Pa- pâ per se.	Pro Pace inter Ec- clesiam, & Imperium. Item de bello contra Saracenos ad recupere- randam Terram san- ctam.
X. LATERA- NENSE II.	An 1139. Papâ Innocentiò II. Im- peratore Lothario II. vel sub Rege Romano Conrado.	Circiter 1000. Pre- sidente ipso Papâ per se.	Contra Antipapas A- nacletum, & Victo- rem. Pro Jure Cleri, & reformatione Mo- rum.
XI. LATERA- NENSE III.	An. 1179. circi- ter, Papâ Ale- xandro III. Impe- ratore Friderico, I.	Circiter 300. Pra- sidente Papa per se.	Damnati sunt Catha- ri, quos aliqui vocant Waldenses, & Albi- genses, hæretici. Mul- ta quoque statuta sunt pro electione Papa, & reformatione Morum.
XII. LATERA- NENSE IV.	An. 1215. Papâ Innocentiò III. Im- peratore Friderico, II.	Episcopi plusquam 400. Prelati mi- nores circiter 800. presidente Papâ per se.	Contra hæreses Albi- gensium, & errores Joachimi Abbatis. I- tem de pace inter Christianos, & pro recupératione Terra sanctæ.
XIII. LUGDU- NENSE I. dicitur ab urbe Lugduno in Gallia.	An 1245. Papâ Innocentiò IV. Im- peratore Friderico II.	140. Presidente ipso Pontifice per se ipsum.	Excommunicatus & depositus est Impe- rator Fridericus II. seu Barbarossa, Pa- pa rebellis & decreta Expediitio in Palesti- nam.

Locus.	Tempus.	Patres.	Acta.
XIV. LUGDUNENSE II.	An 1274. Papa Gregoriò. X. Imperatore Rudolpho.	Fere 1000. ex quibus Episcopi 500. presidente iterum ipso Papa.	Damnata haresis Græcorum, qui dicunt Spiritum S. non procedere à Filio, sed à solo Patre. Facta quoque unio cum Græcis, quorum Imper. Michaël Palæologus ipsemet erat presens. Simul actum de recuperanda Palæstina.
XV. VIENNENSE dictum ab urbe Vienna in Gallijs.	An 1311. Papa Clemente V. Imperatore Henrico VII. Ab hoc Papa sunt illæ Constitutiones, quæ vocantur in Jure Canonico Clementina.	Circiter 300. Episcopi presidente iterum Papa.	Damnata hareses Beguardorum, Beguinorum, & Fratriculorum. Extinctus ordo Templariorum ( sic dictorum, quia Hierosolymis habitabant juxta templum ) ob varia scelera. Actum rursus est de Expeditione in Terram sanctam.
XVI. FLORINTINUM, Florentie in Italia habitum, Ferraria inchoatum.	An 1438. inchoatum Ferraria, Papa Eugeniò IV. Imperatore Alberto.	Subscripserunt 141 alij multi prius discesserant. presedit ipse Pontifex.	Contra errores Græcorum, quorum Imperator Joannes Paleologus presens erat. Facta unio Græcorum & Armenorum cum Latinis, sed illi post reditum in Græciam ad pristinos errores redierunt.

Locus.	Tempus.	Patres.	Acta.
XVII. LATERA- NENSE V.	Inchoatum 1512. sub Julio II. & abso- lutum anno 1517. sub Leone X. Imper. Maximiliano I.	114. presidente ip- so Papa.	Ad tollendam schis- ma, propagatum per Concilium Pisanum. Decretam in eo Expe- ditionem contra Tur- cas impedivit seditio Lutheri.
XVIII. TRIDEN- TINUM, Triden- ti in Germania cap- tum, Bononia con- tinuatum, & Tri- dentis absolutum.	Inchoatum 1545. Papâ Paulo III. continuatum sub Julio III. Mar- cello II. & Paulo IV. finitum 1563. sub Pio IV. Impera- tore Carolo V. & Fer- dinando I.	Subscripti 255. Multi non po- terant expecta- re finem Concilij, quod duravit per 18. annos, presi- dentibus Legatis Papa, non tamen semper iisdem.	Damnati Lutherani & Sacramentarij, a- liique Secularij. Re- formati mores, pra- sertim in Clero, qui erant valde corrupti. In nullo alio Concilio tam multi fidei arti- culi adeo clarè eluci- dati, & morum dis- ciplina tam sedulo in- staurata est, quam in Tridentino.

## Concilia Generalia Illegitima.

I. ANTIOCHENUM.	An. 345. Papâ Ju- lio I. Imper. Con- stantio Ariano.	Circiter 90.	Damnatus est inique Athanasius, & via ad e- versionem Concilij Niceni I. attentatâ patefacta.
II. MEDIOLANENSE.	An. 354. Papâ Liberio. Imper. eo- dem Constantio.	Circiter 300.	Oblique damnata est fides Catholica.
III. ARIMINENSE. non illud, quod sub Liberio Papa anno 359. habitum est.	An. 363. juxta alios 373. Papâ Damaso. Amp. eo- dem Constantio.	Circiter 600.	Sublatum est de Sym- bolo Nomen Homousi- os, hoc est, Consubstan- tialis, partim ex erro- re Lingua, partim per fraudem Arianorum.

Locus.	Tempus.	Patres.	Acta.
IV. EPHESINUM II. quod merito vo- catum est Latrocini- um, quia omnia acta sunt vi.	An. 449. Papā Leone Imper. The- odosio Juniore.	Circiter 128.	Absolutus est Euihy- ches, & eius haresis confirmata. Leonis Legati fugati, & S. Flavianus Episc. Con- stantinop. occisus.
V. CONSTANTINO- POLITANUM sub Leone Isaurico.	An. 730. Papā Constantino, Im- per. dicto Leone Isaurico.	Plerique fuerunt Lai- ci.	Actum est contra Chri- sti, Sanctorumque Imagines.
VI. CONSTAN- TINOPOLITANUM sub Constantino Coprônimo.	An. 754. circiter. Papā Stephano II. vel III.	Circiter 338.	Desinitum est, Christi, Sanctorumque Imagi- nes omnino abolendas esse.
VII. PISANUM. non illud, quod in- fra dubium esse pronuntiabimus.	An. 1510 circiter. Papā Julio II. Imp. Maximiliano I.	Patrum numerum non reperi.	Congregatum est ab Imperatore, & Rege Gallia, & aliquot Cardinalibus contra Julium II. sed mox reprobatur in Conci- lio Laterano V. sub eodem Julio II. & Leo- ne X.



Concilia Generalia , partim Legitima,  
partim Illegitima.

Locus.	Tempus.	Patres.	Acta.
I. SARDICENSE, appendix Conc. Nicæani I.	An. 351. Papâ Julio I. Imper. Constantio Ariano.	300. Occidentales, 76. Orientales,	Occidentales confirmarunt fidem Catholicam, Orientales stabant pro Ariana heresi. Horum acta rejecta sunt.
II. SIRMIENSE.	An. 356. Papâ Liberio. Imper. Constantio eodem.	Non reperi numerum Patrum.	Editæ sunt dua formula fidei inter se dissentientes, una Catholica, altera blasphemica. Damната est heresis Phocini, quæ damnatio ab Ecclesia recepta est.
III. QUINISEXTUM, Constantino-poli in Palatio Trullo habitum, unde ejus Canones dicuntur Trulliani.	An. 692. circiter. Papâ Sergio. Imper. Justiniano II. seu Juniore.	211. Papa nec per se, nec per suos Legatos præsedio, illudque statim reprobavit.	Canones 102. adjecti sunt Synodo V. & VI. Generalibus, & ideo appellatur Quini-Sextum (nam sexta Synodus omnino nullos edidit Canones) ex quibus aliqui tantum postea recepti sunt.

IV. FRAN-



Locus.	Tempus.	Patres.	Acta.
IV. FRANCOFORDIENSE, vix mereitur appellari Generale. cum nulli Episcoporum, tum non Orientales inter. fuerint.	An. 794. Papá Adriano I. Carolo M. Rege Francorum, tum non dum Imperatore.	300. Legatis Papae presidentibus.	Approbatum, & confirmatum quoad eam partem, in qua definitur, Christum esse Filium Dei Naturalem, & non tantum Adoptivum: reprobatum, quatenus ex errore damnat Synodum VII.
V. CONSTANTIENSE, Constantia ad Lacum Bodamicum habitum.	Inchoatum anno 1414. Papá Joanne XXIII. Imper. Sigismundo, finitum 1418 sub Martino V.	Episcopi fere 300. Minores Pralati fere 700.	Ablatum est schisma & depositis tribus Antipapae electus est Martinus V. Damianus Wicleff, & Huss, posterior etiam vivus combustus. Approbatum a Martino V. excepta Sess. IV. & V. qua Papam subjiciunt Concilio.
VI. BASILEENSE, inchoatum Basilea ad Rhenum, & absolutum Lacum Genevensem.	Inchoatum 1431. Papá Eugen. IV. Finitum 1449. sub Nicolao V.	Numerum Patrum non reperi. presidentibus, sed ad tempus tantum, Legat. Pont.	Elegit Pseudo-Pontificem Amadeum Ducem Sabaudia, qui ductus est Folix V. Nihil in eo approbatum, nisi quedam circa Benefic. Ecclesiastica.
VII. PISANUM, in Italia habitum: de quo dubium est, an sit legitimum, vel non.	An 1409. Gregorio XII. & Benedicto XIII. pro Papa vero se gerentibus.	Episcopi 180. Minores Pralati 900.	Deposuit Gregorium XII. & Benedictum XIII. & elegit Alexandrum V. schisma tamen non sustulit, sed auxit.

8. Dico 2. Concilium Generale legitimum est infallibile in definiendis fidei articulis, & faciendis morum decretis. Pro recta intelligentia assertionis adverte 1. non asseri à nobis, tale Concilium esse infallibile quoad omnia illius verba & facta, aut omnia esse fide Divina credibilia, sed ea tantum, in quibus est sententia Concilij definitiva. Unde infallibile non est quoad rationes & argumenta, quibus Concilium probat suas definitiones, quia Definitiones non nituntur illis argumentis humanis, sed inspiratione Divina, quæ quidem postulat humanos discursus, sed solum ut dispositionem præviã. Item infallibile non est quoad decisiones personam particularem spectantes, aut circa quaestiones facti, saltem particularis, non habentis necessariam connexionem cum quaestione juris, aut aliquo fidei articulo aliunde satis revelato; quia error circa personam aut factum particulare, v. g. hunc hominem esse excommunicatum, aut docuisse hæresim &c. non asserit grave incommodum Ecclesiæ, nec totius Ecclesiæ interest; quare nec Ecclesiæ hujusmodi veritatem definire intendit. Adverte 2. tantum eatenus asseri infallibilitatem Concilij in *Decretis Morum*, quatenus ea, quæ præcipit, certò honesta, & ea, quæ prohibet, certò inhonesta & mala esse necesse est. Seu infallibile tantum est quoad *substantiam*, ita ut consilium vel præcipere malum, & dissuadere vel prohibere bonum nequeat. Siquidem quoad *modum & circumstantias* errorem contingere non reuignat, v. g. per nimiam multitudinem aut arduitatem Legum, vel

casu, quo propter certas circumstantias in aliquo loco vel tempore &c. leges non sunt utiles Communitati. Et hinc etiam leges optimæ possunt iterum abrogari mutatis circumstantijs; sicut abrogata est lex de suffocatis & sanguine non comedendis lata in Concilio Apostolorum Act. 15.

Probatur nunc assertio 1. Tota Ecclesiæ Christi errare non potest: sed erraret, si Concilium Universale in fidei & morum decretis posset errare; quia Concilium Universale representat totam Ecclesiã, & utique, si Doctores & Pastores in Concilio congregati errare contingeret, fideles & oves omnes errare necesse foret, cum oves teneantur sequi suos Pastores, & fideles suos Præpositos. M. prob. Si posset errare tota Ecclesiæ, tunc nulla posset elici fides Divina, & certa, imò nec de ipsa Scripturæ S. existentia, integritate, & sensu, adeoque de nullo prorsus articulo fidei haberemus infallibilem certitudinem; unde enim? Atque sic tolleretur ex Mundo omnis fides. Deinde vana & nulla esset promissio Christi, dum dixit: *portæ inferi non prævalent adversus Ecclesiã*. Mat. 16. Et Paulus falsò Ecclesiã appellasset *columnam & firmamentum Veritatis* 1. Tim. 2. Confirmatur. Non est major auctoritas in Ecclesiã, quam Concilium Generale cum suo Capite unitum: ergo si datur in Ecclesiã auctoritas aliqua infallibilis, illa est penes Concilium Generale, quod representativè est tota Ecclesiã, si cum Capite sit unitum.

Prob. 2. Concilium Apostolorum Act. 15. propter assistentiam Spiritus S. erat

erat infallibile; quia dixerunt: *visum est Spiritui S. & nobis*; ergo & alia Concilia Generalia erunt infallibilia propter eandem assistentiam Spiritus S. quippe assistentia Spiritus S. non minus est necessaria cæteris Concilijs, ne his errantibus tota Ecclesia in errorem prolabatur: nec minus est promissa Apostolorum Successoribus Jo. 16. v. 13. *cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

9. Dico 3. Penes Concilium Generale est etiam suprema potestas ferendi Leges, totum Orbem Christianum obligantes. Probatur. penes Ecclesiam est potestas *solvendi & ligandi* Mat.

16. & 18. *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* rursus Mat. 18. Et Paulus jubet Hebr. 13. *Obedite Præpositis vestris.* &c. Ergo penes fideles est obligatio obediendi, & audiendi Ecclesiam; ergo hoc ipso penes Ecclesiam est potestas obligandi omnes fideles. Atqui Concilium Generale saltem repræsentative est tota Ecclesia: ergo. Confirmatur. Exigit bonum publicum, ut detur aliqua suprema auctoritas in quacunque republica, habens potestatem ferendi Leges, & obligandi omnes: atqui major auctoritas in Ecclesia non datur, quam Concilij Generalis: ergo.

### Solvuntur Objectiones.

10. Ob. 1. Incertum est, utrum hactenus ullum Concilium fuerit legitimum: ergo. A. prob. 1. Incertum est, an illi, qui convenerunt, Episcopi fuerint veri Episcopi, scilicet verè baptizati, legitime ordinati &c. atqui nisi veri Episcopi conveniant, Concilium non est legitimum: ergo. Idem argumentum pugnat contra Papam, Concilio præfidentem. 2. Incertum est, utrum congregati Episcopi quaestiones decidendas ritè examinaverint, sententiam liberè & sine vi dixerint &c. 3. Aliunde non constat, aliqua Concilia hactenus fuisse legitima, quam ex Historijs Humanis, & communi fama: sed ab istis possumus falli: ergo.

R. N. A. Ad probationem 1. & 2. dico, saltem sub disjunctione certum

esse, Deum non posse permittere, ut Episcopi in Concilio congregati omnes, vel potiores, non sint baptizati, legitime ordinati &c. ut sententiam suam temerè, vel coactè dicant circa res fidei, ut Pontifex, qui Concilio præfidet, vel illud approbat, non sit verus Pontifex, sed putativus tantum: vel, si hæc permittere fortassis posset Deus, eum tamen teneri ejusmodi Pontificem & Episcopos, putativos solum, aut temerè, vel coactè sententiam ferentes, ita dirigere, ut circa fidei & morum decreta errare non possent: vel saltem teneri efficere, ut Ecclesie constaret, Papam aut Episcopos esse tantum putativos, aut eos dixisse sententiam temerè, vel coactè. Ratio est, quia alias in errorem incideret tota Ecclesia, quod fieri certo

repugnat. Ad 3. Illis, qui vivunt, quando celebratur Concilium, potest ejus legitimitas constare evidenter, saltem evidentiâ morali: posteris verò constar ex traditione, historijs, & fama communi, quæ pariunt evidentem credibilitatem, & fundare possunt fidem certissimam (saltem quoad dogmata fidei & morum decreta in Concilio facta) nam historiæ, & fama, ac similia credibilitatis motiva, licet appareant esse præcisè humana, tamen assumuntur à Deo, & fiunt ipsa locutio Divina passiva partialis, vel saltem applicant certissimè Veracitatem Divinam. Si post habitum Concilium definiatur, hoc vel illud Concilium fuisse legitime celebratum, tum accedit specialis certitudo Metaphysica quoad nos.

Dein adverto, à Calvinistis & Lutheranis non posse in dubium vocari omnia Concilia, si velint insistere Majorum suorum vestigijs; siquidem hi prima & antiqua Concilia, nominatim Nicænum I. Constantinopolitanum I. Ephesinum I. & Chalcedonense, ac eorum decreta admittunt & amplectuntur, ut passim in ipsorum libris videre est, imò & Symbolis: Confessio Calvinistarum Gallica facta à Beza, in Latinum fideliter versa à Francisco Feuardentio Ord. Minor. Reg. Observ. art. 6. sic dicit: *admittimus, quod determinatum fuit per Antiqua Concilia, & detestamur omnes sectas & hæreses, quæ rejectæ fuerunt per sanctos Doctores, ut per sanctum Helarium, sanctum Athanasium, sanctum Ambrosium, sanctum Cyrillum, Calvinus & Beza nominatim admittere scribuntur*

Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense. Confessio Augustana Lutheranorum citat ipsum Concilium Nicænum, & varias hæreses damnatas rejicit, ab antiquis Concilijs, præsertim citatis quatuor, damnatas & rejectas, quas ex nullo alio capite potuit cognoscere certò ac infallibiliter, nisi ex auctoritate antiquorum Conciliorum: consequenter debet his Concilijs infallibilem auctoritatem adstruere, cum eorum amplectatur doctrinam tanquam doctrinam fidei. *Concilijs primis subscribimus manu & corde*, ait Hottingerus in *Biblicher Prob der Zürcherischen Catechismi* p. 1. c. 3. mihi fol. 137. Conspirant plerique omnes, cum serè omnes fateantur, saltem per aliquot sæcula puritatem orthodoxæ doctrinæ in rebus fidei persistisse in Ecclesia Romana: quamquam minime conveniant de tempore, quo illa puritas doctrinæ desierit. Nam Bullingerus adversus Brenz. c. 7. p. 1. desisse putat primum post 6: vel plura sæcula, Beatingerus Opusc. de Sect. p. 27. Ital. vers. post quatuor sæcula, Hottingerus in ep. dedic. Operis *der Weegweiser* dicti post tria &c. &c.

Opponunt Lutherani contra recentiora Concilia, præsertim contra Tridentinum, & has conditiones ad legitimum Concilium requirunt. 1. Si ex sola Scriptura, & non ex Traditionibus feratur sententia. 2. Si decisio fiat non secundum pluralitatem suffragiorum, sed secundum Regulam Verbi Divini. 3. Si Papa prius absolverit omnes Prælatos juramento fidelitatis. 4. Si Papa neque judicet, neque præsit in Concilio.

Concilio, quia est altera pars. R. has conditiones esse protus ineptas, iniquas, nec in Scriptura Sacra nec in sana ratione fundatas. Repugnant præterea antiquæ praxi Ecclesiæ, & Concilij, quæ ab ipsis Adversarijs habentur pro legitimis. Concilia enim prima non ex sola Scriptura tulere sententiam v. g. baptizatos ab hæreticis non esse rebaptizandos, baptizandos esse parvulos, Deum esse trinum in Personis, in Christo duas Naturas, non verò duas reperiri Personas &c. quæ in Scripturis vel non sunt comprehensa, vel saltem clarè non definita. Dein in Concilijs non deciduntur ea, quæ in Scripturis jam clarè sunt comprehensa, sed quæ in ijs sunt dubia, vel omnino non comprehensa; quomodo ergo ex solis Scripturis ferenda erit sententia? Adde, quòd de ipsa Scriptura non satis constat, nisi ex Traditionibus, & quòd Traditiones recipiendis esse definiiverit Concilium Nicanum II. Prima igitur conditio protus inepta est, imò & altera; nam ex pluralitate suffragiorum desumi debet, quid Verbo Divino (scripto vel non scripto) conforme sit, quid difforme: & id in antiquis Concilijs semper observatum est, & pronuntiatum secundùm pluralitatem suffragiorum. Tertia manifestè est iniqua; cum Papa sit legitimus Superior, cui Jure Divino, Naturali, & Humano inferiores tam diu debent obedientiam, quàm diu legitime non deponitur. Quare pariter est contra Jus Papæ, qui est Pater Patrum, & Jure Divino supremus Judex; item est contra praxim antiquorum Conciliorum omnium.

R. P. Pichler Theol. Polemica,

Neque Rex in Politicis ullo modo arceri potest à judicando & præsidendo Comitibus, quamdiu est Rex, licet tantùm Jure Humano habeat Regiam potestatem, Multò minus arceri poterit summus Pontifex, qui supremam potestatem habet Jure Divino, & immediatè à Christo.

Ob. 2. Si Concilia Generalia non sunt legitima, nisi accedat consensus Papæ, vel præsentis, vel saltem postea approbantis, tunc solus Papa potest refragari judicijs omnium aliorum Episcoporum, & ipse contra omnes aliquid definire: sed hoc dici non potest, quia arroganter suam judicium anteponeret tot sapientissimorum virorum communi sensui, & ipse temerè definirer: temerè autem definiens utique non habet assistentiam Divinam: ergo non requiritur consensus Papæ vel præsentis vel saltem approbantis Concilium, ejusque Decreta.

R. iterum cum disjunctione, vel Divinam Providentiam nunquam posse permittere, ut Pontifex adversetur omnibus in Concilio congregatis, & contra omnes intendat aliquid definire: vel si hoc permetteret, debere Pontificem ita dirigere, ut saltem privatim consuleret multos viros sapientes, implorato etiam Divini Spiritus afflatu (si enim hæc præstaret privatim, non procederet temerè) vel, si etià permetteret sine ejusmodi consultatione privata eum aliquid definire contra omnes, tunc quæro; vel certò constaret Ecclesiæ, Papam ita temerè procedere, vel non constaret; si certò constaret, Papæ sententia esset nullius roboris, cum

Bbb

te-

temerè (& quidem notoriè) definiendi nec Deus assistat, nec Ecclesia ei parere teneatur: si verò non constaret, tunc teneretur Deus in ejusmodi circumstantijs (quæ quidem nunquam factæ sunt, nec fiunt, imò probabiliter repugnant) suâ assistentiâ reddere infallibilem in nostra sententiâ, qui defendimus, Papam esse supra Concilium. In contraria autem sententiâ Deus teneretur infallibiles reddere cæteros Patres in Concilio congregatos. Notetur bene hæc responsio, qua dicimus, Deum vel non posse permittere, ut Pontifex temerè, contra omnes Concilij Patres, & sine prævia saltem privata deliberatione aliquid definiat: vel, si possit, hoc permittere, debere ei ita assistere etiam temerè definiendi, ut non erret: vel saltem debere manifestare, quòd Pontifex temerè procedat, siquidem hæc responsio viam ocludit excipiendi contra Pontificum & Conciliorum definitiones eo prætextu, quòd non cerò constet, an factæ sint modo debito, an verò temerè & inconsultò. Atque sub hac disjunctione propositio est certissima.

12. Ob. 3. Si Concilia Generalia, cum Capite unita, sunt infallibilia, tunc possunt facere novos fidei articulos: sed hoc est nimium; quia possent multiplicare articulos fidei ad libitum: ergo. R. T. A. N. Mi. Quia Spiritus S. non minus est infallibilis assistendo Concilij & Papæ, quam assistendo sjs, qui scripserunt sacra Biblia, scilicet Prophetis & Apostolis. Nec propterea in eorum potestate est temerè & pro libi-  
ca cadere novos articulos, sed solum

quando oritur dubium & controversia, gravisque causa exigit. Cæterum dixi *transcat Ma.* Aliqui enim non improbabiliter dicunt, per Concilia & Papam non tam revelari novos articulos fidei, quam proponi & declarari jam revelatos generalius, & in Scripturis atque Traditionibus antea latentes. Id verum est, Ecclesiam nunc non amplius regi novis revelationibus quoad substantiam præcipuorum fidei articulorum.

Ob. 4. Ab actu ad potentiam est bona argumentatio: sed actu jam errarunt multa Concilia, etiam cum Pontifice conjuncta: ergo. Mi. prob. ab inductione. R. N. m. & quia nullum exemplum adducitur, etiam tantum generaliter respondeo, & novem puncta bene notanda adduco, ex quibus semper unum vel alterum quadrabit ad objectiones, quibus errasse Concilia contenditur, facile dissolvendas. Igitur 1. vel Concilia, quæ allegantur & dicuntur errasse, non sunt Generalia. 2. vel si Generalia, non fuerunt legitima, aut approbata. 3. vel approbata quidem, sed solum ex parte, & non secundum ea, in quibus est error. 4. vel quod adducitur, non est sententiæ Concilij, sed tantum alicujus Patris, quæ refertur in Concilio. 5. vel sunt argumenta tantum & probationes prævia. 6. vel tantum est questio facti, non Juris, & quidem facti particularis nullam habentis connexionem cum articulis fidei & questione Juris. 7. vel tantum est error in decretis morum quoad *circumstantias* loci, temporis, personarum &c. Atque in his posse  
con-

contingere errorem, non negamus, quia contingit sine præjudicio infallibilitatis Ecclesie circa *res fidei & morum*. An verò hæc in uno vel altero ex dictis contigerit error, præsciudimus, cum examinare non permittat præstituta nobis brevitatis. 8. vel verba Concilij à pervertis malevolè trahuntur in alienum sensum. 9. vel denique omnino depravantur, aut perperam citantur,

ut sit ab hæreticis, qui sine fraude & mendacijs rem suam tueri nequeunt. Atque ex his novem responsum fontibus semper unus aut alter quadrabit ad solvendas objectiones. Adde, quòd contra hæreticos, aliunde quam ex Scriptura contra nos argumenta petentes, excipere possumus: nihil enim juxta ipsos firmum est, nisi SS. Litteris expressum, aut inde clarè deductum.

## §. II.

*An Papa sit supra Concilium?*

Sciendum 1. Statum quæstionis versari in hoc: utrum Papa *solus* (sine Concilio sumptus) sit majoris auctoritatis, potestatis, & infallibilitatis, quàm sit Concilium *solum* (sine Papa præsentente, vel consentiente, spectatum) ita ut penes Papam sit dirigere, corrigere, approbare, vel reprobare Concilium & ejus acta; an vicissim penes Concilium (cum Capite non unitum) sit judicare, corrigere, & si videatur, etiàm punire & deponere Papam. Nam Concilium, cum Papa conjunctum, esse majus quid extensivè, nemo negat. 2. Sermonem esse de Papa certo, & non notoriè hæretico; si enim Papa esset dubius, aut notoriè & contumaciter hæreticus, eum à Concilio judicari, & etiàm ministerialiter depòni posse, nemo inficias ibit, cum Ecclesia vel maximè intersit, sibi posse providere de Capite certo, indubitato, & legitimo. 3. Quamvis hæc quæstio non solum cum hæreticis, sed etiàm cum

quibusdam Catholicis (paucis tamen, & serè solis Gallis, quorum etiàm plerique mali citantur, tum quia solum loquuntur de Pontifice dubio, tempore schismatis, tum quia variè videntur sentire, tum quia Propositiones Parisienses, in præjudicium Romani Pontificis factæ anno 1682. sub Innoc. XI. iterum revocatae sunt (approbante Rege, laudatissimo Catholica Religionis Zelatore) à Clero & Episcopis Gallie post aliquot annos sub Innocentio XII. Ut adeò præter Maymburgum & Dupinum, aliòsque intempestivos Scriptores, qui post editas Propositiones Parisienses ante earum revocationem scripserunt, moderno tempore vix alios reperias ingens tamen inter utrosque adversarios discrimen esse: nam Catholici Adversarij fatentur, Papam esse Christi Vicarium, Petri Successorem in Primatu (scilicet honoris & præminentie) Jure Divino, & esse Caput Ecclesie, & omnium Episcoporum, sed scorsim,

R. P. Pichler Theol. Polemica.

B b b 2 non

non collectim sumptorum; quæ omnia ab hæreticis negantur. Vanè igitur triumphant, quasi secum sentirent Catholici. Neque dicant, Catholicos non esse unanimes in rebus fidei: quia Papam esse supra Concilium nondum est clarè & expressis verbis ab Ecclesia definitum pro articulo fidei. Quamquam mihi videatur probabilius esse, imò moraliter certum, quòd hæc veritas sit satis revelata, & definita. Unde

15. Dico. Papa est supra Concilium, juxta sensum antea explicatum. Prob. 1. ex Scriptura. Petrus (consequenter & Papa, ejus Successor) fuit à Christo constitutus Pastor omnium fidelium, aded ut, quisquis vult esse ovis Christi, Petro & ejus Successori Papæ subiectus sit velut Pastori Supremo: atqui omnes fideles, etiam Episcopi, sunt oves Christi, & quidem etiam tunc, quando sunt congregati in Concilio: ergo etiam Episcopi in Concilio congregati sunt subiecti Papæ: ergo Papa est supra Concilium. M. constat ex Jo. c. 21. ubi ad solum Petrum, presentibus licet alijs Apostolis, dixit Christus: *pasce oves meas*, sine ulla exceptione & restrictione. Simile quid dixit idem Christus ad solum Petrum Luc. 22. *confirma fratres tuos.* Item Mat. 16. *super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam. Tibi dabo claves Regni Cælorum.* Hæc ad solum Petrum (non ad Apostolos, etiam in Concilio congregatos, præsertim excluso Petro) dicta de solo Petro intelligi debent.
16. Prob. 2. ex ipsi Concilijs. Conc. Nicænum I. Can. 39. ait: *Qui tenet*

*Sedem Romæ, Caput est, & princeps omnium Patriarcharum, quandoquidem ipse est primus, sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, ut qui sit Vicarius Christi super cunctos populos, & cunctam Ecclesiam Christianam, & quicumque contraxerit, à Synodo excommunicatur.* Chalcedonense to. 2. Concc. p. 139. edit. Colon. ad Leonem Papam sic scripsit: *quibus (Concilij Patribus) inquit ut Caput patras.* Florentinum Sess. ult. in litteris Unionis sic dicit: *Item diffinimus, sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in Universum Orbem tenere Primatum, esse Successorem B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesie Caput -- & ipsi B. Petro pasceudi, regendi, & gubernandi Universalem Ecclesiam à Domino nostro JESU Christo plenam potestatem traditam esse.* Lateranense, cui ipse Rex Christianissimus se imbræsum sanctè promisit, sub Leone X. sess. 11. docet, Papæ auctoritatem Concilio præcellere, & auctoritatem super omnia Concilia habere; idque exemplis Antiquorum Conciliorum probat Ita Concc. Oecumenica. Audiatur etiam unum vel alterum Particulare. Romanum sub Sylvestro, uti & Romanum sub Leone III. & aliud Romanum sub Symmacho, item Sinueslanum dicunt, *Papam nullius iudicio esse subiectum extra casum hæresis, judicare omnes, ipsum verò à nemine, nequidem à toto Clero judicari posse.* Agmen claudat Constantinopolitanum IV. quod



quod fuit Oecumenicum. Istud  
 can. 13. aperte asserit, *ne quidem à Con-  
 cilio generali posse in Romanis Episcopum  
 sententiam dici.* Quid ad hæc Adver-  
 sarij Catholici? si hæresim effugerint,  
 saltem temeritatem non effugient.  
 Notentur verba, quibus Papa dicitur  
*Vicarius Christi, Successor Petri cum  
 plenitudine potestatis, Caput super om-  
 nis Patriarchas & Principes & populos  
 Christianos & Universalem Ecclesiam*  
 &c. Ubi hæc & similia dicuntur de  
 Concilio, Papæ non unito? Aut si  
 Concilium sine Papa velint Adversarij  
 facere Christi Vicarium, Caput Ecclesie  
 &c. duo erunt æqualis potestatis Vicarij  
 Christi, duo Capita Ecclesie, & sic Ec-  
 clesia biceps.

17. Prob. 3. ex ratione. Ecclesia Uni-  
 versalis etiam in Concilio congregata

*Solvuntur Objectiones.*

18. Ob. 1. ex Scriptura. Mat. 18. uni-  
 versaliter dicitur: qui Ecclesiam non  
 audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publi-  
 canus: ergo omnes, etiam Papa, subja-  
 cet iudicio Ecclesie. 2. In illis texti-  
 bus, quos adduximus pro nostra sen-  
 tentia, nomine *Petri* intelligitur tota  
 Ecclesia, & illa verba dicebantur Petro ut  
 representanti Ecclesiam: ergo. R. ad  
 1. Concilium sine Papa non est Eccle-  
 sia, nec representative: ergo Eccle-  
 sia, quæ audiri debet, sunt Præsules  
 cum Papa, seu Concilium Papæ uni-  
 tum. Dein ibi nomine Ecclesie non  
 intelligitur Generale Concilium, ut  
 patet ex contextu, sed pastores particu-  
 larium Ecclesiarum. Ad 2. N. A. si

est unum Corpus visibile: ergo debet  
 habere Caput visibile: sed aliud visibile  
 Caput Ecclesie, etiam in Concilio  
 congregatæ, non potest assignari, nisi  
 Papa: ergo. Confirmatur. Papa non  
 accipit suam potestatem ab Ecclesia, vel  
 à Concilio, sed à Christo: ergo Papa  
 non dependet à Concilio, neque subja-  
 cet Decretis Concilij Generalis, sal-  
 tem quoad vim coactivam, imò &  
 quoad vim direttivam, quamvis valde  
 deceat, ut salubriter decreta observet  
 etiam Prima Sedes. Unde paritas non  
 est cum Rege, & Generali Præposito  
 alicujus Ordinis Religiosi, qui subja-  
 cent Comitibus Generalibus; quia Rex à  
 Regno, talis Superior ab Ordine Reli-  
 giolo habent suam potestatem, non  
 immediatè à Christo, sicut Papa.

enim id verum esset, sensus verborum  
 Christi esset aperte nugatorius, scilicet  
 iste: *Tu Ecclesia pasce Ecclesiam meam:  
 fundabo Ecclesiam super Ecclesiam* &c.  
 quid enim est Petrus, ut Ecclesiam  
 representans, aliud quàm Ecclesia re-  
 presentata in Petro?

Ob. 2. ex Concilijs. Conc. Pisanum 19.  
 anno 1409. deposuit duos Pontifices  
 Benedictum XIII. & Gregorium XII.  
 de Papatu contententes: ergo exercuit  
 jurisdictionem in Pontifices. 2. Conc.  
 Constantiense Sess. 4. & 5. dixit, *Concili-  
 um Generale immediatè à Christo  
 habere suam potestatem, cui quilibet  
 etiam Dignitatis Papalis, obedire  
 tenetur in his, quæ pertinent ad suam*

*extirpationem illi schismatis* (de tribus Pontificibus pro Papatu contententibus) & *ad reformationem Ecclesie in Capite & membris*: ergo pene Concilium Generale est potestas reformandi non tantum membra, sed etiam Caput Ecclesie. 3. Concilium Basileense omnino definivit Sess. 2. *Pontificem subjacere Concilio*, & postea auctoritative Eugenium IV. Pontificem citavit, suspendit, deposuit: ergo.

R. ad 1. de Concilio Pisano apud plerosque Auctores Catholicos esse dubium, an fuerit legitimum, & depositionem Pontificum, ab ipso attentatam, non multum fuisse curatam, patet inde, quia memorati duo Pontifices postea adhuc permanserunt probabiles Pontifices, & ut tales non modo multi fideles, sed & Concilium Constantiense agnovit. Deinde non negamus, in Pontifices solum *probabiles & dubios* posse sententiam ferri à Concilio. Ad 2. Conc. Constantiensi pariter res erat tantum de Pontificibus *dubijs*, vel *schismaticis*, vel *haereticis accusatis*, cujusmodi erant illius temporis tres Pontifices pro Papatu litigantes; cum sua decreta de Superioritate Concilij supra Papam expressè restringat ad casum praesentis tum *schismatis*. Adde, quod Sessiones 4. & 5. ubi tam ampla potestas tribuitur Concilio, non sunt approbate; nam Martinus V. qui approbavit Concilium Constantiense sess. ultima, tantummodo approbavit, *qua in materia fidei statuta erant*: & *conciliariter*. Atqui Concilium esse supra Papam nec est materia fidei; alioquin totus serè Orbis Catholicus, ex-

ceptis paucis Gallis, esset haereticus; neque id *Conciliariter* est decisum, ut luculentè ostendit P. Leytam discept. 5. s. 2. & alij: nec universaliter, sed tumultuatiè, & solum à quibusdam schismaticis, repugnante majori & saniori Patrum parte, & nondum constituto Capite. Quam verò nobis potius, quam Adversarijs faveat Concilium Constantiense, cui serè omnia tribuunt, colligere licet ex Martini V. Bulla Approbationis, in sess. 45. & ult. ubi pronuntiat apertè, Papam canonicè electum supremam in Ecclesia Dei habere potestatem. Ad 3. Concilium Basileense, quamvis legitime inchoatum sit, tamen brevè desijt in *Conciliabulum* schismaticum, sathanicum, furiosum, vesanum &c. ut illud appellant sancti Antoninus, Bernardinus, & alij, qui eo tempore vixerunt. Et quando habitus est Sessio 2. Pontifici tam injuriosa, jam fuerat solutum, & translatum Ferratam, ac inde Florentiam, ubi ipsèmet Pontifex Eugenius praesidebat. Quae post hanc Sessionem 2. acta sunt, vel sunt acta post discessum Legatorum Papae, vel ab his ex proprio sensu sine instructione & ratificatione Papae, adeoque invalidè, praesertim dū constituerunt Antipapam Felicem V. Nicolaus V. quidem ad cavenda nova dissidia postmodum confirmavit, & ratas habuit Beneficiorum collationes, provisiones, & privilegia; à Conciliabulo Basileensi & Felice V. Pseudo-Papa prius invalidè concessa; sed quoad caetera nequiquam approbavit Concilij acta. Vide tom. 4. Concedit. Colon. p. 97. Item revocavit censuras & poenas, ab Eugenio inflictas

Basi-

Basileensibus; quia & isti posuerunt contumaciam, suis decretis contra Auctoritatem Pontificiam abrogatis.

20. Dices. Ex Historia Ecclesiastica patet, jam sæpius fuisse appellatum à Papa ad futurum Concilium. Sic à Bonifacio VIII. appellavit Philippus Pulcher Rex Gallie, ab Innocentio IV. Legatus Friderici II. Imperatoris &c. Ergo agnitum est, Concilium esse supra Papam; quia appellatio fit à Judice inferiore ad superiorem. R. Fuit quidem aliquoties appellatum, sed male, injuste, & de factò, non de jure; omnesque appellationes hujusmodi sub pœna Excommunicationis prohibere Calixtus III. Pius II. Sixtus IV. & rectè quidem. Vel enim appellatio fieret à Papa ad Concilium Papæ unitum, vel non unitum? si posterius; tunc appellatio fieret ad Concilium illegitimum, & ad Judicem nullibi & nunquam futurum. Si prius; tunc fieret appellatio à Papa ad Papam, & ad talem Judicem, qui nunc non est, & probabilissimè nunquam erit, quamdiu vivunt Partes litigantes; cùm Concilium Generale rarissimè & non nisi cum summis difficultatibus cogi possit. Quod nihil est aliud, quam perditæ causæ moram & asyllum querere, eludere sententias, & lites reddere immortales. Adde, quòd ejusmodi Appellantibus facile postmodum foret etiam contra Concilium excipere, dicendo, illud non esse legitimum, liberum, à Spiritu S. directum. Ita Lutherus primò appellavit à Caetano Cardinali ad Papam, dein à Papa male informato ad Papam melius informa-

tum, tum à Papa ad Concilium, & ubi vidit coactum Concilium, à Concilio ad Scripturam S. ab hac ad instinctum internum & sensum proprium, adeoque ad se ipsum. Sic nempe se ipsos denique constituunt Judices ejusmodi appellantes, sed tam ineptè, quàm iniquè. Responderi fortè posset 2. appellationes Catholicorum à Papa ad futurum Concilium olim factas esse, non tanquam ad majus Tribunal, quia factæ erant ad Concilium Papæ unitum, & ejus auctoritate fultum, sed ad melius pleniusque informandum Papam per Concilium Universale, quod insinuari videtur in ipsa forma appellandi, quæ apud Philippum Pulchrum fuit hujusmodi: *à Sanctissimo Domino nostro N. minus debite consulto ad se ipsum melius consulendum &c. appellamus.*

Ob. 3. ex ratione. Papa est pars 21. Ecclesiæ: ergo est minor quàm tota Ecclesiæ in Concilio congregata. 2. Papa est filius Ecclesiæ, & Ecclesiæ est Mater: Filius autem est minor Matre. 3. Episcopi in Concilio ferunt sententiam auctoritate Divina: ergo sine Papa sunt infallibiles. 4. Potentia agendi principalis est in toto, quàm in parte: Sed Ecclesiæ est aliquod totum, & Papa est pars: ergo. 5. Ecclesiæ eligit Papam, & Christus dirigit Ecclesiæ, etiam mortuo Papa & Sede vacante: ergo Papa accipit suam potestatem ab Ecclesiæ, & penes Ecclesiæ est summa auctoritas, etiam Papæ non unitam.

R. ad 1. Transf. A. N. C. vel D. est minor *extensivè*, hoc est, in Concilio

sunt plures homines, nempe præter Caput etiam membra. C. Conf. intensive, hoc est, minor auctoritate, potestate, & infallibilitate, præsertim respectu Concilij sine Papa sumpti. N. C. nam in Papa residet tota potestas Christi Vicaria. Ad 2. D. M. Papa, ut est persona privata, est filius Ecclesie. C. M. prout Pontifex. N. quia Pontifex est *Papa* seu Pater Ecclesie. Ad 3. Dist. Ant. dicunt sententiam auctoritate Divina absolute N. A. conditionate, si nempe conspirent cum Christi Vicario. Transeat, dubium enim adhuc est, utrum potestate immediate accepta à Christo, an verò potestate à summo Pontifice immediate sibi communicata, adeoque solum mediate accepta à Christo. Deinde sit, quòd auctoritate Divina dicant sententiam, quando sunt uniti Papæ; id tamen verum non est, quando Concilium est sine Capite. Ad 4. hoc verum est de toto Naturali & Physico, in quo virtus agendi procedit ab intrinseco, hoc est, ab essentia; at in toto Morali & Supernaturali, in quo virtus agendi procedit ab extrinseco, id verum non est. Ecclesia est totum Morale & Supernaturale, habens suam potestatem à Christo, & quidem soli Capiti immediate & principaliter communicatam. Ad 5. Quamvis Ecclesia habeat potestatem eligendi Papam, tamen ipsa non tribuit ipsi jurisdictionem Christi vicariam, sicut Canonici eligentes Episcopum non tribuunt ipsi potestatem & Ordinem Episcopalem, utpote quibus ipsimet carent. Mortuo Papa in Ecclesia non datur potestas Christi vicaria formaliter, sed tantum

radicaliter, hoc est, eatenus, quatenus Ecclesia potest eligere novum Pontificem, cui deinde à Christo conferatur summa potestas, ut vel solus vel cum Concilio controversas possit decidere.

Dices. Si tota potestas Christi vicaria est penes solum Pontificem, tunc frustra convocata sunt hæcenus tot Concilia tantis expensis, tantoque molimine: sed hoc dici non potest: ergo. 2. Est juris Naturalis, ut subditi possint se liberare à malo Principe: ergo & membra Ecclesie habebunt potestatem deponendi & coercendi Papam facinorosum, Ecclesie noxium &c. serè sicut possunt deponere Papam hæreticum. R. ad 1. N. M. quamvis non fuerit absolute necessarium congregare Concilia, tamen fuit ad melius esse; quia Concilia profunt ad hoc 1. ut magis convincantur protervi, & nullus omnino locus excipiendi ipsis relinquatur, præsertim quamdiu toleratur sententia, docens, Concilium esse supra Papam. Dico, *toleratur*; nam ista sententia præcisè toleratur ut non hæretica; nullam verò habet probabilitatem, utpote fundamentis contrarijs enervatam. Quo casu nec Auctores, licet plures essent, ipsi aliquam probabilitatem conciliant; nam præsumptio cedit veritati. 2. Ut dogmata in Concilij definita magis innotescant per totum Orbem, & facilius suaviorque sit executio earum rerum, quæ decernuntur præsentibus & consentientibus totius Mundi Prælati, qui commodè vocari & adesse possunt. 3. ut decretis fidei & morum hoc modo accedat major auctoritas *Humana*, eò quòd

quod humanitus non facillè contingat, ut tot viri sapientissimi & probatissimi fallantur, & iniqua precipiant. Ad 2. Dist. Ant. ut subditi, qui suo Principi contulerunt jurisdictionem in se, possint se ab illo liberare, si malus sit. C. Ant. qui ipsi non contulerunt jurisdictionem. N. Ant. Ecclesia non confert Papæ jurisdictionem suam. Quid ergo superest Ecclesiæ, si criminolum nanciscatur Pontificem? R. debet confugere ad preces & opera sancta, ut DEUS pro sua Providentia & Clementia suc-

currat. Dein potest à Concilio, vel alijs, modestè admoneri, rogari, fratèrne corripì, & si Ecclesiæ damnosus sit, etiam coerceri jure defensionis: imò si vi, aut injustis legibus, aut alio modo niteretur nocere Ecclesiæ, posset etiam tanquam invasor armis repellì, & ipsi resisti jure naturali justæ defensionis, cum moderamine tamen inculpatae tutelæ, quia tali casu non potestati Papali, sed injustæ invasioni resisteretur.

## ARTICULUS III.

*An Papa, etiam extra Concilium Generale, sit legitimus Controversiarum fidei Judex?*

### SUMMARIUM.

- |   |   |
|---|---|
| 1. Certum est, dari debere in Ecclesia Judicem Controversiarum fidei.   | in approbandis Religiosis Ordinibus, canonizandis Sanctis, censurandis propositionibus.                   |
| 2. Qui sit infallibilis, & summa potestate præditus.  | 11. Et quam certa hæc sint.   |
| 3. Papa considerari potest & debet ut homo privatus, & ut Rector Ecclesiæ, seu ex Cathedra loquens, quid hoc sit. | 12. Papa etiam extra Concilium est legitimus Judex Controversiarum in rebus fidei & morum.                |
| 4. Papa ex Cathedra loquens (etiam extra Concilium) ferre potest leges totam Ecclesiam obligantes.                | 13. 14. 15. Quid opponatur Pontifici potestati ad ferendas leges universales & in conscientia obligantes. |
| 5. Et infallibiles decisiones facere circa res fidei.   | 16. Quid opponatur ejus infallibilitati in definiendis articulis fidei, ex ratione.                       |
| 6. Quod ostenditur ex Scriptura.  | 17. Quid ex paritate cum alijs vitijs, in qua cadere potest Papa.   |
| 7. Ex Traditione.   | 18. Quid ex Scriptura.  |
| 8. Et ratione.  | 19. Quid ex rebus gestis Pontificum.  |
| 9. Nec opus habet consensu Ecclesiæ.  | 20. Quid  |
| 10. An Papa sit infallibilis speciatim  | 21. Quid  |

R. P. Pichler Theol. Polemica,

Ccc

20. *Quid ex Jure Canonico.*21. *Quid ex contradictionibus appa-  
rentibus Pontificum.*22. *Quid ex actis circa Forosum  
Papam.*

1. Sciendum 1. Extra dubium apud omnes rectè sentientes esse 1. Quòd in Ecclesia debeat dari aliquis fidei controversiarum Judex, & quidem universalis, summa potestate instructus, infallibilis, & clarè ac ita ferens sententiam, ut à Partibus litigantibus percipi, & sciri possit, penes quam stet victoria. Si enim detur talis Judex, controversiæ fidei erunt immortales, in Ecclesia nihil erit certum & indubitatum, sed mera confusio, mera incertitudo, atque nulla fides Divina. 2. Quòd ejusmodi Judex non sit S. Scriptura, utpote de ejus existentia, integritate, puritate, ac præcipuè sensu præcipua est. Multò minus spiritus internus, utpote incertus, in diversis hominibus diversus, & monopolium omnium errorum; ut de Scriptura tractantes ostendimus. 3. Quòd Papa una cum Concilio Generali saltem sit ille Judex legitimus, memoratis dotibus instructus, patet ex dictis, cum major auctoritas in Ecclesia excogitari non possit, quàm Papa cum Concilio. Quæstio nunc est, ex priore orta, utrum Papa solus, & extra Concilium Generale, sit legitimus controversiarum fidei Judex.

2. Sciendum 2. Præcipuè hæc duas dotibus requiri in legitimo controversiarum Judice, potestatem supremam, & infallibilitatem. Nisi enim summa potestate præditus sit, facilè ejus auctoritas spernitur, nec leges ferre, carum-

que observantiam urgere efficaciter potest: nisi infallibilitate instructus sit, tutò & indubitato ei credi non potest: in rebus autem fidei vel maxime requiritur summa certitudo, & summa firmitas in credente. Loquimur autem potissimum de Potestate Jurisdictionis, & quidem Ecclesiasticæ externæ. Circa quam, uti & vel maxime circa infallibilitatem Pontificis

Sciendum 3. Papam dupliciter considerari. 1. ut est persona & Doctor privatus. 2. ut est persona & Doctor publicus, & Rector Ecclesiæ, sive ut aliquid ab omnibus credendum vel faciendum authoritative proponens, definiens, seu ex *Cathedra loquens*, ut vocamus. Porro ad hoc, ut Pontifex censeatur loqui ex *Cathedra*, ex communi sensu Doctorum requiruntur hæc tria. 1. ut intendat aliquid definire vel præcipere pro tota Ecclesia. 2. ut nihil intendat definire contra aliquem fidei articulum jam antecesserit definitum & factis revelatum. 3. ut non procedat temerè, sed rem prius diligenter discutiat, consultis etiam hominibus doctis, & implorato auxilio ac directione Divina. Notandum tamen hic est, quòd semper, quotiescunque Papa aliquid definire formaliter intendit ut Caput pro tota Ecclesia, præsumi debeat, illum adhibuisse debitam diligentiam, & nihil hæreticum definire; nisi certo & evidenter constaret contrarium. Aliàs enim impijs & pertinacibus semper  
super

superesset effugium, & via eludendi definitiones Pontificias. Neque ad subditos spectat examinare actiones Superioris, multò minus Vicarij Christi.

4. Dico 1. Papa, etiam extra Concilium Generale, habet supremam potestatem obligandi totam Ecclesiam per Leges à se latus. Probatur 1. Christus promittens Petro claves Regni Cœlorum ad eum solum dixit in singulari: *quodcumque ligaveris super terram* &c. Mat. 16. Atqui *ligare* juxta Scripturam significat etiam leges ferre, & obligare: uti Mat. 23. Ergo Petrus accepit indefinitam potestatem ferendi leges & obligandi totam Ecclesiam, & quidem solus sine Concilio. Quod autem datum est Petro, datum intelligitur etiam Successoribus ejus, qui sunt Romani Pontifices. Prob. 2. In Antiqua Legge solus Sacerdos seu Pontifex Maximus habebat potestatem obligandi omnes Israëlitas: sed Caput Ecclesie non debet esse minoris auctoritatis, quam Caput Synagoge; ergo. M. constat ex Deuteron. c. 17. ubi sic dicitur: *qui superbiert nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino DEO tuo, & decreto Judicis, morietur homo ille.* Prob. 3. Ille potest ferre leges pro tota Ecclesia, qui est legitimus Superior, & Rector totius Ecclesie: sed Papa, etiam extra Concilium, est legitimus Superior & Rector totius Ecclesie; quia est Christi Vicarius, omnes omnino oves sine ulla exceptione sibi habens commissas ab ipso Christo: ergo. Prob. 4. bonum Ecclesie exigit, ut semper possint salutes leges condi totam Ecclesiam obli-

R. P. Pichler Theol. Polemica.

gantes: sed Concilium Generale non semper potuit, nec deinceps semper poterit convocari: ergo penes alium debet esse ista potestas; utiq; penes Papam. Confirmatur ex SS. PP. ex quibus S. Ign. ep. ad Trall. ait: *qui igitur iis (Romanis Pontificibus) non obedit, Athens profusus, & impius est, & Christum contemnit, & constitutionem ejus imminuit.*

Petes, an leges à Papa latus, etiam obligent in conscientia? R. haud dubie. Qui enim resistit Papæ, resistit DEO, cujus Papa est vicarius. *Qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi DAMNATIONEM* acquirunt. *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam PROPTER CONSCIENTIAM.* Rom. 13. Si juxta Paulum omni Potestati (non enim est potestas nisi a DEO ibid.) parendum est propter conscientiam, & ne incurratur damnatio; vel maximè sic parendum erit Potestati Ecclesiastica.

5. Dico 2. Papa, etiam extra Concilium Generale, ex Cathedra loquens, est infallibilis. Intellige cum illa limitatione, quam de infallibilitate Conciliorum supra p. 374. statuimus. Scilicet infallibilem duntaxat dicimus in ijs, in quibus consistit ipsa definitio vel decretum, non in alijs, cujusmodi sunt argumenta, & probationes, quæ incidenter proponuntur, quæstiones facti particularis, circumstantie personarum, locorum &c. in decretis morum. Papa enim infallibilis est propter Ecclesiam, hoc est, ne tota Ecclesia incidat in errorem circa res fidei, & bonos mores. Neque dicas, si hoc sit verum, à nobis

Ccc 2

com-

committi circulum vitiosum; nam Papa est infallibilis propter Ecclesiam, ut hic dicimus; & Ecclesia est infallibilis propter Papam, ut nuper diximus, asserendo, totam Ecclesiam, in Concilio Generali congregatam, sine Papa nullius esse auctoritatis. Nam R. tō propter accipi in diverso genere causandi: quando dicimus, Papam esse infallibilem propter Ecclesiam, accipitur in genere causa finalis, ut sensus sit: Ecclesie utilitas, & immunitas ab errore, est finis, cur Papæ concessa sit infallibilitas. Contrā cum dicimus, immunem ab errore Ecclesiam esse propter Papam, accipitur in genere causa, efficientis, ut sensus sit, Papa est talis Rector Ecclesie, qui eam facit & præstat infallibilem per suam infallibilitatem, intuitu Ecclesie finaliter à Christo acceptam.

6. Probatum nunc assertio 1. ex Scriptura. Luc. 22. dicit Christus ad Petrum: *Simon Simon, ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Specialiter hic notandum est, Christum capisse loqui in plurali, *expetivit vos*, postea verò mutatā loquendi formā usū esse singulari, *rogavi pro te, fides tua, conversus confirma &c.* Ut scilicet indicaret, infallibilitatem Capiti, non membris, se petisse & impetrasse, ita ut Petrus etiam sine membris, adeoque sine Concilio, esset infallibilis & indeficiens in fide; non enim dixit, *rogavi pro vobis, sed pro te; Vos confirmate, sed tu confirma fratres.* Quod autem impetravit Petro, impetravit & ejus suc-

cessoribus; quia propter utilitatem Ecclesie impetravit; Ecclesia autem semper indiget aliquo, qui eam infallibiliter confirmet in fide. Paterea quod Christus pro solo Petro ibi rogaverit, non pro tota Ecclesia, non solum patet ex ipso nomine Petrum designante *Simon Simon, pro te, tu &c.* Verum etiam quia dixit *conversus*; quod utique Ecclesie convenire non potest, utpote quæ nunquam tota perverti, adeoque nec *converti* potest.

Confirmatur ex eo, quia Petrus à Christo constitutus est fundamentum Ecclesie, & Pastor Universalis omnium fidelium. *Super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam.* Mat. 16. *Pasce oves meas.* Jo. 21. Vel ergo Ecclesia tenetur Petrum, & ejus successores sequi etiam extra Concilium docentes, vel non tenetur? Si tenetur; hoc ipso debent esse infallibiles; alias tota erraret Ecclesia: si non tenetur, tunc non amplius sunt Superiores, & Pastores Ecclesie, sed umbra, & nil nisi inane nomen habentes.

7. Prob. 2. ex Traditione Apostolica, quam nobis testantur SS. Patres, & insuper Ecclesie perpetua praxis, cum constet, per singula propè sæcula, dum Synodus Generalis vel absolute vel commodè convocari non poterat, à solis Pontificibus fuisse damnatas hæreses, & consequenter oppositas doctrinas pro fidei articulis definitas. Quippe post declarationem solius Papæ à reliqua Ecclesia vel pro hæresi vel pro fidei dogmate habita est doctrina, prout eam declaravit Papa. Sic primis tribus sæculis, in quibus non fuit ullum Con-



elium Generale, damnata à Pontificibus, & post postea à fidelibus ut tales habitæ sunt varia hæreses, v. g. Nicolaitarum, Marcianistarum, Montanistarum, Novatianorum &c. item Tertulliani & Origenis. In quarto sæculo Damnata est hæresis Joviniani à Siricio Papa in ep. 2. adversus Jov. In quinto hæresis Pelagiana, quæ ut loquitur August. toties victa toties pugna restituta tum demum prostrata est, ubi Romanus Pontifex se prælio miscuit. Atque sic de reliquis sæculis loquendo. Sed quod docet praxis Ecclesiæ, docent & testimonia Patrum. S. Anacletus, qui rexit Ecclesiam anno 101. ep. 1. sic loquitur. *Sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro Primatum obtinuit. -- Quodsi difficiliore oria fuerint quæstiones, aut Episcoporum, aut Majorum judicia, aut majores cause fuerint, ad Sedem Apostolicam referantur: quoniam Apostoli hoc statuerunt iussione Salvatoris &c.* S. Julius anno 336. in epil. gemina ad v. s. Episc. Orientales in hunc modum scribit: *Conciliorum convocandorum iura & majores causas ad Sedem Apostolicam Evangelicis, Apostolicis institutis referri oportet. Id à Sanctis Apostolis, & Successoribus eorum, id à Nicæna Synodo definitum est.* Vid. plura ibi. Inter causas verò & quæstiones majores utique primæ sunt causa fidei. S. August. l. 4. contra duas epp. Pelag. c. 12. ait: *Aut verò congregatione Synodi opus erat, ut aperta perniciet damnaretur? quasi nulla hæresis aliquando, nisi Synodi congregatione, damnata sit:*

*cum potius rarissima inveniatur, propter quas damnanda necessitas talis existerit.* Ergo de Traditione Apostolica aperte testantur tum PP. tum Ecclesiæ praxis.

8. Prob. 3. Si Papa non est infallibilis extra Concilium, tunc non omni tempore datur infallibilis auctoritas in Ecclesia, imò sæpe dari moraliter impossibile est, cum non nisi rarissime & difficillimè atque immensis propè sumptibus cogi Concilia Generalia possint: atqui sic non esset satis provium Ecclesiæ, cum omni tempore oriri hæreses, & dubia circa res fidei nasci possint. Adde, quod, etsi convocarentur Concilia cum ingenti molimine, tamen non omnis excipiendi via obstrueretur perveris & refractariis Christianis, & ferè æquale metuendum esset periculum, ne fortè dicerent: Concilium non esse Universale, liberum, legitimum, non omnia decreta esse conciliariter facta, scilicet præmissa diligenti examine, plurimum non interessatorum, ut loquuntur, suffragijs &c. Ergo ne tam facile eludatur omnis Ecclesiæ definitio, asserenda est Pontifici, etiam extra Concilium definitenti, infallibilitas.

Quæ argumenta, ex Verbo Dei tam scripto quam non scripto atque ex ratione petita, tam sunt efficacia, ut nullus Catholicorum videatur posse refragari nostræ assertioni, uti etiam nullus, quod scio, refragatur. Nam neque Catholicissima Gallia, quæ utique non plus adversatur Pontificis auctoritati, quam Propositiones Parisienses (nunc iterum revocata ab ipsis Gallis) à communi sententia videntur recedere per  
Ccc 3 quar-

quartam suam propositionem, qua dicunt, *Pontificis extra Concilium definiti judicium non esse irreformabile, nisi Ecclesie consensus accesserit*: quia non requirunt consensum Ecclesie per Concilium Generale, sed modo accedat consensus & acceptatio Ecclesie, sive intra sive extra Concilium. Verum quia tamen & hoc præjudicat Pontificie auctoritati, ideo

9. Dico 3. Papa ex Cathedra loquens est infallibilis independentem à consensu Ecclesie, vel intra vel extra Concilium dando. Adeoque decreta fidei & morum, à Pontifice extra Concilium facta, habent vim suam ante acceptationem & assensum Ecclesie, ita ut omnes teneantur credere definita, & parere ejus legibus justis. Probatum 1. fere iisdem argumentis, quibus assertiones duæ præcedentes. Et utique officium Pastoris est ovibus designare pascua, & eas huc vel illuc ducere independentem ab earum judicio & beneplacito. Et Petro dictum est, ut *confirmet fratres*, non ut confirmetur ab ipsis: ergo Papæ sententia non est roboranda judicio fidelium. Prob. 2. specialiter sic. Si sententia Papæ primum redditur infallibilis & irrefragabilis accedente consensu Ecclesie, tunc Papa nihil habet speciale ab alijs Episcopis, imò à privatis Doctoribus; cum etiam horum sententia evadat infallibilis conspirante in eam tota Ecclesia: Atqui Papa debet habere ab his aliquid speciale; cum pro ipso rogaverit Christus, ut non deficiat fides ejus, penes ipsum sit confirmare fratres, super ipsum ædificata Ecclesia &c. Et cum ex communi Ec-

clesie sensu, & praxi perpetua, sententia Pontificis præ alijs omnibus fuerit attenda:

Hoc tamen fateor, quod consensus Ecclesie subsequens serviat ad hoc, ut quoad nos magis constet, Papam ex Cathedra esse locutum.

Petes, an Papa sit speciatim infallibilis. 1. quando approbat aliquem Ordinem Religiosum. 2. quando Sanctis vel Beatis adscribit aliquem hominem. 3. censuram afficit aliquam sententiam? R. ad 1. cum communi Theologorum affirmativè. Ratio est, quia Pontifex approbans Ordinem Religiosum proponit toti Ecclesie aliquod vitæ genus tanquam honestum, pium, & sanctum: ergo tale vitæ genus necessariò est honestum, pium, & sanctum; aliàs enim deciperet Ecclesiam in re magni momenti, ad salutem animarum & ad mores pertinente: quod fieri nequit. Ad 2. iterum annuo. Ratio est, quia Pontifex aliquem declarando pro Sancto aut Beato proponit illum toti Ecclesie colendum, quia vult, aut saltem permittit, ut in illius honorem offeratur Sacrificium Missæ (quod offertur nomine totius Ecclesie) ut publicè invocetur tanquam Dei amicus in celo existens & noster Patronus, ut erigatur ipsi statua, altare &c. Ergo necessariò est Dei amicus, qui à nobis rectè colatur, & invocetur tanquam Patronus, in celo existens. Aliàs tota Ecclesia turpissimè erraret, & quidem non minus, ac si per errorem judicaret, diabolum rectè coli & invocari tanquam Amicum Dei in celo existentem (quid enim interest inter diabolum & hominem

nem damnatum?) quod absurdissimum foret, & utique impossibile. Ad 3. Responso rursus est affirmativa. Aliquod tamen discrimen faciendum est inter propositiones, quas censurâ afficit Pontifex. Aliquas enim damnat ut *hereticas*, & tales utique hereticæ sunt, quia virtualiter definit, earum contradictorias esse de fide: sed juxta dicta Pontifex, etiam extra Concilium, circa res fidei est infallibilis. Alias autem proscribit tanquam *heresi proximas, sapientis heresim, erroneas, errori proximas, male sonantes, piarum aurium offensivas, temerarias, scandalosus, blasphemus, impius &c.* Et ista pariter digne sunt tali censurâ; si enim in his censuris erraret Papa. Tanquam Doctor publicus & Universalis cum ipso erraret tota Ecclesia, utpote obligata ad amplectendam ejus doctrinam, & quidem in rebus circa honestatem & inhonestatem actionum humanarum, circa usum Sacramentorum &c. nam circa hujusmodi versari solent propositiones, quæ censurantur, qui error non leviter repugnet puritati & sanctitati Ecclesiæ: ergo contingere non potest.

II. Sed quæres ulterius, quam certum sit, Papam extra Concilium definientem & docentem, in suis decretis infallibilem esse? R. I. Secundum ea, quæ hactenus disputavimus, probabilissimum esse, quod fide Divina certum, & credibile sit, eum *in declarandis & proponendis rebus fidei* infallibilem esse etiam extra Concilium; quia allatis argumentis probabilissimum, imò moraliter certum redditur, id esse reve-

latum. Cum verò nulla exstet aperta & clara Ecclesiæ definitio, certum absolute non est, id esse de fide. Ex Bellarm. & alijs deducitur, id esse *ferè de fide, & contrarium sentientes de temeritate excusari non posse.* Alij sententiam oppositam esse ajunt inter illas, quæ non sunt probabiles, sed *præcise tolerantur* ad cavendum majus malum. Alij gravioribus censuris afficiunt. R. 2. in alijs rebus v. g. *in approbandis Religiosis Ordinibus, in canonizandis & beatificandis Sanctis, in ferendis censuris propositionum* (quando eas damnat ut *hereticas*) loquendum est juxta jam datam responsum, Pontificem, extra Concilium pronuntiantem, pariter esse infallibilem, tanquam certum de fide putant aliqui, alij tamen fidei proximum, alij p̄e credendum, alij tam certum, ut oppositum judicent esse erroneum &c. De certitudine igitur, an scilicet fide Divina, an tantum moraliter certum sit, aut quomodo, de infallibilitate Pontificis extra Concilium pronuntiantis, non convenit inter Auctores Catholicos. In hoc tamen satis conspirant, quod oppositum non sit probabile; cum, etiamsi quidam oppositum docuerint, eorum tamen opinio à cæteris per solidissima argumenta ita enervetur, ut non sit probabilis. Quando verò accedit consensus Ecclesiæ vel in vel extra Concilium, tum fide Divina certum est apud omnes Catholicos, Papam non errare posse in iebus fidei.

Dico 4. Papa, etiam extra Concilium Generale loquens ex Cathedra, est legitimus Judex controversiarum in rebus

rebus fidei & morum. Sequitur hæc assertio clarissimè ex dictis, & probatur 1. Judex legitimus controversiarum fidei est ille, qui habet dotes requisitas, inter quas præcipuè sunt summa potestas jurisdictionis Ecclesiasticæ, & infallibilitatis: sed has habet Papa, etiam extra Concilium Generale, ut ostensum est: ergo. Prob. 2. Ad Petrum (consequenter ad omnes ejus in Pontificatu Successores, cum Christus Ecclesiæ suæ consulere debuerit & voluerit non per 25. annos tantum, sed in perpetuum) dictum est: *quodcumque li-*

*gaveris, &c. quodcumque solveris &c.* ergo sine exceptione potest omnes nodos solvere rerum dubiarum, peccatorum, pœnarum &c. Item: *pasce oves meas.* scilicet scientiâ & doctrinâ Jerem. 3. hoc enim modo pascentur oves rationales. Prob. 3. ex continua Ecclesiæ praxi, *cui repugnare insolentissima insania est*, teste S. August. ep. 118. Nam in omnibus sæculis exorta dubia leguntur esse terminata judicio Romani Pontificis sæpissime extra Concilium Generale.

### Solvuntur Objectiones.

13. Objiunt 1. Lutherani, pro domo sua, hoc est, libertate, ut ajunt, Evangelica decertantes. Christiani non possunt adstringi mandatis hominum, & Legibus humanis; *ubi enim Spiritus Domini, ibi libertas.* 2. Cor. 3. *Non sumus Ancilla filij, sed Libera, qua libertate (Christus nos liberavit.* Gal. 4. *Nolite iterum jugo servitutis contineri.* Gal. 5. *Nemo vos judicet in cibo, aut potu, aut in parte diei festi.* Coloss. 2. Ergo Papa, utpote homo, non habet potestatem ferendi Leges v. g. de discrimine ciborum, observatione festorum &c.

R. Libertas Christiana & Evangelica minimè consistit in liberatione ab omnibus præceptis Præpositorum nostrorum; imò Christus per Paulum præcipit expressè obedientiam ipsis præstandam: *obedite Præpositis vestris,* Hebr.

13. *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit.* Rom. 13. Sed

consistit in liberatione à peccato, & à servitute Legum ceremonialium & judicialium (quæ erant propriæ Veteri Testamento partim tanquam Umbra & Figura Novi, partim tanquam propriæ regimini & statui populi Israëliti) à quibus nos Christus liberavit, & mutato statu voluit mutari etiam præcepta. Unde non est obligatio apud Catholicos abstinendi à cibis certis diebus, celebrandi certa festa &c. quia hæc vel similia erant præscripta in Veteri Lege, sed quia visum est Ecclesiæ iterum quædam præcipere in Lege Gratia, sicut jam ipsi Apostoli Act. 15. præceperunt de novo; ne Christiani comederent de suffocato, & sanguine. Neque abstinemus à certis cibis, quasi illi per se sint immundi, sed quia à legitima potestate certo die ex justis causis prohibiti.

Urgent: Leges Papistarum sunt plurimæ & difficillimæ: ergo si istis obligantur Christiani, nihil profuit ipsis liberari

à jugo importabili Veteris Testamenti.  
 2. Solus Deus, qui intuetur corda hominum, potest obligare homines in conscientia, tum quia solus cognoscit transgressiones occultas, tum quia solus potest infligere proportionatam poenam, & aeternam damnare. Ergo Papa neminem potest obligare in conscientia. R. ad 1. N. A. sunt enim paucissimæ, & facillimæ illæ Leges, quibus Christiani adstringuntur, & serè istæ quatuor duntaxat, *seruare certa festa, certa jejunia, confiteri semel in anno, & in Paschate S. Communionem sumere.* Cætera, quæ in Jure Canonico habentur, aut in totius Conciliorum, vel sunt admonitiones & instructiones piæ, non obligantes sub peccato, vel obligantes solummodo certos homines, & sub conditione, qui v. g. volunt admitti ad Sacros Ordines, vel sunt Regulæ Ecclesiasticis Judicibus præscriptæ, vel sunt Censuræ, vel explicationes dogmatum &c. Dein etiam pauca illæ leges, quæ in conscientia obligant omnes Christianos, sunt longè mitiores, quàm præcepta Veteris Testamenti; quia Ecclesia tanquam pia Mater ex rationabili causa facillè dispensat. Accedit, quòd non sint tam nova præcepta, quàm determinationes Legis Divinæ; nam Lege Divina tenemur temporibus quibusdam vacare cultui Divino, castigare corpus, confiteri peccata, & sumere Corpus Domini. Ecclesia verò modum duntaxat & tempus determinavit, quibus ista fieri debeant. Quare si aliquod in his 4. Legibus Ecclesiæ reperiretur onus grave, illud potius tribuendum esset Legi Divinæ. Ubi

R. P. Pichler Theol. Polemica;

igitur tyrannis Papæ, quam toties ogganiunt hæretici? Ad 2. Solus quidem Deus *ex se & natura sua* habet potestatem in conscientiam hominis; homo tamen, Dei Vicarius & Minister, habet potestatem *participatam* eatenus, quatenus à Deo accepit potestatem ferendi leges. Unde etiam si homo non videat corda hominum, nec per se infligere possit poenam aeternæ damnationis, Deus tamen hæc scit & potest, qui vindicat transgressiones legum per suos Vicarios latarum, & quos ligat Petri potestas *in terris, ligatum esse voluit coram se in caelis.* Mat. 16. *Qui vos spernit, me spernit &c.* Luc. 10.

Instant. Decisiones Papæ sunt Leges humanæ: sed Leges humanæ non obligant, nisi acceptentur à subditis: ergo ut decisiones Papæ obligent tanquam infallibiles, debent prius acceptari: ergo sine consensu Ecclesiæ non sunt firmæ. Confirmatur: Decreta etiam Concilij Tridentini non omnia sunt ubique acceptata, uti in Gallia, atque ideo in his locis non obligant: ergo à fortiori idem dicendum est de Decretis Papæ extra Concilium. R. 1. D. M. Decisiones Papæ in rebus ad fidem pertinentibus sunt Leges humanæ. N. M. in rebus ad mores pertinentibus C. M. Decreta fidei à Pontifice facta non sunt propriè dictæ Leges & præcepta, sed potiùs declaratio quadam Divinæ locutionis, per quam nobis infallibiliter innotescit, Deum hoc vel illud revelasse: quæ notitiâ semel habitâ non amplius est in nostro arbitrio, ut illud credamus vel non credamus, sed Jure Naturali ac Divino mox obligantur

D d d

gantur

gantur omnes ad assensum firmissimum veritati, taliter à Deo revelata, præstandum. Unde etiam si decreta & decisiones fidei vocarentur Leges, non tamen possent vocari Leges *Humanae*, nec in arbitrio Ecclesie est, assentiri vel non assentiri, quia Jure Naturali ac Divino obligantur omnes credere veritates à Deo revelatas, postquam sufficienter constat de earum revelatione.

R. 2. Transmissa M. Si loquatur de decisionibus & decretis morum. D. m. Leges humanae, Civiles, & Politicæ, non obligant ante acceptationem subditorum T. m. Ecclesiastica seu Canonica. N. m. de his enim longè probabilius est, ut ostendit Suarez l. 4. de Legibus a. 16. quòd obligent, antequam acceptentur à subditis, & quòd subditi illas teneantur acceptare, supposito, quòd sint iusta. R. 3. Eandem difficultatem habent Adversarij in decretis morum ab integro Concilio factis; eodem enim jure possum dicere, ea vim obligandi non habere, donec acceptentur à reliquis fidelibus, qui Concilio non interfuerunt; quòd difficile est admittere. Ad confirmationem dico, decreta Concilij Tridentini ad Fidem pertinentia statim ubique gentium fuisse acceptata, & debuisse necessarìò acceptari ab omnibus fidelibus propter rationem superius allatam, etiam in Gallia, licet non omnia decreta ad Mores pertinentia fuerint ibidem statim acceptata, & completè obligaverint: quòd indè factum est, quia vel ipsum Concilium noluit uti absoluta potestate obligandi omnes omnino fideles ad hæc Morum decreta recipienda, sed ex

gravibus causis aliquam libertatem quibusdam permisit, vel quia initio quædam culpabiliter non fuerunt acceptata, nec in usum deducta, successu tamen temporis per consuetudinem à Pontifice toleratam fuerunt omnino exclusa, & sic nunquam obtinuerunt vim obligandi completam, & in acta 2. Quo modo etiam Leges, semel receptæ, iterum abrogari possunt.

Ob. 2. Qui agit liberè, potest errare, quia est indifferens ad bonum & malum: sed Pontifex definiens agit liberè: ergo, 2. omnis homo est mendax, seu potens mentiri & fallere. 3. Si Papa ex Cathedra loquens non posset errare, fieret perpetuum miraculum: sed hoc admitti non potest: ergo.

R. Ad 1. Pontifex, ex Cathedra loquens, est quidem liber quoad exercitium, non tamen quoad specificationem actus, hoc est, eam habet libertatem, ut possit aliquid definire vel non definire, non autem, ut hoc vel illud, verum vel falsum definiat; sed supposito, quòd definire aliquid velit, definire falsum non potest propter assistentiam Spiritus S. Ad 2. Papa definiens, seu ex Cathedra loquens, manet quidem homo, sed tamen à Spiritu S. ita dirigitur, ut errare, & errando totam Ecclesiam decipere non possit. Ad 3. Quæro, quid intelligas nomine Miraculi? Si nihil aliud intelligas, quàm rem Naturæ totius vires superantem, verum dicis, sed nihil novi, quia hoc miraculum quotidianum est in pluribus rebus v. g. in justificatione peccatoris, administratione Sacramentorum, sacrificio Missæ &c. Nempe Ecclesia

conservatur & regitur supernaturaliter, sicut fundata est supernaturaliter. Si verò nomine Miraculi intelligas rem non tantum Naturæ viribus superiorem, verum etiam majorem, quam Ecclesia, taliter à DEO constituta, & elevata, exigat, falsum dicit; quia fit connaturaliter, hoc est, juxta exigentiam Ecclesiæ taliter à DEO constituta, & tantis promissionibus munita. Si placet distinguere *Majorem*, dic fieri perpetuum miraculum in ordine Naturæ, hoc est, ultra exigentiam Naturæ C. Ma. in ordine gratiæ, hoc est, ultra exigentiam Ecclesiæ taliter constituta N. Ma. sicut miraculum in ordine gratiæ non censetur, si peccator agat penitentiam, licet eam agere ex Naturæ viribus nequeat, & sine gratia supernaturali, quæ gratia, utpote promissa, quia datur ordinariè omnibus, DEO cooperantibus, non censetur esse miraculum in ordine gratiæ.

17. Ob. 3. Potest Papa cadere in alia peccata simonia, superbiæ, avaritiæ, luxuriæ &c. ergo etiam in hæresim. 2. Petrus gravissimè erravit in fide, dum Christum negavit: ergo & Papa, ejus successor, errare potest in fide: ergo infallibilis non est in rebus fidei. R. ad 1. Aliud est Papam cadere in hæresim, aliud ex Cathedra docere hæresim. Illud transmittit, licet multi negent cum Bellarm. istud nego fieri posse. Caterùm Christus non rogavit pro humilitate, justitia, castitate &c. sed pro fide Petri, ne in hac deficeret. Oportet ergo publicam Doctrinam esse incorruptam, licet fides privata Pontificis, & mores possint esse corrupti.
- R. P. Pichler Theol. Polemicæ.

sint esse mali. Ad 2. Petrus negando Christum non erravit in fide, quia internam semper retinuit, sed solum defecit in Christiana fortitudine, qua tenebatur fidem internam etiam exteriùs profiteri. Multò minùs hunc privatum errorem docuit ex Cathedra. Imò tunc nondum erat Pontifex, quia Pontificatum consecutus est primùm post Resurrectionem Christi Jo. 21. licet tunc jam fuerit ipsi promissus Mat. 16.

Ob. 4. In illo textu, *pasce oves meas* Jo. 21. non intelligitur solus Petrus, sed etiam ceteri Apostoli, horumque successores Episcopi quicumque: ergo vel omnes Episcopi sunt infallibiles, quod falsum est, vel neque Episcopus Romanus, Successor D. Petri. R. N. Ant. aliàs Christus debuisset dicere *pasce*, non *pasce*, quia ceteri Apostoli erant etiam presentes: & quæso cur Christus per trinam interrogationem exploravit, & petijt majorem dilectionem sui in Petro, *Simon Joannis diligit me plus his*, nisi speciale quid, & plus quam ceteris, conferre voluisset. Deinde quanta foret confusio, si æqualis potestas omnibus Apostolis in omnes Christi oves ibi concessa fuisset? Certè nunquam æqualem cum Episcopo Romano potestatem sibi tribuere ausi sunt ceteri Episcopi.

Ob. 5. Pontifices Romani extra Concilium Generale sæpius errarunt: ergo non sunt infallibiles. Ant. Prob. adducendo complures eorum errores. 2. Sæpius sibi contradixerunt: ergo aliquos errasse necesse est. 3. Ipsum & falsi sunt.

D d d 2

sunt, se non omnia posse, quæ fieri possunt per Concilium Generale. Sic Innocentius III. Philippo petenti, ut sibi liceret cum uxore divortium facere, ita respondit: *Si super hoc absque Generalis deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter Divinam offensam, & mundanam infamiam, forsan Ordinis, & Officii vobis periculum immineret.*

R. Ad 1. N. Ant. vel Dist. errârunt in moribus C. Ant. in rebus fidei, subditi ut homines privati, transeat (incertum enim & hoc est) ut Doctores Ecclesiæ, desinientes vel ex Cathedra loquentes N. Ant. Siquando videantur errâsse ex Cathedra loquentes, error est imperitorum, aut malitia malevolorum, qui aut non intelligunt decreta Pontificum, aut perverse interpretantur. Ad 2. N. iterum Ant. quamvis enim in Jure Canonico aliqua primo aspectu videantur pugnare inter se, si tamen matura consideratione & respectu affectione malevola in Sedem Apostolicam ritè penetrentur, optimè contordare deprehenduntur, & nullum errâsse Pontificem ex Cathedra pronuntiantem, ut nôrunt egregij Canonista, qui Jura conciliârunt Juribus. Ad 3. Innocentius III. per illud dictum non agnovit majorem auctoritatem (nisi humanam tantum) in Concilio Generali, sed præcisè voluit indicare gravitatem negotij: sicut, si Rex aliquis dicat, se non posse rem hanc facere sine suorum Senatorum consultatione, propterea in Senatoribus suis non agnoscit majorem auctoritatem quam in se. Ceterum Pontifex Romanus non potest immutare facta in

Concilio legitimo decreta fidei, neque decreta morum ad Jus Naturale vel Divinum pertinentia; licet absolutè possit immutare ea, quæ sunt Juris humani Ecclesiastici.

Ob. 6. ex Jure Canonico, in quo 10. plures reperiuntur errores Pontificum, extra Concilia aliquid statuentium. Nam Nicolaus I. docuit, in nomine Christi collatum Baptismum valere sine expressione trium personarum *c. a quodam de Consecrat. d. 4.* Gregorius III. ob infirmitatem uxoris permisit marito aliam ducere *c. proposuisti causa. 32. q. 7.* Alexander III. statuit, ad valorem Testamenti sufficere duos testes, & consuetudinem, qua plures quam tres requiruntur testes, damnat velut à Divina Lege alienam. *c. cum esset 10. de Testam.* Innocentius III. existimavit, Christianos adhuc obligari Lege Mosaica. *c. per venerabilem, qui filij sint legitimi.* Cælestinus III. sentit, Matrimonium dissolvi per hæresim alterius Conjugis. *c. quanto de divortijs.* Alexander III. jam supra memoratus dicit, suos Antecessores asseruisse, Matrimonium Ratum posse dirimi Matrimonio Consummato. *c. licet de sponsa duorum.* Ad hæc objecta ex SS. Canonibus desumpta respondet unica responsione Eug. Lomb. in Regal. Sacerdotis l. 3. §. 9. n. 14. dicens, hos Pontifices fuisse locutos ut Doctores privatos, & non docentes ex Cathedra, adeoque fuisse errores Personales, non Cathedrales. Verùm hoc modo infringi multùm videtur efficacia nostrorū argumentorū, quæ ex SS. Canonibus de proximis contra Adversarios; possunt enim id ipsum nobis reponere. Potest quidem hæc



responsio sapius dari, & quidem optimè, non tamen semper, quando textus è Concilij vel Jure Canonico afferuntur; quia in his Pontifices sæpe loquuntur ex Cathedra, nisi ex circumstantijs possit colligi oppositum. Itaque melius ad singula

R. *Nicolaus I.* non definiit, quòd Baptismus, in nomine solius Christi collatus, sit validus; cum de hoc non fuerit interrogatus; interrogatus enim tantum est, an Baptismus, à Pagano vel Judæo collatus, sit validus, & verum Sacramentum. Ad hoc quæsitum cum responderet affirmativè, obiter addidit: *sive in nomine totius Trinitatis sive in nomine solius Christi consecratur.* Adeoque *Nicolaus* ibi nihil definiit de Forma Baptismi, sed solum de Ministro: non autem negamus, Pontificem errare posse in alijs rebus, quas non definit, sed tantum incidenter dicit. Accedit, quòd sententiã admittens valorem Baptismi in nomine solius Christi expressè, & in nomine Trinitatis solum implicite collati, fuerit etiam *S. Ambrosij*, *Beda*, & *D. Bernardi*; & quòd quidem falsa & nunc practicè sit improbabilis, non tamen hæretica; quia nullibi ut talis est damnata. *Gregorius III.* loquitur de impotentia perpetua, orta ex infirmitate mulieris, & quidem antecedente Matrimonium: quæ impotentia utiq; dirimit Matrimonium. *Alexandri III.* constitutio de duobus tantum vel tribus testibus ad valorem Testamenti sufficientibus locum duntaxat habet in territorio temporali Papæ, respectu totius Orbis verò solum in Testamentis ad pias causas factis; nam

à Lege Divina alienum est, motientium libertatem ita coarctare, ut absque illa solemnitate septem testium, quos requirit ad Testamentum Jus Civile, nequeant testari vel legare ad pias causas. In profanis rebus non habet Pontifex potestatem condendi Leges Civiles, totum Orbem obligantes. Si verò Testamentum fiat ad causas pias, potius observandum est Jus Canonicum, quam Civile; quia ejusmodi Testamenta extrahuntur quasi à foro Civili, cum spectent salutem animæ & finem supernaturalem. Dum autem Pontifex addidit, quòd sit alienum à Lege Divina, addidit tanquam rationem suæ constitutionis: atqui in his, uti diximus supra, potest Pontifex errare in assignandis rationibus & motivis suarum definitionum, quæ suam infallibilitatem non ab illis, sed à Spiritu S. assistentia nanciscuntur. Deinde si eò alienum sumatur in sensu mitiori, uti facile potest, ita ut non significet Legi Divinæ contrarium, sed extraneum. h. e. non contra Legem Divinam, sed præter illam ab hominibus introductum, nihil erroris continet. *Innocentius III.* allegavit quidem Leges Veteris Testamenti, non tamen ut præceptivas, & adhuc obligatorias, sed tantum ut exemplares, seu tanquam ideas, ad quarum similitudinem sapienter etiam in novo Testamento instituta quædam sunt, & observanda: quæ proinde obligant, non quia sunt Leges Mosaicæ, sed quia Leges Christianæ. Adde, quòd memorati Pontifices Veteris Testamenti leges solum adducant tanquam rationem suarum decisionum. *Celestinus III.* non

definivit, sed privata opinione tantum judicavit, Matrimonium dissolvi per alterutrum conjugis lapsum in hæresim, uti colligitur *ex cit. c. quanto*, ubi Innoc. III. referens hanc Cælestini sententiam dicit, Prædecessorem suum aliter *sensisse*, se tamen *non credere*, quod Matrimonium tali casu dissolyatur. Ex quibus verbis colligitur, neutrum ex his Pontificibus hac de re aliquid definivisse, sed solum suam opinionem proposuisse. Circa Pontifices, admittentes Matrimonium Ratum dissolvi per aliud Consummatum, est fere eadem responsio: nimirum *ita senserunt*, & Alexander III. illos referens *aliter sensit*, nullus tamen definivit.

21. Ob. 7. Pontifices sibi sæpe contradixerunt: ergo aliquos errasse necesse est. A. prob. 1. Innocentius IV. docuit, formas Sacramentorum fuisse inventas & ordinatas ab Ecclesia. Contrarium definivit Eugenius IV. 2. Stephanus II. definivit valere Baptismum in vino collatum in casu necessitatis. Contrarium rursus definivit Eugenius IV. in Responsis ad consulta Bulgarorum. 3. Innocentius III. *in c. quanto de divorcijs* statuit, quod uno conjugum ad hæresim transeunte possit alter, in fide remanens, transire ad secunda vota, seu ad alteras nuptias. Contrarium statuit Cælestinus III. *c. laudabilem de conversione infidelium*. 4. Pelagus fecit constitutionem, ut omnes Subdiaconi Siciliae abstinerent à suis uxoribus, quas in Minoribus duxerant, aut ab officio cessarent. Hanc constitutionem, quia

erat *iniqua & contra Evangelium*, retractavit Gregorius I. ejus Successor. R. N. Ant. vel, si sibi contradixerunt, id non factum est in rebus fidei, nec à Pontificibus ex Cathedra docentibus. In probationibus, quas assert Dupinus Gallus, ubique hallucinatur vel decipit. Ad 1. Innoc. IV. in *c. Presbyter de Sacramentis non iterandis*, quod citat Dupinus, expressè dicit, quod Presbyter & Diaconus ordinentur per manus impositionem, tactu corporali factam, *juxta ritum ab Apostolis introductum*. Minimè autem dicit, quod Formæ Sacramentorum sunt ab Ecclesia introductæ. Hoc tamen verum est, quod, ubi Christus non determinavit materiam & formam Sacramentorum in specie, sed solum in genere, adeoque in arbitrio Ecclesiæ reliquit determinationem in specie, Ecclesia possit certam materiam vel formam præscribere. v. g. Christus pro materia Sacramenti Ordinis instituit signum sensibile, significativum potestatis consecrandi Corpus Christi, & pro forma instituit verba illi materiae accommodata, nulla autem certa determinando in specie. Tali casu potest & debet Ecclesia determinare certum signum, certa verba, ritum & modum administrandi hoc vel illud Sacramentum. At hoc non est materiam & formas Sacramentorum invenire, aut à Christo institutas mutare, sed illas, à Christo in genere præscriptas, determinare in specie. Hoc docet communis sententia Catholicorum, hoc docuit Innocentius, & sic minimè contradixit Eugenio, vel Eugenius illi.

Ad 2. Falsò affingitur Stephano II. quòd definiyerit, valere Baptismum in vino collatum; sed cum interrogaretur de Sacerdote, qui in casu necessitatis baptizaverat vino, in ordine ad illum puniendum, respondit: si in eo casu necessitatis aqua non fuit præsens, excusari imperitum illum Sacerdotem posse per ignorantiam, quia per errorem putabat, Baptismum talem infanti prodesse; si autem aqua fuit præsens, hunc Presbyterum esse excommunicandum, quia *contra Canonum sententiam agere præsumpsit*. Quæ verba expressè habentur in epistola Stephani incorrupta, ut exstat apud Philippum Labæi ad annum 754. Per verba illa epistolæ: *infantes permanent in Baptismo*, non voluit, ut talis infans permaneat in Baptismo ejusmodi irritò, sed in valido, quem supponit interea fuisse adhibitum.

Ad 3. Innocentius III. non dicit, quòd, si Matrimonium semel fuerit contractum *inter fideles*, & alter labatur vel in hæresim, vel omnino ad gentilitatem transeat, innocens possit convolare ad secundas nuptias, sed contrarium; eò quòd tale Matrimonium, inter fideles contractum, sit Sacramentum & indissolubile propter significationem conjunctionis Christi cum Ecclesia. Sed hoc statuit, quòd, si Matrimonium inter *infideles*, hoc est, *non baptizatos*, contractum fuerit, & unus convertatur ad fidem Catholicam, alter autem in gentilitate permaneat, nulloque modo cohabitare velit cum conjugè converso, vel non nisi cum injuria Creatoris, pertrahere conando con-

jugem conversum ad peccatum mortale, possit conversus ad secunda vota transire juxta illud Pauli: *si infidelis discedit, discedat &c.* Sed in hac constitutione non est contrarius Cælestino III. qui ibi longè aliud statuit, nempe impedimentum criminis in eos, qui machinantur in mortem infidelis, ut cum Parte conversa possint inire Matrimonium, etiamsi intuitu hujus Matrimonij ad fidem Catholicam accedant.

Ad 4. Fateor, constitutionem Pelagij circa Clericos Siciliae fuisse revocata à Gregorio; sed quid tum? nunquid etiam Leges Ceremoniales Antiquæ Legis sunt revocatae & extincta à Christo per novam Legem Gratiæ? an propterea Deus sibi contradixit, aut Leges Ceremoniales non fuerunt justæ? haud sanè. Sic potest unus Pontifex aliquid laudabiliter statuere ex justa causa, alius laudabiliter iterum tollere tale statutum etiam ex justa causa, scilicet propter circumstantias, vel prius non perfecte cognitatas, vel postea mutatas &c. Sic Pelagius justè prohibuit Subdiaconis Siciliae usum uxorum propter mundiciam, quam requirit Ministerium Divinum, & decencia suadet. At quia hæc Lex Gregorio videbatur *dura* consideratis circumstantijs & fragilitate illorum Clericorum Siciliae, eam revocavit, non tamen *iniquam* dixit, ut illam turpi errore vocat Glossa & Dupinus cum Almoino, multò minus *Evangelio contrariam*.

Ob. 8. Stephanus VII. (juxta alios VI.) irrita declaravit acta Formosi, tanquam non legitimi Papæ, & ab eo ordinatos

atos jussit iterum ordinari. Postea verò Joannes IX. contra Stephanum declaravit, Formosum fuisse legitimum Papam. Deinde Sergius III. contra Joannem iterum declaravit, Formosum non fuisse legitimum Papam: ergo vel Joannes approbando, vel Stephanus & Sergius improbando acta Formosi tanquam non veri Pontificis errarunt.

R. Cum Bellarm. Formosum, licet ante suum Pontificatum fuerit degradatus per Joannem VIII. fuisse verum prius Episcopum, Cardinalem, & postea legitimum Pontificem, & ideo ejus acta, collatosque Sacros Ordines valuisse. Proinde errarunt Stephanus & Sergius, non quidem errore juris, sed facti, malò exemplò, non falsà doct-

rinà; cum non definierint, acta & Ordines SS. collatos ab Episcopo degradato, esse nullos (quod fuisset error juris & doctrinæ) sed tantum jussierint denovo ordinari ex privatis odijs erga Formosum (quod fuit error facti & malum exemplum) gravissimè enim peccarunt non sine scandalo his suis perverfis passionibus indulgendo, præsertim Stephanus, qui barbara crudelitate etiam exhumari jussit corpus sepulchrum Formosi, & contumelijs affectum in Tyberim projici. Inde tamen cum esset extractum, atque delatum in Ecclesiam S. Petri, Sanctorum effigies dicuntur sua capita inclinasse huic suo novo Inquilino in signum reverentiæ.

## COROLLARIUM.

### *De Analyfi, seu ultima resolutione Fidei.*

Sciendum, fidem Divinam ( seu actum fidei vera supernaturalis, Divinæ, & salvificæ ) debere esse firmissimam tam objective quàm subjective; hoc est, debere niti objecto formali seu motivo infallibili infallibiliter cognito, ita ut credens prudenter sibi imperet assensum firmissimum rebus obscuris à DEO revelatis præstandum, paratus pati potius aut negare omnia, quàm talem veritatem fidei inficiari, cui tam firmiter assentitur ex imperio voluntatis, ut excludat omnem voluntariam formidinem de opposito, & quidem prudenter, nempe ex merito motivi infallibilis infallibiliter applicati & cog-

niti. Atque hæc certa sunt apud omnes rerum peritos, Sectarios æquè ac Orthodoxos; cum utique actus fidei Divinæ, qua creditur Deo revelanti, debeat esse *firmissimus* simul & *prudens*. Quæstio igitur solum est, an Catholici potius, quàm Protestantes & Sectarij, habeant & nitantur ultimato hujusmodi motivo infallibiliter cognito, seu revelatione, & Verbo Divino, articulos suæ fidei revelante, ut tam de revelatione infallibiliter certi sint, quàm de suis articulis revelatis, adeo ut omnem dubitationem ac formidinem prudenter excludere possint, imò debeant.

Dico,

Dico. Sola Fides Catholicorum ultimato nititur auctoritate Dei revelantis, & motivo infallibili infallibiliter cognito: Fides verò Sectariorum omnium resolvitur in aliquid merè humanum, ac nititur motivo profus infirmo, labili, incerto. Utraque pars assertionis optime probatur adducendo analysim, & ultimam resolutionem fidei singulorum, seu motivum ultimum, in quod tandem singulorum fides resolvitur. Itaque.

Quare ex Catholicis, quare credant v. g. Baptismum esse necessarium ad salutem, Christum, DEUM & hominem, contineri sub speciebus panis & vini? Respondebunt, quia Prima Veritas, falli & fallere nescia, in SS. Litteris revelavit. Item quare, cur credant Mysterium SS. Trinitatis, septem Sacramenta &c. reponere iterum, quia eadem Veritas Prima id docet per Traditiones seu verbum suum non scriptum. Quare jam ulterius, unde certò ac infallibiliter cognoscant, has Litteras, has Traditiones, esse verbum DEI & vocem Primæ Veritatis? Respondebunt, quia Ecclesia vera à Spiritu S. edocta, quam DEUS in errorem prolabi permittere nequit, ita proponit. Insta & denuo quare, unde sciant, quòd DEUS per os Ecclesie prædicta mysteria verè loquatur, & revelet? Hic jam transibunt ab intellectu ad voluntatem, dicentque, se ita credere, quòd in re obscura per imperium voluntatis seu per *piam affectionem* captivent Intellectum in obsequium fidei. Sed utge, & ulterius explora, unde Voluntas habeat sufficiens motivum, ut *pru-*

R. P. Pichler Theol. Polemica,

denter possit intellectui imperate *firmis-*  
*missimum* assensum, quòd Ecclesia hæc sua sit organum DEI, regula viva ac infallibilis credendorum, proindeque vera omnino sint per os Ecclesie revelata? Tum demum afferent motiva credibilitatis, notas, & signa, quibus ornata est Ecclesia Catholica, & tanta sunt (uti paulò antè vidimus, præcipuè in cap. 2. contro. fundam. 3.) ut non modò nulla alia Secta similibus instructa sit, verùm etiam ut evidens fiat, DEUM non posse ea permittere in contestationem falsæ Ecclesie, aut dogmatis falsi: tam manifestè enim faciunt credibile, hanc Ecclesiam Romano - Catholicam esse veram Christi Sponsam, & instrumentum DEI loquentis, ut, si error esset, quod credimus, à DEO esse-  
mus decepti: quod evidenter ejus Veracitati & Providentiæ repugnat. Signis externis jungitur etiam lumen fidei internum, ad omnem actum fidei supernaturalis eliciendum omnino necessarium, seu ut conditio seu ut complementum motivi: & hac illustratione supernaturali mediante omne errandi periculum in assensu fidei magis excluditur, quàm in quolibet acta naturali, etiam Metaphysicè evidenti, adeoque & omnis dubitatio.

Aliter longè res se habet apud Sectariorum; quare enim ex ipsis, quare credant, solam fidem justificare, DEUM absoluto decreto aliquos prædestinasse ad cælum alios ad infernum, solos justos (aut electos) esse vera membra Ecclesie, concupiscentiam esse formale peccatum &c. Respondebunt quidem promptè, se ita credere, quia Prima

Ecc

Veritas

Veritas DEUS revelavit in Scripturis, in quibus hæc proponuntur clarè. Sed quare ulterius, unde *infallibiliter certi* sint, Scripturas istas esse verbum DEI, & quidem purum, incorruptum, & à se ritè intellectas, cum earum sensum longè diversum esse alijs contendant? Hic jam hæret aqua, & rejecta auctoritate Ecclesiæ Catholice, cui Christus infallibilitatem dedit, confugere coguntur ad auctoritatem merè humanam, cui nulla à DEO, & Christo promissa aut collata est infallibilitas; adeoque incerti manent, an Scripturæ, propter quas credunt, sint Divinæ, an incorruptæ, an in genuino sensu à se intellectæ; consequenter fides eorum non potest prudenter esse *firmissima* propter defectum motivi infallibilis *infallibiliter* cogniti, adeoque nec Divina & salvifica, sed merè humana, ad salutem inutilis. Vel enim ( ut probent Scripturas, quas habent pro Divinis, esse Divinas, purum DEI Verbum, & in vero sensu acceptas à se) confugere de-

bent ad Luterum, Calvinum, & suæ Sectæ Doctores: at isti fuere & sunt homines, errandi periculo obnoxij. Vel ad se ipsos tanquam Judices: sed unde ipsis infallibilitas, & ab erroris periculo immunitas? homines sunt, & valde homines. Vel ad internum lumen, & internum Spiritus S. magisterium: at errare possunt in discretionem Spiritus; cum vix aliud æquè probari indigeat, quàm Spiritus, utrum ex DEO sint, & non potius dictamina carnis, aut perverfus concupiscentiæ sensus, aut genii pervicacia. Rursus igitur Scripturas adibunt, & Spiritum dubium ad Scripturas dubias expendent: at hoc est ambulare in circuitu cum impijs, & in negotio salutis perniciosâ vertigine circumvolvi. Redit siquidem questio de Scripturis, unde infallibiliter constet, eas esse Divinas, legitime versas, non corruptas, ritè intellectas &c. Relegetur dicta sunt in contro. fundam. 2. de Scriptura S.

O. A. M. D. G.



PARS